9
12-d
20

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
5 G
31

Digitized by Google

Digitized by Google

J. JAC. HOFMANNI Baſil.

HISTORIA PAPARUM

Seu

EPISCOPORUM ECCLESIÆ ROMANÆ

A

Primis ejus incunabulis uſque ad
noſtram ætatem

BREVI METRO comprehenſa:

Cum

ENARRATIONE HISTORICO-
CHRONOLOGICA

Res Sacro-profanas *totius Orbis*, Pontificio-
Cæſareas *inprimis, juxta ſeculorum annorumque
ſeriem, ſuccinctè complexâ*

Et

INDICE TRIPLICI

Rerum præcipuè locupletiſſimo

PARS I.

COLONIÆ MUNATIANÆ,

TYPIS & SUMPTIBUS REGIIS,

M. DC. LXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

יהוה

Jehova servabit ipse!

Illuſtris & Florentiſſimæ

REIPUBLICÆ SANGALLENSIS

MAGISTRATUI

AMPLISSIMO,

DNN. POLITARCHIS & CONSULIBUS

Prudentiſſimis,

DN. JOACHIMO KUNCKLERO,

DN. JOHANNI SPENGLERO,

DN. HENRICO HILLERO,

Patriæ Patribus

de Publico præclariſſimè meritis

merentibusque:

Toti SENATUI

Pio, Juſto, Felici, Inclyto,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Atque

Atque
ex Ampliſſimo hoc Ordine
nominatim
VIRO EXCELLENTISSIMO
ac Celeberrimo

D. D. TOBIÆ BAUMGARTERO,
SENATORI, ARCHIATRO
& Ærarii Eccleſ. Curatori
graviſſimo,

Dominis ac Favitoribus ſuis
omni cultu devenerandis

Gratiam & benedictionem omnigenam
à Deo & Patre D. N. J. C.

ſubmiſſe adprecatur

J. J. HOFMANNUS, D. & in Acad.
Baſil. Hiſtoriar. P. P.

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI!

ECcleſiam, palmarium Sacroſanctæ Trinitatis opus eſſe, in qua univerſa DEI ſapientia & potentia, ab initio mundi, uſque ad extremum ejus finem, laboret, ac per partes attentioni noſtræ ſe præbeat ſpectandam, extra dubium eſt. Hanc in uno homine conſiſtere poſſe ac abſolvi qui ſtatuunt, numerum in unitate conſervari, vel unum civem Remp. ac cœtum facere poſſe, ſimul ſtatuant neceſſe eſt. Vox

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

ipſa multitudinem ſe dicere clamat, à DEO vocante & ſegregante unicè pendentem; quam omnem de mundo tolli poſſe, nemo aſſerere audeat, niſi cui electionem & vorticordiam DEI vocationem negare, atque in vocatorum obſequio & acceſſu, quidquid ejus eſt, ponere allubeſcat. Eâ verò non Angelos comprehendimus, qui, alium fatorum ordinem ſortiti, aliis ſub legibus ævum agitant, ac, procul à terrenæ labis contagio ſemoti, in cœleſti Aula, deſtinato munere perfunguntur. Sed multitudinem Sanctorum, quæ olim ex Adamo & Eva, quam DEUS non minùs viventium, quàm mortalium, matrem fecit, profecta, porrò omnes ſanctæ Civitatis cives ambitu ſuo complectitur, ad Angelorum demum ſocieta-

cietatem, poſtquam ſuum orbem impleverint, atque hujus vitæ paſſionibus fuerint perpurgati, adducendam. Hujus in atrio quidem reprobi ſtant atque hypocritæ, ipſius verò ſanctæ Civitatis cives non ſunt, utpote fide, ſpe ac charitate, cœteroque virtutum choro, & hinc Chriſto capite, penitùs deſtituti, ſine quo Eccleſia Chriſti eſſe non poteſt. Sed ii ſoli, qui ſacrum iſtud depoſitum caſtè ſanctéq;habent,ac verâ fide &charitate in unum corpus cum Chriſto ſecumque invicem coaleſcunt: unde membrorum omnium communio, & de communi Spiritu, quâ tanquam magnâ mente magnum hoc corpus animatur, ſparſi in totum corpus charitatis donorumque reliquorum igniculi & radii, cunctarumque partium in-

ter ſe commercium eſt. Eadem autem utriuſque Fœderis priſci ac novi, omniumque temporum: ſub Novo Teſtamento inprimis, Unica, Cantic. cap. 6. v. 8. id eſt, Catholica; ut quæ nulli loco jam aut populo adfixa, uti olim, non familiis Patriarcharum coarctata, non ſacra Judæorum gente circumſcripta, non alii denique populo elocata ac velut in ſervitutem tradita, toto quà patet Orbe ſparſa eſt, neque ullam ampliùs in terra Religionis ſedem ac matrem novit, ipſa communis omnium fidelium mater. Hujus variæ periodi, tres inprimis inſignes, quarum prima ea eſt, quâ Chriſtus in Judæa & Apoſtoli inter gentes Evangelium annuntiârunt, uſque ad apoſtaſiæ magnæ præcurſores, Cerinthum, Ebionem, Simonem

Magum,

Magum, Baſilidem, Nicolaitas, alios, indigitatos 1. Joh. c. 2. v. 18. & Auguſtino ac Philaſtrio memoratos; altera, ab apoſtaſiæ illius natalibus, uſque ad ultimam mundi ætatem pertingit, 1. Tim. c. 4. v. 1. tertia ultimam hanc ætatem complectitur, in cujus fæce nos vivimus, quamque proximè judicium vivorum mortuorumq; inſequetur, 1. Petr. cap. 1. v. 5. Non enim ulla harum Eccleſiam, vel difficillimis temporibus, toto mundo vidit extorrem. Quod adeò malè Diocletianum habuit, ut, cùm ullâ vi deleri Chriſtianum nomen non poſſe cerneret, præ animi mœrore, poſito ſceptro & coronâ, in privati hominis ſtatum redire maluerit, quàm totius Imperii vires in hac petra atterenda nequicquam porrò conſumere. Certè non ea

 ſolùm,

ſolùm, quam Inviſibilem vocamus, non deficit unquam, fidei Spiritusque fulcro nixa: ſed &, quæ Verbi ac Sacramentorum teſſeram gerit, utut non ſemper conſpicua ſit, ac publica, non tamen penitùs unquam obnubilatur. Habet quidem diverſa tempora, prout à Sole ſuo magis minusve illuſtrata purior vel impurior eſt, atque pro temporum ſeu iniquitate ſeu felicitate, aut ad cœtus coëundi, ſeque orbi oſtendendi, facultatem habet: aut inimicorum vi ac artibus diſſipata, ſimul & congregari & conſpici deſinit. At etiam tum de petrarum fiſſuris gemitus ſaltem & planctus edere non ceſſat, & vel cruore ſuo ac martyrio ſeſe in mundo non ſolùm notam, ſed & illuſtrem, reddere geſtit. Quæ Eccleſiæ perpetua hucuſque ratio,

ratio, in Veteri Teſt. egregiè adumbrata eſt, per glorioſam DEI inter Cherubinos ſuper arca habitationem, quæ *Shechina*, nomine Judæis adeò celebri, dicta, nubes erat medio ſinu igneam ſpeciem, divinum in modum ex nube coruſcantem, complexa, Exodi cap. 24. v. 16. & c. 25. v. 22. Imò adeò nihil à mundi furore damni eſt Eccleſiæ, ut, quò is major, eò majus gloriæ pondus illi circumdet. Ita ſapientiſſimè perducit ad umbilicum opus ſuum Deus, eademque operâ ſecernit ab Eccleſia hypocritas, purgat à ſordibus mundanis fideles, hoſtes vel convertit vel confundit, Diaboli cruciatus & tormenta auget, gloriam verò ac nomen ſuum toto orbe, in Eccleſia inprimis ac throno gloriæ ſuo, magis auguſtum reddit ac venera-

bile: donec ſceleratum illum penitùs abſumet Spiritu oris ſui & illuſtri ſuo adventu abolebit Chriſtus, 2. Theſſ. c. 2. v. 8. quod quando futurum ſit, in ſua ipſius auctoritate conſtituit Pater, Actor. cap. 1. verſ. 7. Atque has Eccleſiæ vices, Nubisque & Ignis, lucis & umbræ, an mixturam, an luctam, quam ſeriò ſecum meditari Chriſtiano homine adeò digna res eſt, brevi hoc Hiſtoriæ Pontificio-Cæſareæ compendio repræſentare, ac ſuccinctæ Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ, tanti ſemper in Orbe nominis, proſopographiæ, in gratiam Naziræorum Dei, cœleſti adſpirante Gratiâ, poſt tot quamvis gigantes nanus ego, illigare hîc conatus ſum.

Hanc verò opellam, ut primùm prælo exiit, ad veſtra pulvinaria,

VIRI MAGNIFICI & AMPLISSIMI, eo, quo ad tanta Nomina accedere convenit, ſacro horrore ac animi ſubmiſſione, deferre, eaque gratiæ & tutelæ veſtræ fiduciâ, quam decantata Veſtra Humanitas, ac in Literas, puriores inprimis, benignitas & favor, ſuo jure poſcit, deponere conſtitui. Quæ ſi mihi nulla eſſet, uti illuſtris ille Athenienſium quondam exul, quò majore religione ſe receptum tueretur Moloſſorum Rex, filiâ ejus parvulâ arreptâ, patris exoravit gratiam: poſſem Filiorum veſtrorum ope non minore ſucceſſu apud Vos uti. Quòd ſi enim in proximè elapſos ſolùm annos retroire liberet, prę̨ſtò hanc in rem eſſent Viri Juvenes Florentiſſimi, *Kunckleri, Spengleri, Haltmejeri*: hodieq; *Täſchleri, Höggeri,*

Huberi, *Zollicoferi*, alii, ſanguine Vobis, cognatione, notitiaq; & curâ paternâ conjunctiſſimi omnes, qui non Academiam ſolùm noſtram, pietate, modeſtiâ, morum elegantiâ, induſtriaque ſua jugi, exornantes, Patriæ ſuæ dilectiſſimæ famam apud nos augent, deſiderium acuunt: ſed & paulò familiariùs mihi noti fuerunt, ſuntque etiamnum, & arctiori converſationis nexu maximâ parte colligati. Eſſet eximius veſter noſterq; Civis *Dn. Uriel Ritzius*, Reipubl. noſtræ CC. Vir, Pharmaceuticæ Medicæque Rei peritiſſimus, omni virtutum genere egregiè excultus, mihique amiciſſimus. Sed faciles aditus ipſa Veſtra Gravitati egregio temperamento miſta Comitas pandit: cujus ſpecimen haud unum mihi à longo tempore exhibuit, ex

AM-

AMPLISSIMO ORDINE VESTRO, Vir Graviſſimus & Excellentiſſimus, D. D. TOBIAS BAUMGARTERUS, Senator, Archiaterque veſter optimè meritus, præſidium & grande decus meum, cujus virtutes & eruditionem omnigenam, jam à ſeptem retro luſtris, nôſſe atque admirari, non minima felicitatis meę pars fuit. Accedo itaque, &, uti hactenus privatim, ita jam publicè Sacrarii Veſtri, AMPLISSIMI PROCERES, limina, antiquitate veneranda, Fœderis Helvetici robore undique munita, rerum fortiſſimè domi foriſque geſtarum, negotiationis feliciſſimâ dexteritate per omnes mundi partes explicatæ, orthodoxiæ præ primis ſummo cum zelo, uti aliorum, ita *magni* pręcipuè *Vadiani* veſtri operâ (cui, ut

ut veſtri Apollinis modò dicti verbis utar, *Plus veſtra debet civitas, Quàm Tullio olim Roma vel Demoſtheni Oppreſſa Græcia*) maturè revocatæ, atque ad hæc uſque tempora auſpicatiſſimè propagatæ; gloriâ ſuſpicienda, venerabundus amplector. Non tamen ſine aliqua nube animi, quam cupreſſus poſtibus veſtris nondum ſatis refixa offundit, memoriam refricans Conſulis heu! nuperrimè adhuc Veſtri, D. JOH. JOACHIMI HALTMEIERI, Viri, recti juſtique tenaciſſimi, Patriæ amantiſſimi, & rerum ſacrarum Adminiſtris, quæ præcipua piorum dos Regentûm, dum viveret, faventiſſimi, Patroni mei deſideratiſſimi, Vobis haud pridem ſubitâ, ſed glorioſâ morte, erepti. Non leviter verò diſpellit, huic Atlanti paulò

pôſt,

poſt, divinâ Providentiâ Rei Veſtræ ſic cœlitus proſpiciente, ſurrogati Herculis cogitatio, Ampliſſ. Conſulis DN. HENRICI HILLERI, in defuncti Beati locum fauſtiſſimis auſpiciis electi, quę ut rata omniq́ue benedictione cumulata, ac perennia jubeat eſſe DEUS, animitus precor. Sic ex Fœderata Vobis Civitate accedentem, Magnificentiæ & Glorię Veſtræ, Gentisq́ue, cui præſidetis, inclytę, cultorem indefeſſum, admittite propitii, PATRES ac PROCERES AMPLISSIMI, hocq́ue qualecunque venerationis monumentum offerentem, faciles excipite: cui ſi nulla ab Auctore gratia, at ab argumento dignatio erit, ſatis videlicet Eccleſiæ, pupillę illius oculi DEI O. M. cujus unius gratiâ Politias in hac inferioris

mundi

mundi ſcena conſervari certum eſt, in priſtinum mox chaos relapſuras, quamprimum militiam ejus finire Supremo Agonothetæ fuerit viſum. Accedet pondus à precibus ac votis, quę pro Vobis, VIRI AMPLISSIMI ac MAGNIFICI, pro Veſtro Publico Privatoque Bono, ad Deum ferventiſſima fundo. Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, qui Eccleſiam ſuam & humeris & in pectore gerit, ad inſtar veteris Pontificis, nomina filiorum Iſraëlis, gemmis incluſa, utraque hac in corporis parte geſtare olim ſoliti, ipſe nactus Sacerdotium, quod ad alium tranſire non poteſt, *Inclytam REM PUBLICAM, Eccleſiam, Scholam, Familias, Patriam Veſtram totam* florentiſſimam, hujusq; *VOS Lumina Columinaq;* lucidiſſima & firmiſſima,

ma, cum *Veſtris omnibus*, porrò humeris ſuis & in pectore gerat, ab inſidiis & aperta vi felicitati veſtræ invidentiũ, ab aëris injuriis & tempeſtatibus, ab omni alio malo potentiſsimè tueatur, ac protegat. Conſiliis conatibusque veſtris benedicat cœlitus! Sit pax in præmunitione veſtra, tranquillitas in palatiis veſtris. Habitet gloria ejus porrò in terra veſtra: Benignitas & Fides occurrant inter ſe, juſtitia & pax oſculentur ſe: Fides è terra germinet & juſtitia è cœlis proſpectet, in ſera uſq; ſecula! Idem Princeps Paſtor Animarum noſtrarum, fideles ubiq; locorum in afflictionum, hęreſium, errorumque igne, inſtar auri purgatiſsimi, reddat probatos, ac mittat illis tempora refrigerii, ne æſtu nimio victi defetiſcant: det, ut in timore ac tre-

more ſalutem noſtram operantes exerto capite expectemus omnes liberationem Filiorum Dei, per affulgentiam adventus ſui: pro cujus mora non ampliùs, quod Veteres fecerunt, precamur, ſed ut accelerare eum potiùs dignetur, cum Johanne Evangeliſta & Apoſtolo, rogamus ſupplices! Vivite, Valete æternùm!

Scribebam Baſileæ, d. 13. Auguſti, An. C. M. DC. LXXXVII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

P*Oſtquam* Epitome *mea* Hiſtoriæ Univerſalis metrica *viſa fuit non diſplicuiſſe Publico, conſtitui, non tam ſponte meâ, quàm Amicorum monitu excitatus, eadem ratione ac methodo adornatam* Hiſtoriam Paparum *ſeu* Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, *ejusdem favori commendare, ac judicio ſubmittere. Quam quidem ſic inſtitui, ut cujuslibet Eorum præcipua, ſimiliter* Tetraſticho mnemonico *incluſa*, Enarratione Hiſtorico-Chronologicâ *ſubnexâ, fuſiùs itidem ediſſererentur, ſerie ita continua, ut, quibus ad verſus attendere*

non

non lubet, perpetuo filo contextam hiſtoriam, ſine offenſione ulla, pellegere poſſint. Et primò quidem Paparum ſeu Epiſcoporum præfatæ Eccleſiæ, quos in VIII. Periodos dividere placuit, ſuccinctam proſopographiam exhibeo: cui parallelam adjungo Hiſtoriam Cæſaream, ut, quid iis cum Imperatoribus tum Ethnicis, tum Chriſtianis: hisq; tum Orientalibus, tum Occidentalibus, negotii per omnia à Chriſto Nato ſecula fuerit, velut in typo, conſpiciatur. Quo nomine Pontificio-Cæſareæ Hiſtoriæ *compendium hoc quidquid eſt fortè non malè appellare poſſis. Addo breviter, quidquid in cæteris quoque Eccleſiis, Patriarchalibus inprimis, atque adeò Eccleſiâ Catholicâ, ubique locorum & gentium, memoratu dignum, ſub quovis Pontifice, ſeſe obtulit: Seriem inter alia Patriarcharum præcipuè,*

qui

qui IV. illuſtriores Orientis Eccleſias, Conſtantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam & Hieroſolymitanam, rexere, aliorumq́ inſuper, per ſecula complura, ordinem & ſucceſſionem: Concilia porrò & Synodos celebriores, Oecumenicas præſertim, ac quæ in iis acta: Perſecutionum periodos: Hæreſium Errorumq́ omnis generis, Apoſtaſiæ inprimis magnæ, natales, progreſſum, cum Veritate hujusq́ Teſtibus, per omnia ſecula, luctam ac vices varias, aliaq́ huc pertinentia. Intermixta ſacræ narrationi, jucundæ varietatis ergò, ſuccincta Regnorum omnium, & quæ illa memorabilia, in literis, in armis, in aliis, ſuggerunt, deſcriptio. Omnia ſtylo ſimplici & hiſtorico, adeoq́ ſic adverſariis quoque parcente, ut, ſi quid minùs grati enarrandum erat, veritate ſic requirente, non niſi ejuſdem Communionis

nionis

nionis Auctoribus teſtibusq́ dicere-tur, quorum ipſorummet teſtimonia nonnunquam eâ tantùm parte pro-tuli, quâ, ſine tamen veritatis jactu-ra, minus offenſionis allatura vide-bantur, ne vitiis erroribusq́ iraſci, quàm peccantium errantiumq́ com-miſeratione ac curâ tangi, potiùs velle viderer. Abunde enim ſua Ve-ritati conſtat ratio, vel ex milleſima eorum, quæ apud adverſarios de ipſis adverſariis legimus, parte, ut ſic multa premere, ne quid ſcandali puſillus animo patiatur, ſi quando videre contigerit abominationem deſolationis in Templo, *quæ verba ſunt Card. Baronii* ad an. C, D C C C C. §. I. *conveniat, quò & ſua Charitati ratio conſtet. Auctores, quibus uſus ſum, enumerare nil attinet, laudan-tur fideliter, ubi illorum neceſſaria auctoritas: non tamen omittendus*

Vir

Vir Clariſſimus Johannes le Sueur Theologus Gallus, è cujus Hiſtoria Eccleſiaſtica, octo priora à Nato Christo *ſecula emensâ, vernaculoq; ſermone ſcriptâ, non pauca in hanc noſtram Hiſtoriam, veniâ ejus præfatâ, tranſtulimus, ut egregia illa, quæ hactenus Gallicè tantùm ſonabant, Latinè quoque innoteſcerent. Adjeci Indices varios,* Parallelum *inprimis* Cæſarum Pontificumque, *per omnia ſecula, &* Rerum Verborumq; *locupletiſſimum, è quo, quid rerum in parvo hoc opere contineatur, eò faciliùs pervideas. Finiebam, niſi duo te monere adhuc viſum eſſet, B. Lector. Unum, alicubi in Enarratione literas alphabeticas ſeu notas literales ordine paulùm inverſo reperiri, quod inde factum, quia metri ratio aliquando cogebat, ut, quæ poſteriori loco ſunt ge-*

ſta, priori indigitarentur, Enarratio verò utique ordinem temporis exactè ſervat: ſed eo minus offenſionis id creabit, quò rariùs id accidit, & fortè non niſi in Agathone, Zacharia *&* Stephano III. *Part. I.* ac Martino IV. *Part. II. reliquo toto Hiſtoriæ contextu, literarum ordo nativus, eo quo tenore debet, procedit. Alterum, verſus technicos, Pontificum nomina utcunque, ſono ſc. Poëticis auribus minùs grato, comprehendentes, tantùm non invito mihi, Typothetæ, ut vacuarum illarum pagellarum album nigro quoque illineretur aliquo, enixè rogantis, importunitatem extorſiſſe. Vale.*

NOMINA ET SERIEM CONTINENS PAPARUM SEU EPISCOPORUM ECCLESIÆ ROMANÆ,

Quorum Hiſtoria duplici hoc Volumine exhibetur.

IN PARTE I.

PRoœmium, pag. 2.

Initia Eccleſiæ Romanæ, p. 16.

Simon Petrus, Servus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, p. 21.

EPISCOPORUM ROM. PERIODUS I.

XXXII. EPISCOPI ROM. MARTYRES.

I.	1.	*LInus*	p. 31.
II.	2.	*Clemens I.*	p. 35.

III.	3.	*Cletus*	p. 39.
IV.	4.	*Anacletus* I.	p. 41.
V.	5.	*Evariſtus*	p. 45.
VI.	6.	*Alexander I.*	p. 48.
VII.	7.	*Sixtus ſ. Xyſtus* I.	p. 52.
VIII.	8.	*Teleſphorus*	p. 55.
IX.	9.	*Hyginus*	p. 60.
X.	10.	*Pius I.*	p. 64.
XI.	11.	*Anicetus*	p. 67.
XII.	12.	*Soter*	p. 71.
XIII.	13.	*Eleutherius*	p. 76.
XIV.	14.	*Victor I.*	p. 81.
XV.	15.	*Zephyrinus*	p. 84.
XVI.	16.	*Calliſtus ſ. Calixtus I.*	p. 91.
XVII.	17.	*Urbanus I.*	p. 93.
XVIII.	18.	*Pontianus*	p. 97.
XIX.	19.	*Anterus*	p. 99.
XX.	20.	*Fabianus*	p. 101.
XXI.	21.	*Cornelius*	p. 106.
XXII.	22.	*Lucius I.*	p. 109.
XXIII.	23.	*Stephanus I.*	p. 111.
XXIV.	24.	*Sixtus II.*	p. 115.

XXV.

Digitized by Google

XXV.	25.	*Dionyſius*	p. 117.
XXVI.	26.	*Felix I.*	p. 122.
XXVII.	27.	*Eutychianus*	p. 125.
XXVIII.	28.	*Cajus ſ. Gajus I.*	p. 129.
XXIX.	29.	*Marcellinus*	p. 133.
XXX.	30.	*Marcellus I.*	p. 140.
XXXI.	31.	*Euſebius*	p. 144.
XXXII.	32.	*Melchiades*	p. 147.

PERIODUS II.

XXXIV. Episcopi Rom.
usque ad Bonifacium III.

I.	33.	*Sylveſter I.*	p. 151.
II.	34.	*Marcus I.*	p. 165.
III.	35.	*Julius I.*	p. 166.
IV.	36.	*Liberius*	p. 173.
V.	37.	*Felix* II.	p. 181.
VI.	38.	*Damaſus I.*	p. 182.
VII.	39.	*Syricius*	p. 191.
VIII.	40.	*Anaſtaſius I.*	p. 199.
IX.	41.	*Innocentius I.*	p. 203.
X.	42.	*Zoſimus*	p. 212.

XI.	43.	*Bonifacius I.*	p. 216.
XII.	44.	*Cæleſtinus I.*	p. 219.
XIII.	45.	*Sixtus III.*	p. 226.
XIV.	46.	*Leo I. Magnus*	p. 232.
XV.	47.	*Hilarius*	p. 244.
XVI.	48.	*Simplicius*	p. 247.
XVII.	49.	*Felix III.*	p. 256.
XVIII.	50.	*Gelaſius I.*	p. 262.
XIX.	51.	*Anaſtaſius II.*	p. 267.
XX.	52.	*Symmachus*	p. 270.
XXI.	53.	*Hormiſdas*	p. 277.
XXII.	54.	*Johannes I.*	p. 285.
XXIII.	55.	*Felix V.*	p. 287.
XXIV.	56.	*Bonifacius II.*	p. 291.
XXV.	57.	*Johannes II.*	p. 293.
XXVI.	58.	*Agapetus I.*	p. 297.
XXVII.	59.	*Sylverius*	p. 300.
XXIIX.	60.	*Vigilius*	p. 304.
XXIX.	61.	*Pelagius I.*	p. 314.
XXX.	62.	*Johannes III.*	p. 318.
XXXI.	63.	*Benedictus I.*	p. 325.
XXXII.	64.	*Pelagius II.*	p. 327.

XXXIII.

XXXIII. 65. *Gregorius I. Magnus* p. 337.
XXXIV. 66. *Sabinianus* p. 355.

PERIODUS III.

XLIX. EPISCOPI ROM. ANTE BONIFACIUM VI.

I. 67. *Bonifacius III.* p. 356.
II. 68. *Bonifacius IV.* p. 361.
III. 69. *Deusdedit ſeu Deodatus ſeu Adeodatus I.* p. 364.
IV. 70. *Bonifacius V.* p. 367.
V. 71. *Honorius I.* p. 372.
VI. 72. *Severinus* p. 381.
VII. 73. *Johannes IV.* p. 382.
VIII. 74. *Theodorus I.* p. 384.
IX. 75. *Martinus I.* p. 388.
X. 76. *Eugenius I.* p. 391.
XI. 77. *Vitalianus* p. 392.
XII. 78. *Adeodatus II.* p. 398.
XIII. 79. *Domnus ſ. Dono I.* p. 400.
XIV. 80. *Agatho* p. 402.

XV.	81.	*Leo II.*	p. 410.
XVI.	82.	*Benedictus II.*	p. 412.
XVII.	83.	*Johannes V.*	p. 413.
XVIII.	84.	*Conon ſeu Cuno*	p. 415.
XIX.	85.	*Sergius I.*	p. 417.
XX.	86.	*Johannes VI.*	p. 425.
XXI.	87.	*Johannes VII.*	p. 428.
XXII.	88.	*Siſinnius*	p. 431.
XXIII.	89.	*Conſtantinus I.*	p. 432.
XXIV.	90.	*Gregorius II.*	p. 438.
XXV.	91.	*Gregorius III.*	p. 447.
XXVI.	92.	*Zacharias*	p. 452.
XXVII.	93.	*Stephanus II.*	p. 461.
XXVIII.	94.	*Stephanus III.*	ibid.
XXIX.	95.	*Paulus I.*	p. 469.
XXX.	96.	*Conſtantinus II.*	p. 473.
XXXI.	97.	*Stephanus IV.*	p. 475.
XXXII.	98.	*Adrianus I.*	p. 479.
XXXIII.	99.	*Leo III.*	p. 494.
XXXIV.	100.	*Stephanus V.*	p. 502.
XXXV.	101.	*Paſchalis I.*	p. 504.
XXXVI.	102.	*Eugenius II.*	p. 507.

XXXVII. 103. *Valentinus* p.510.
XXXVIII. 104. *Gregorius IV.* p.511.
XXXIX. 105. *Sergius II.* p.517.
XL. 106. *Leo IV.* p.519.
XLI. 107. *Johannes VIII. fœm.* p.524.
XLII. 108. *Benedictus* III. p.528.
XLIII. 109. *Nicola9* I. *Magn.* p.530.
XLIV. 110. *Adrianus* II. p.535.
XLV. 111. *Johannes* IX. p.539.
XLVI. 112. *Martinus* II. *ſ. Marinus* I. p.544.
XLVII. 113. *Adrianus* III. p.546.
XLVIII. 114. *Stephanus* VI. p.548.
XLIX. 115. *Formoſus* p.551.

IN PARTE II.

PERIODUS IV.

XLVIII. EPISCOPI ROM. ANTE GREGORIUM VII.

I. 116. *Bonifacius* VI. p.4.
II. 117. *Stephanus* VII. p.5.

III.	118.	*Romanus*	p. 8.
IV.	119.	*Theodorus II.*	p. 9.
V.	120.	*Johannes X.*	p. 11.
VI.	121.	*Benedictus IV.*	p. 13.
VII.	122.	*Leo V.*	p. 15.
VIII.	123.	*Chriſtophorus*	p. 16.
IX.	124.	*Sergius III.*	p. 17.
X.	125.	*Anaſtaſius III.*	p. 19.
XI.	126.	*Lando*	p. 21.
XII.	127.	*Johannes XI.*	p. 22.
XIII.	128.	*Leo* VI.	p. 28.
XIV.	129.	*Stephanus* VIII.	p. 29.
XV.	130.	*Johannes* XII.	p. 30.
XVI.	131.	*Leo* VII.	p. 33.
XVII.	132.	*Stephanus* IX.	p. 34.
XVIII.	133.	*Martinus* III. *ſ. Marinus* II.	p. 36.
XIX.	134.	*Agapetus* II.	p. 38.
XX.	135.	*Johannes* XIII.	p. 41.
XXI.	136.	*Leo* VIII.	p. 47.
XXII.	137.	*Benedictus* V.	p. 49.
XXIII.	138.	*Johannes XIV.*	p. 51.

XXIV.

XXIV.	139. *Domnus ſ. Don*⁹ *II.*	p. 54.
XXV.	140. *Benedictus* VI.	p. 55.
XXVI.	141. *Bonifacius* VII.	p. 57.
XXVII.	142. *Benedictus* VII.	p. 59.
XXVIII.	143. *Johannes XV.*	p. 62.
XXIX.	144. *Johannes XVI.*	p. 63.
XXX.	145. *Johannes XVII.*	p. 64.
XXXI.	146. *Gregorius V.*	p. 67.
XXXII.	147 *Johannes XVIII.*	p. 70.
XXXIII.	148. *Sylveſter* II.	p. 71.
XXXIV.	149. *Johannes XIX.*	p. 76.
XXXV.	150. *Johannes XX.*	p. 77.
XXXVI.	151. *Sergius* IV.	p. 80.
XXXVII.	152. *Benedictus* VIII.	p. 81.
XXXVIII.	153. *Johannes XXI.*	p. 85.
XXXIX.	154. *Benedictus* IX.	p. 89.
XL.	155. *Sylveſter* III.	p. 94.
XLI.	156. *Gregorius* VI.	p. 96.
XLII.	157. *Clemens* II.	p. 98.
XLIII.	158. *Damaſus* II.	p. 100.
XLIV.	159. *Leo* IX.	p. 101.
XLV.	160. *Victor* II.	p. 105.

XLVI. 161. *Stephanus X.* p.107.
XLVII. 162. *Nicolaus* II. & *Benedictus X.* p.108.
XLVIII. 163. *Alexander* II. p.111.

PERIODUS V.

XXXIIX. Episcopi Rom. ante Bonifacium VIII.

I. 164. *Gregorius* VII. p.117.
II. 165. *Clemens* III. *al. Antipapa* p.128.
III. 166. *Victor* III. p.130.
IV. 167. *Urbanus* II. p.131.
V. 168. *Paſchalis* II. p.137.
VI. 169. *Gelaſius* II. p.145.
VII. 170. *Calixtus* II. p.146.
VIII. 171. *Honorius* II. p.149.
IX. 172. *Innocentius* II. p.151.
X. 173. *Anacletus* II. p.156.
XI. 174. *Caleſtinus* II. p.158.
XII. 175. *Lucius* II. p.159.

XIII.

XIII. 176. *Eugenius* III. p.160.
XIV. 177. *Anaſtaſius* IV. p.163.
XV. 178. *Adrianus* IV. p.165.
XVI. 179. *Alexander* III. p.168.
XVII. 180. *Lucius* III. p.173.
XVIII. 181. *Urbanus* III. p.175.
XIX. 182. *Gregorius* VIII. p.176.
XX. 183. *Clemens* III. p.177.
XXI. 184. *Cæleſtinus* III. p.179.
XXII. 185. *Innocentius* III. p.181.
XXIII. 186. *Honorius* III. p.186.
XXIV. 187. *Gregorius IX.* p.190.
XXV. 188. *Cæleſtinus* IV. p.195.
XXVI. 189. *Innocentius* IV. p.196.
XXVII. 190. *Alexander* IV. p.203.
XXIIX. 191. *Urbanus* IV. p.207.
XXIX. 192. *Clemens* IV. p.209.
XXX. 193. *Gregorius X.* p.211.
XXXI. 194. *Innocentius* V. p.213.
XXXII. 195. *Adrianus* V. p.214.
XXXIII. 196. *Johannes XXII.* p.215.
XXXIV. 197. *Nicolaus* III. p.216.

XXXV. 198. *Martinus* IV. p. 218.
XXXVI. 199. *Honorius* IV. p. 220.
XXXVII. 200. *Nicolaus* IV. p. 222.
XXXIIX. 201. *Cæleſtinus* V. p. 224.

PERIODUS VI.

XXVII. EPISCOPI ROM. ANTE LEONEM X.

I. 202. *Bonifacius* VIII. p. 228.
II. 203. *Benedictus* XI. p. 231.
III. 204. *Clemens V.* p. 232.
IV. 205. *Johannes* XXIII. p. 237.
V. 206. *Benedictus* XII. p. 244.
VI. 207. *Clemens* VI. p. 246.
VII. 208. *Innocentius* VI. p. 250.
VIII. 209. *Vrbanus V.* p. 253.
IX. 210. *Gregorius* XI. p. 255.
X. 211. *Urbanus* VI. p. 258.
XI. 212. *Bonifacius* IX. p. 263.

XIV. 213.

XII. 213. *Innocentius* VII. p. *268.*
XIII. 214. *Gregorius* XII. p. *270.*
XIV. 215. *Alexander* V. p. *272.*
XV. 216. *Johannes* XXIV. p. *274.*
XVI. 217. *Martinus* V. p. *279.*
XVII. 218. *Eugenius* IV. p. *283.*
XVIII. 219. *Felix* V. p. 288.
XIX. 220. *Nicolaus* V. p. 289.
XX. 221. *Calixtus* III. p. 293.
XXI. 222. *Pius* II. p. 295.
XXII. 223. *Paulus* II. p. 298.
XXIII. 224. *Sixtus* IV. p. 301.
XXIV. 225. *Innocentius* VIII. p. 304.
XXV. 226. *Alexander* VI. p. 306.
XXVI. 227. *Pius* III. p. 311.
XXVII. 228. *Julius* II. p. *312.*

PERIO-

PERIODUS VII.

VIII. EPISCOPI ROM. ANTE PIUM V.

I.	229. *Leo* X.	p. 316.
II.	230. *Adrianus* VI.	p. 320.
III.	231. *Clemens* VII.	p. 323.
IV.	232. *Paulus* III.	p. 327.
V.	233. *Julius* III.	p. 333.
VI.	234. *Marcellus* II.	p. 335.
VII.	235. *Paulus* IV.	p. 336.
VIII.	236. *Pius* IV.	p. 339.

PERIODUS VIII.

XVI. EPISCOPI ROM. uſque ad noſtram ætatem.

I.	237. *Pius* V.	p. 343.
II.	238. *Gregorius* XIII.	p. 346.
III.	239. *Sixtus* V.	p. 352.
IV.	240. *Urbanus* VII.	p. 355.

V. 241.

V.	241.	*Gregorius XIV.*	p. 356.
VI.	242.	*Innocentius IX.*	p. 358.
VII.	243.	*Clemens VIII.*	p. 359.
VIII.	244.	*Leo XI.*	p. 364.
IX.	245.	*Paulus V.*	p. 365.
X.	246.	*Gregorius XV.*	p. 371.
XI.	247.	*Urbanus VIII.*	p. 374.
XII.	248.	*Innocentius X.*	p. 381.
XIII.	249.	*Alexander VII.*	p. 385.
XIV.	250.	*Clemens IX.*	p. 393.
XV.	251.	*Clemens X.*	p. 395.
XVI.	252.	*INNOCENTIUS XI.*	p. 399.

Iidem

IIDEM

PHILIPPI LABBÆI

Bituricenſ.

VERSIBUS TECHNICIS ***leviter immutatis & auctis Pontificum,*** *quos ille omiſit, nominibus, ſuccinctè comprehenſi.*

PARS PRIOR.

Poſt Linum, Clemens *primus,* Cletusque, Anacletusq;,
Evariſtus, Alexander, Sixtumq;, Teleſphor
Hyginumq;, *ſequens* Pius, *ut* Soter Anicetum.
Surgit Eleutherius *poſt hunc,* Victor, Zephyrinus;
Calliſto Urbanus, Ponti Anterus & Fabianus,
Cornelio Lucius, Stephano & Sixto Dionyſus,
Felici Eutychius, Cajo *hæret* Marcellinus.
Marcellum Euſebiusq; & Melchiades *comitantur,* Syl-

Sylveſtrum Marcus, Julium Liber Felixque,
Mox Damaſus, *poſt hunc* Syricius, *atque celébri*
Hæret Anaſtaſio Innocuus, *qui hoc nomine primus.*
Zoſimus *&* Bonifac. Cæleſtinusque *ſequuntur,*
Succedit Sixtus, Leo *mox cognomine Magn'*,
Atque Hilarus, *cum* Simplicio, Felix Gelaſusque,
Alter Anaſtaſius, *tum* Symmachus Hormisdas*que.*
Johannes, Felix, Bonifac. Johann. Agapetus.
Sylverius, Vigilus, Pelagus, Johann. Benedictus,
Pelagiusque *alter*, *cum* Gregorio, *atque* Sabino.
Tertius & quartus Bonifacius *huncce ſequuntur,*
Inde Deusdedit, *&* Bonifac. *vnq; acris* Honorî,
Atq; Severinus, Johannes, *cum* Theodoro.
Martino Eugenius *ſuccedit,* Vitalianus,

Huicq;

Huicq; Deusdedit, *ac* Domnus, *trudensque*
Agathonem,
Mox Leo, *quem ſequitur* Benedictus, Johannesque,
Cuno, Sergius, *atq; iterum bini* Johannes.
Hinc Siſinni⁹, *hinc* Conſtantin⁹ Gregorasq;.
Tertius hinc Gregoras, Zacharias *inde, duoq;*
Mox Stephani, Paulus, Conſtantinus*que* *ſecundus*.
Hunc Stephanus *quartus primusq;* Adrianus *adurgent*,
Hunc Leo, *quem* Stephanus *trudit*, Paſchalis *at iſtum*,
Eugeniusq;, Valentinusq;, Gregorius *illi*
Succedit, Sergî *ſucceſſor fit* Leo *quartus*.
Fœmina Johañes, Benedictus, *poſt* Nicola⁹,
Quem Magnum dicunt, Adrianus, Johannesq;,
Poſt Martinum Adrianus *adeſt*, Stephanusque, *ſequensque*
Qui ſeriem partis claudis, Formoſe, *prioris*.

PARS POSTERIOR.

Incipit hanc Facie-Bonus, *&* Stephanus, Romanusque,
Et Theodoro, Johannes, Benedicte, Leoq;

Juncti:

Juncti: Chriſtophore *hunc ſequeris,* Sergi-
que ſceleſte.
Urget Anaſtaſium, Lando, Johann*que*
Leo*que,*
Hunc Stephanus, Johann*que iterum,* Leo
mox, Stephanusq;,
Martinusq;, Agapetusq;, *hunc* Johannq;
Leoq;.
Huic hæret Benedictus, Johannesq;, Do-
nusq;,
Mox Benedictus *eum,* Bonifacius, *&* Be-
nedictus
Urgent, Johannes *terni,* Gregoramq; *ſe-
quutus*
Johannes, Sylveſtro *hærent duo, nomine*
Jani.
Sergius *his,* Benedic. Johannes, *&* Bene-
dictus,
Sylveſter, Gregoras, Clemens, Damaſus-
que, Leoq;.
Victorem, Stephanus, Nicolaum *ſed* Be-
nedictus,
Trudit Alexandrum Gregoras, Clemens,
Victorq;;
Urbanum, Paſchal. Gelaſus, Calliſtus,
Honorî *Nomine*

Nomine præfulgens, Innoxius, *atque* Anacletus.

Mox Cæleſtinum Lucius: *ſuccedit at iſti*
Eugenius, *ſed* Anaſtaſius, *cuiq;* Adria *nomen*
Fecit, Alexanderq; *iſtum*, Luciumque *ſequutus*
Excipit Urbanus, Gregoras, Clemens, Cæleſtis.
Innocuo *ſed* Honorius, *atque* Gregorius *iſti*,
Huic Cæleſtinus, *rurſumq;* Innoxius *illi*
Hæret, Alexandrum Urbanus Clemensq; *ſequuntur*.
Gregorius *poſt hos*, Innoxius *atque* Hadrianus,
Johannes, Nicolas, Martinus, Honorius, *atque*
Nicoleos, Cæleſtinus, Bonifac. Benedictus.
Ad Rhodanum Clemens, Johannes & Benedictus,
Clemens, Innocuusq;, Urbanus Gregoriusq;.
Deîn Romæ ad Tiberim Urbanus, Bonifacius, Inno-

Centius,

Centius, & Gregoræ *ſuffectus* Alexius, *iſti*
Johannes, Mars, Eugenius, Felix, Nicolaus.
Calliſtus, Pius, & Paulum *mox* Sixtus *adurgens*
Innocuum *ſed* Alexander, Pius, *acer* Jülus,
Atque Leo *decimus*, *Batavusq;* Adrianus, & *iſtum*
Inſequitur Clemens, Paulus, *quem* Julius *urget*,
Marcellus, Paulus, Pius *unus & alter*; *utriq;*
Gregorius, Sixtusq; *hærent*, Urbanus *at iſti*,
Et Gregoras, Innoxius *huic*, Clemensq́ue Leoq́ue.
Poſt Paulum Gregoras, *poſt hunc* Urbanus *habenas*,
Innocuus *poſt hunc tenuit*, *ſed* Alexius *iſtum*
Excepit, *gemin9* Clemens *ſucceßit at huicce*,
Undecimus faſces jam fert INNOXIUS *iſtos*.

Viri Generoſi

DN. ALEXANDRI PEIERI,
Ill. Reip. Scaphuſianæ à Conſiliis
int. Bellicis & Labarophori,
ad Auctorem,

ΤΕΤΡΑ'ΣΤΙΧΟΝ.

LExicon egregii confert Tibi
magna laboris
Nomina, & ingenium Carmi-
na fuſa ferunt.
Hiſtoriæ flumen parvis includere
rivis
Cæſareæ nôſti Pontificumque
ſimul.

HISTO-

HISTORIA
PAPARUM
SEU
EPISCOPORUM
ECCLESIÆ
ROMANÆ
A primis ejus incunabulis uſque ad noſtram ætatem,

Brevi metro comprehenſa.

PARS I.

Continens ſeriem eorum,

uſque ad

BONIFACIUM VI.

HISTORIA PAPARUM
Seu
EPISCOPORUM ECCLESIÆ ROMANÆ,
Brevi metro comprehenſa.
PARS I.

PROOEMIUM.

Roma (a) *diu in tenebris, falſi & caligine* (b), *merſa,*
Tandem Evangelii (c) *ſorte beata fuit.*
Quam Veri *lucem quo pacto acceperit uſq; huc*
Pontificũ (d) *ſeries heic memoranda dabit.*

ENARRATIO.

(a) ABorigines, *auctores, conditoréſq; Romani generis, Italiæ indigenas,* fuiſſe memorat Dionyſius Halicarn. *lib.* 1. quos ſic appellatos, *quòd errantes convenerint in agrum, qui nunc eſt populi Romani*, docet Feſtus Pompejus. *Genus indocile ac montibus altis diſper-*

diſperſum compoſuiſſe, legèſque dediſſe Saturnum, apud Maronem reperias *Æn. 8.* qui Italumque patremque Sabinum, Saturnumque ſenem Janumque bifrontem, inter *primos ab origine Reges* memorat *lib. prac.* Et quidem, cùm à Siculis diuturno bello premerentur, à Pelaſgis ſubſidium accepiſſe, duce Jano, Erechthei, Athenienſium Regis, ex Creuſa filia nepote, qui novum Aboriginum regnum fundaverit, docet idem Dionyſius ubi ſuprà, Author inſuper *Orig. gentis Rom. in princ. c. 2.* Auguſtinus *de Civ. Dei l. 7. c. 14.* Macrobius, Ovidius *Faſtorum l. 1.* Solinus *cap.* 8. Alii: quod circa ann. M. 2727. cùm Gideon apud Iſraëlitas Judicem ageret, factum vult Cl. Megerlinus *Indice Hiſtorico-Chronol.* Helvicus, ad Samgaris, in eadem gente, Judicis tempora, & annum M. 2621. rejicit *Theatro Hiſtor.* Hoc, 148. annis poſt, annis 60. poſt Evandri Arcadis in Italiam adventum, 50. poſt Herculis in eadem bella, Æneas Trojanus, ductâ Latini, ultimi Aboriginum Regis, filiâ, ad ſe tranſtuliſſe, à quo proin Dynaſtia II. Æneadarum orta, ac priores Italiæ incolæ Trojanis permixti, communi *Latinorum* nomine in poſterum fuerint inſigniti, Romaniſque originem dederint, legitur, apud Dionyſium *lib. 1. cap. 64.* Livium *Dec. 1. l. 1. capp. 1.* & *2.* Meſſalam *de Progenit. Aug.* Strabonem *l. 5.* & 13. Juſtinum *lib. 43. cap. 1.* Solinum *c. cit.* Alios. Certè, præter Poëtas & Hiſtoricos, & Cæſaris, (qui à Venere Æneæ matre genus ſuum arceſſere amabat, teſte Suetonio *in eo c. 6.*) familiares, Senatus ipſe totusq́ Populus Rom. origines ſuas ad Trojanos referens, hoc ipſum fundamentum eſſe voluit privilegiorum ac immunitatum omnium, quas variis temporibus Romani indulſere Ilienſibus, aut pro eis rogaverunt: quarum prima lineamenta in literis

à S. PQ. R. ad Seleucum R. ſcriptis, in quibus ipſi promittunt fœdus & amicitiam cum illo futuram, ſi *conſanguineos ſuos* Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet, compareat. Attuliſſe autem ſecum *Minervam, Veſtam, Venerem* & *Cabiros*, diſcas ex Dionyſio *lib.* 10. Solino *cap.* 2. Virgilio *Æneidos l.* 1. 2. 3. Macrobio *Saturnal. lib.* 2. *cap.* 4. Lucano *lib.* 9. Aliis. Verùm Æneam nunquam Aſiâ egreſſum, neque Aſcanium, poſteroſque ejus, in Italiam veniſſe unquam, multorum Auctorum teſtimoniis probat, apud Feſtum voce *Roma*, Agathocles Cyzicenſis, quâ de re vide Sam. Bochartum *Epiſt. ad Dn. de Segrais*, quâ quæſtionem hanc, *Num Æneas unquam fuerit in Italia*, eruditè pertractat: adde eundem Romanorum veram originem, ex Citiis, filio Javanis tertiògenito Citthim, Gen. *cap.* 10. *v.* 4. oriundis, demonſtrantem, *Geogr. Sacr. l.* 3. *c.* 5. Dynaſtiam III. Romulus condidit, urbis Romæ auctor, ann. M. 3301. juxta calculum Cl. Megerlini, 3198. juxta Helvicum *d. l.* à quo ſeries Regum, Hiſtoriæque Romanæ, ordine deducitur. (*b*) E qua in præſens id unum delibo, quod Sacra priſcæ gentis ac Religionem ſpectat, ſic viam inſtituto ſtraturus. Quando hi Javanis (Japheto Noahi filio geniti) poſteri, à vero Numinis cultu, deflectere inceperint, dicere proclive non eſt: id verò, jam primam Aboriginum memoriam denſæ Gentiliſmi nebulæ involutam deprehendi. Origo mali ab Oriente, unde & generis. Primam & antiquiſſimam idololatriæ ſpeciem, *Sabaiſmum* dictam, quæ à Cœli Soliſque præcipuè, ac totius illius cœleſtis chori veneratione cœpit, mox à diſperſione Babylonica mundum occupaviſſe, haud diſſimile vero: *cùm nondum ſub Iove mundus*, vide Job. *cap.* 31. *v.* 26, 27. Hanc intervallo non adeò longo altera

tera excepit, *Helleniſmi* nomine inſignis, quæ hominum defunctorum & dæmonum cultum adjecit. Unde Deorum in *naturales* & *animales* diviſio. quorum ſucceſſu temporis veneratio conjuncta, & *mixtus* inde *cultus* ortus eſt. Horum omnium jam apud priſcos Aborigines, magisq; apud Romanos, poſteros eorum, veſtigia: qui, quæcunque ſacra habuere, ea vel habuere ab Albanis, qui à Phrygibus oriundi: vel ab Oſcis, Sabinorum gente, quos aliqui ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, *à colendo Deos*, dici putârunt, teſte Plinio *lib.3.cap.*12. & Feſto Pompejo: vel à Thuſcis, quos quaſi θυοσκόους, *ſacrificos*, ob ſacrificiorum frequentiam dictos eſſe, cenſet Servius *Æn.* 10. & Iſidorus *Origin. lib.* 14. *c.* 4. Thuſcos autem ex Aſia veniſſe, ibidem indicat Servius: ut qui eos ex Mæonia in Italiam profectos dicat. Certè, præter Numina naturalia Janum & Saturnum, Indigetes Latini fuere, jam ante Æneæ tempora; *Liber, Hercules, Æſculapius, Caſtor* & *Pollux*; Cic. *de LL. lib.* 2. Cum Hercule eundem fuiſſe *Semonem Sancum* ſeu *Sanctum*, qui & *Fidius*, Varro docet *de L. L. lib.* 4. *Faunum*, qui idem cum Silvano ſive Pane, ex Arcadia in Latium poſtea intulit Evander, qui quòd Italos literas docuiſſet & agriculturam, quæ poſtea Saturno attributa, in hoc eundem honorari placuit: quemadmodum & Carmenta uxor ejus inter Deas indigetes prima recepta eſt. Æneas dein *Indigetis nomine ab Aſcanio* appellatus, Feſto: *Iovis Indigetis*, Livio *lib.*1. poſt quem Romulus *Quirini* nomine conſecratus eſt, quod Curibus habuerat Deus tutelaris. Sub Romulo, matre Sacerdote genito, Conſualia occurrunt, in honorem Conſi ſeu *Neptuni Equeſtris*, celebrata, quo nomine Japhetum, cui obtigerant maris mediterranei inſulæ & continens Europæa,

 cultum,

cultum, docent Eruditi. Spolia item opima *Iovi Feretrio* ſuſpenſa: ut & *Lucus* & *Aſylum*, Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.2. c.15.* Idem *Augures* inſtituit, ſed horum omnium rudior adhuc dum facies. Primus ab ipſo Numa *ob inclytam religionem*, è Sabinis petitus, *Sacra & ceremonias omnemque cultum Deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures,* (quorum collegium à Romulo inſtitutum ſic confirmavit) *Salios, cæteroſque per Sacerdotia: annum quoque in duodecim menſes, faſtos dies nefaſtosque deſcripſit. Ille Ancilia, atque Palladium Ianumque geminum inprimis focum Veſtæ virginibus colendum dedit -- Hæc omnia quaſi monitis Deæ Egeriæ,* L. Ann.Florus *lib.1.cap.2.* Imagines tamen adhuc aberant à cultu, idque per annos 170. ut Varro refert, apud Auguſtinum *de Civ. Dei lib.4. cap.31.* ex inſtituto ejuſdem Regis, qui *prohibuit*, verba ſunt Plutarchi *in Eo, Romanis facere imagines Deorum forma humanâ vel beſtiarum, unde priſcis temporibus apud eos nulla fuit imago Dei neque ficta neque picta. Sed primis 170. annis templa ædificabant, & ſacraria, ſine ulla imagine in eis, ut qui putarent, res meliores non eſſe repræſentandas per res deteriores, neque poſſe Deum aliter, quàm mente, concipi.* Hæ itaque demum acceſſerunt ſub Tarquinii Priſci fere exitum, qui Hieroſolymorum excidio primo coævus erat. Nec diſſimile veri, ex fama, quæ procul dubio tam per Occidentem, quàm Orientem paſſim increbuerat, de clade illa urbis Sanctæ templique adeò inſignis, deque templo illo, ac inſtitutis gentis, Numinis imagines non admittentibus, Romanos, Hebræorum ea in re hactenus imitatores, velut in tutiorem ſibi partem, ut cladis exemplo monitos, tranſeuntes (quà Numina, quà homines, etiam ob religionem ejusque prætextu, invicem acriùs dimicare

care ſolitos ſpectarent) imaginum quoque cultum uſumque in templa; ſibi poſteriſque cautiùs conſulturos, tum adſciviſſe, judicat Seldenus *de Synedriis vet. Hebræor. l. 3. c. 13.* Sub cognomine Rege, Sibyllinorum apud Romanos librorum prima mentio, an imitatione codicis Legis, quem in arca apud Hebræos adſervatum innotuerat: an reſponſorum magis, quæ ex adyto per Urim & Thummim ſciſcitantibus dabantur? Hos Romani ita diligenter cuſtodiebant, per Duumviros primò, dein Decemviros, Quindecimviros tandem, *ut nullam æquè rem ſanctam ac ſacram*, Dionyſius *lib.* 4. conſulebant autem, quoties Senatus id decernebat, per eoſdem, *Carminum Sibyllæ ac fatorum populi Interpretes*, Livio *lib.* 10. hinc dictos, quòd inſpicerent libros iſtos ac referrent ad Senatum, quid in iis, Dîs Deabusve hiſce vel illis placandis factu neceſſarium contineretur: aut potiùs, quæ ibi invenire perhibebant, interpretarentur. Interpretatos quippe illos, prout Senatui aut Cæſaribus id placere ſciebant, docet de Cæſare Suetonius *c. 79.* de Maxentio Zoſimus *lib. 2.* Cæterùm ſub Regibus, homo nemo cœleſti donatus honore eſt, præter unum Imperii conditorem Romulum, uti dictum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Larentiam, A. Gellius *l. 1. cap. 7.* & Plin. *lib. 18. cap. 3.* Poſtea, ſi quis hoc honoris adeptus ſit, unica fuit Anna Bovillana, quæ plebem pavit, cùm in Aventinum fugiſſet, ann. U. C. *262.* Ovidius *Faſtor. l. 3.* Heroës tamen varios, licèt non divinis, magnis tamen honoribus dignati ſunt, ut quorum effigies tulerunt in pompa Circenſi, nominaque inſeruerunt hymnis Saliaribus, qui honos etiam contigit Mamurio Veturio, & Luciæ Volumniæ, apud Varronem *de L. L. lib. 5.*

& 8. Interea creſcente Imperio ſuperſtitio aucta, & victarum urbium gentiumque Dii in civitatem paſſim recepti ſunt. Veneris tamen, cujus Numæ temporibus necdum Romæ nomen notum erat, ſacra non admiſſa, ante annum U. C. 550. quo Peſſinunte ſimulachrum ejus advectum Romam, Deæque Megaleſia ſacra inſtituta ſunt, Solinus *cap.* 7. Val. Maximus *lib.* 8. *cap.* 15. Ovidius *Faſtor. lib.* 4. Alii: donec tandem in templa Romana Iſis quoque adſumta, *Semicaneſque Dii & ſiſtra moventia luctum*, Lucanus *lib.* 8. imò, non *Univerſum* ſolùm, ſed & *Univerſa*, iis inter Deos culta, Minuc. Felix *Octavio*: unico Hebræorum Numine excepto. Tertullianus *de Idolol. cap.* 4. *Omnia colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem.* Et *Apolog. Apud nos quodvis colere jus eſt, præter verum Deum*: ut quem *ſolum coli velle, ſine ſocio & æmulo majeſtatis*, noverant, Auguſtin. *de Civ. Dei lib.* 9. Quare immenſo ſacrificiorum feſtorumque numero motus Imp. Claudius, magnam eorum partem abolevit, anno C. 43. Imp. 3. quò pertinet, quòd *circa ceremonias correxiſſe* quædam legitur, apud Suetonium, *cap.* 22. Sed & jam ante ipſum Tiberius, *per omnes provincias effigie Numinum ſacrari ſe vetuit*, Tacitus *Annal. l.* 4. Namque & Indigetes, rarus adeò ſtante Rep. honor, ut diximus, tantopere ſub Cæſaribus multiplicati ſunt, ut non hi tantùm poſt mortem, imò & nonnulli eorum vivi, conſecrati ſint: quem ritum accuratè inprimis atque diligènter deſcribit Herodianus *lib.* 4. ſed & Auguſtæ, ut Livia apud Suetonium *in Claudio cap.* 11. ac Fauſtina apud Capitolinum: alii quoque è domo Auguſta, ut Druſilla Caligulæ, apud Dionem *l.* 59. & Mæſa Juliæ II. ſoror, apud Herodianum *lib.* 6. imò & ſordidæ illæ ac inſipidæ Hadriani Imp. delitiæ,

litiæ, Antinous Bithynus, apud Spartianum, in Deorum numerum recepti legantur. In tanta nihilominus Superſtitionis caligine, non pauci vanitatem ejus ſubodorati ſunt: ridetque in Juliani *Cæſaribus* Auguſtum, quòd Julium conſecrâſſet, Silenus, eumque κοροπλάϛυ, *puparum effectoris*, cognomine adſpergit. Quemadmodum Cicero ipſa illa oracula Sibyllina, rem adeò Romanis jam à Superbi tempore ſanctam ac ſacram, pro callidis habet hominum inventis, ac ſtudioſè in eum compoſitis modum, ut omnibus perſonis, temporibus caſibusque pro libitu Interpretum, applicari poſſent, *de Divinat. lib.* 2. Nec alio loco haruſpicina, auguria, cæteraque divinationum genera habita prudentioribus, ut de Flaminio Coſ. apud Plut. *Marcello*, & de Papyrio, apud Livium *lib.* 10. videre eſt. Manſit tamen multitudinis, imò & Procerum, animo tam altè infixa priſci ritus veneratio, etiam ſub Impp. jam Chriſtianis, ut pro ara Victoriæ in Capitolio reſtituenda, quæ à Valentiniano Imp. inde ſummota erat, & pro Veſtalium privilegiis, nomine Senatus P.Q.R. Symmachus intercedere auſus fuerit, apud Imppp. Valentinianum, Theodoſium M. & Arcadium, ann. C. 384. contrà nitente Ambroſio, *Epiſt.* 30. Imò ſimulachris Deorum Romam adhuc repletam fuiſſe, dum ſub Honorio ea ab Alarico obſideretur, teſtatur liquidò Zoſimus *Hiſtor. lib.* 5. Poſt ea tempora ſenſim evanuit, ex oculis hominum, Romanorum Ethniciſmus, invaleſcente ubique Chriſtianâ fide, non tamen ita, ut non ſubinde priſcæ ſuperſtitionis reliquiæ lacertos moverent; quod vel ſub Hadriano VI. Pontif. apparuit, cujus tempore, ad avertendam peſtem, quæ graviſſimè in urbe ſævitbat, *Magum Demetrium Græcum, ſylveſtrem*

taurum Diis Gentilium, ad placandam eorum iram, mactaviſſe, narrat P. Jovius *Hiſtor. tom. 2. lib. 21.* (c) Hæc ſtrictim de caligine populi Rom. circa Sacra: uti verò apparuerit illi, in tenebris tam diutinis & umbra mortis poſito, Is, *qui prodit ex alto*, Luc. *c.1. v.78, 79.* paucis itidem videbimus. Obſervari meretur, quod Cicero tradit *de Divin. lib. 2.* Interpretem quendam verſuum Sibyllinorum ſuadere Senatui penè auſum, *Eum quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellimus.* Quibus, utut Julium Cæſarem, *Dictatoris* nomine, poteſtatem regiam exercentem, non minùs Interpres iſte, ac ipſe Cicero, ea quidem tyrannidis odio arguens refutansque, deſignatum velint: altiùs tamen quid Sibyllam, ipſum viz. CHRISTUM deſignâſſe, alii contendunt, ſupremum nempe Regem, cui parére neceſſe eſt, qui ſalvi eſſe, quàm perire, præoptant. Quò pertinet, quòd, auctore Julio Maratho, Suetonius memorat, ante paucos, quàm Octavius naſceretur, menſes, prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur, *Regem Populo Romano naturam parturire, in Auguſto c. 94.* Ubi certè *non Octavium, ſed, qui Octavio imperante natus eſt,* CHRISTUM SERVATOREM, *prodigium iſtud portendiſſe, quivis puto Chriſtianus conſentiat*, verba ſunt Tob. Pfanneri *Syſtem. Theol. Gentilis purior. c. 1. §. 4.* Imò ipſum id agnoviſſe tandem Auguſtum, non deſunt qui velint. Nimirum Suidas, Nicephorus & Cedrenus narrant, ei, quum jam ſenex & de ſucceſſore anxius, profectus ad Apollinem Delphicum, oraculum ejus ſuper ea re conſuleret, atque poſt iteratas hecatombas ſilentii ejus cauſam ſciſcitaretur, redditum eſſe *de Puero Hebræo* reſponſum: illumque cum eo Romam reverſum, ibi in Capitolio

erexiſſe

erexiſſe ingentem aram, cum inſcr. *Hæc eſt ara Primogeniti Dei.* Quod, cùm ex Euſebio citatum Cedreno, in eo hodie non reperiatur, olim tamen in ſcripto ejus aliquo extitiſſe, cenſet Caſaubonus. Mirum verò, in *Apologeticis* ſuis Juſtinum, Tertullianum, Theophilum, Tatianum, Scriptoresque Eccleſiaſticos alios, qui, quicquid ab Ethnicis deſumptum afferre poterant, avidè admodum, ac quandoque majore cum zelo (bono licèt) quàm judicio arripuerunt, ut contra ipſosmet retorquerent, nihil tale memorare. Hoc ſaltem de Auguſto, magnâ veneratione coluiſſe Judæorum Deum, ac juge illi ſacrificium tauro, bináſque agnis, quotidie peragi voluiſſe, legimus apud Philonem *de Legat. ad Cajum Cæſ.* Tiberii itaque potiùs tempore, *nomen Chriſtianum in ſeculum introiiſſe*, ſcribit Tertullianus *Apologet. cap. 5.* additque, *eum annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detuliſſe ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui: Senatum, quia non in ſe probaverat, reſpuiſſe: Cæſarem verò in ſententia manſiſſe, comminatum periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Adjungit Euſebius Pilati ad Tiberium literas, *in Chron.* & *Hiſtor. Eccl. lib. 2. cap. 2.* Sejaniqúe contradictionem, Oroſius *l. 7. cap. 3.* & 4. quæ tamen cum temporibus illis adeò infectis & adulatione ſordidis, ut Tiberius, quoties Curiâ egrederetur, dicere ſolitus ſit, *ô homines ad ſervitutem natos!* Tac. *Annal. lib. 3.* ipſiusque hujus Imperatoris animo, *circa Deos ac religiones negligentiore*, imò *externarum ceremoniarum atque Ægyptiorum Iudaicorumque rituum* (at ex Judæis & inter Judæos Salvator noſter erat, neque eo tempore adhuc inter Ethnicos Chriſtiani nomine à Judæis diſcreti fuere) *hoſte acerrimo*, Sueton. *in eo cap. 30.* ægrè conciliaveris. De literis

Pilati, quàm ipſe ſibi non conſtet Euſebius, oſtendit Ant. van Dalen *Diſſertat. de Oraculis I.* Sejanum autem eo tempore, quo iſta à Pilato ſcripta volunt, jam diu extinctum, anno viz. C. 31. adeoque triennio ante paſſionem ac reſurrectionem Servatoris, cujus Epiſtola illa meminerit, notum ex Dione *lib. 57. 58.* aliiſque. Sub Tiberii tamen exitum quod contigit de corvo, tum Romæ celebri, memoratu non indignum. Hiſtoriam ejus Plinius deſcribit *lib. 10. c. 43.* ubi ſermoni *aſſuefactum omnibus matutinis evolâſſe in Roſtra, in Forum verſus, Tiberiúmque, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Rom. ſalutâſſe, poſtea ad tabernam hoſpitis ſui remeâſſe, plurium annorum aſſiduo officio mirum*, refert: addit dein, ut illi, à mancipe proximæ ſutrinæ tandem interempto, ea in urbe, in qua multorum Principum nemo duxerat funus; neque vel major Africanus habuit ſepulchrum, vel minor reperit ultorem, innumeri exequias celebraverint, *duobus Æthiopibus humeris conſtratum lectum deferentibus, prælatis omnis generis coronis, præcedente etiam tibicine*, ut in funeribus mos erat, contigiſſeque ea *ad d. 5. Kal. Aprilis, C. Ceſtio, M. Servilio Coſſ.* circa A. C. 37. De quo non inficeta Voſſio conjectura eſt illa Gilb. Genebrardi, *Chron. ad ann. 4016: funere corvi celebribus exequiis, novo & inuſitato faciniore, à Populo curato, ſignificâſſe Spiritum Sanctum*, Corvum, *id eſt, atrum illum Satanam, mox extinctum iri Romæ, ubi præcipua ejus erat ſedes ac garritus*, apud Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & progr. Idolol. l. 3. c. 89.* quod etiam brevi pòſt factum, ut in ſeqq. videbimus, ubi de *Initiis Eccleſiæ Romanæ*; quibus longam (*d*) *Paſtorum* ejus *ſeriem* ordine ſubjungere, illorumque maximè memoranda breviter exponere inſtitutum eſt,

cui

cui ut cœlitus annuat *Princeps Paſtorum* D. N. J. C. devoto pectore eum veneror, ac Sponſæ ejus dilectæ, Eccleſiæ, *pro qua ſemetipſum expoſuit, ut eam ſanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum*, Epheſ. *cap.* 4. *v.*25,26. judicio, cenſuræque, hoc quicquid novi laboris eſt, lubens & meritò ſubmitto. Dico *Paſtorum ſeriem*, qui ex uſu Scripturæ & purioris antiquitatis, *Epiſcopi* quoq; ſeu *Inſpectores*, 1. Tim. *c.*3. *v.*2. dicti; poſtmodum *Pontificum Paparumque* appellationibus gaudere cœperunt: de quibus en pauca hæc. *Pontifex* nomen maximi fuit apud vett. Romanos Sacerdotii, cujus poteſtas ampliſſima, & de qua ultimam Numæ conſtitutionem ſonare, tradit Dio *l.*2. à *poſſe* & *facere*, ut Q. Scævola apud Varronem *de L.L. lib.*4. contendit, *Pontifex enim eſt, qui poteſt facere, id eſt, ſacrificare.* Horum IV. primitus à Numa præfato inſtituti, (quorum princeps Martius fuit, Marci fil.) & è Patriciis lecti, numerum ordinemque retinuerunt uſque ad annum U.C.454. Mundi 3650. Periodi Jul. 4414. quo, Q. Apulejo Panſâ & M. Valerio Corvo V. Coſſ. Tribunorum Pl. rogatu, numerus Augurum Pontificumque auctus, & pars eorum ex plebe eſſe cœpta eſt. Sic VIII. Pontifices creati, qui numerus uſque ad L. Sullæ Fel. Dictaturam manſit, quâ quinque alii acceſſere & duplex Pontificum ordo inſtitutus, *majorum minorumque*, quorum paſſim apud vett. Scriptores, ac in antiquis Epigramm. mentio fit. Duravit eorum Collegium, uſque ad Theodoſium Sen. qui, poſt occiſum Eugenium, ann. C. 394. cùm fruſtra Senatum monuiſſet, ut Ethniciſmo relicto Chriſtianam fidem amplecteretur, ad publica ſacrificia publicos ſumtus denegavit primus, ac Sacerdotum omnium reditus fiſco applicuit, teſte Zoſimo *lib.* 4. & 5. Illo-

rum verò ſupremus unus erat, qui *Maximus* dicebatur, à Numa itidem inſtitutus, & *maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinent, curam judiciumque habebat, eratque vindex contumaciæ privatorum & Magiſtratuum*, Dionyſ. *l.2.* Creabatur is ex Collegio Pontificum, non quidem Collegarum cooptatione, ut in cæteris Sacerdotiis mos erat, ſed Populi Comitiis Tributis. Multo etiam tempore non niſi ex Patribus legebatur, donec poſtremò omnibus honoribus cum Plebe communicatis, Pontifex M. quoque ex illa primus ſumtus eſt T. Coruncanus. Poſt quem multi tam Patricii, quàm Plebeji, id faſtigii adepti ſunt, uſque ad Julium Cæſ, quo defuncto, in ejus locum, per vim ſe Lepidus intruſit. Hujus poſt obitum, quia decens viſum erat, eum, qui totius Imperii poſſeſſionem eſſet adeptus, ipſam quoque ſupremam rerum divinarum auctoritatem habere, Auguſtus id Sacerdotium ſuſcepit, illiusque exemplo omnes Romani Principes ac Impp. Chriſtiani quoque, uſque ad Gratianum, qui primus ſtolam Pontificalem, ſibi à Pontificibus Ethnicis ex more oblatam, induere renuit, circa ann. C. 374. titulus tamen ac munus ipſum in ſeculum uſque VI retentum, ut patet ex Inſcr. Juſtinopoli Iſtriæ repertâ, & à Cl. Grutero repræſentatâ, in qua Juſtinus I. qui imperare cœpit ann. C. 518. literis hiſce PONT. MAX. diſertè Pontifex Maximus adhuc appellatur. Quare non parùm erraviſſe, qui in gratiam Præſulis Romani titulum hunc rejeciſſe Gratianum ſcripſit, utpote ſub quo etiam, pro Chriſtianæ Eccleſiæ capite, Chriſtianos Impp. ſeſe geſſiſſe, clarum eſt ex *Codice Theodoſ. Juſtinianeo, Novellis*, docet Van Dalen *Diſſert. cit.* Tranſiit poſtea titulus ab Impp. ad cujuslibet Eccleſiæ Epiſcopos, quos appellari vulgò *Pon-*

tifices

tifices ſummos, Maximosque Pontifices, moris fuit poſt quartum mox ſeculum uſitati & in multa tempora durantis, ut infrà dicemus ubi de *Zephyrino*: donec eum Romæ Epiſcopus ſibi ſoli vindicavit, cujus inſigne cidaris eſt Pontificia, uti habetur *Præf. ad opus de attributis Rom. Pontif.* cui tit. *Corona aurea ſuper mitram.* Non aliter, *Papa* nomen commune olim Epiſcoporum, & ſeculo adhuc V. omnes ii, imò & Sacerdotes ac Abbates, honoris gratiâ, *Papæ* appellati ſunt, poſtea verò nomen hoc itidem ſolis Epiſcopis Romanæ ſedis remanſit, idque ex decreto Gregorii VII, qui, Synodo Romæ habitâ, ut *Papæ* nomen unius eſſet in Orbe Chriſtiano, ſtatuit. Imitatione fortè Patriarchæ Alexandrini, in qua Eccleſia *Heracles Abba primò, id eſt, Pater, appellatus eſt, cùm alii Presbyteri tantùm vocarentur, h. e.* Seniores: *poſteaquam verò plures Epiſcopi per Ægyptum creati ſunt, tunc communicato omnibus illo nomine Abba, i. e.* Patris, *ut aliquid præcipuum haberet Epiſcopus Alexandrinus, qui aliquot Epiſcopos ſub ſe habebat, placuit eum vocari Papam, id eſt, Avum, nempe πατέρων πατέρα, Patrum Patrem*, Eutychius *Origin. Sedis Alexandrinæ*; ſed de his alibi diximus pluribus. Ad rem ipſam.

INI-

INITIA ECCLESIÆ ROMANÆ.

Primus (e) eam accendit Solati filius, (f) aut qui:
Vidére effuſum Flamen (g) in urbe ſacra.
Seu magis Andronicus, cognato è ſanguine Pauli (h),
Urbanuſq; hujus non ſine laude comes (i).

ENARRATIO.

(e) Quò verò tempore primùm cœperit Eccleſia hæc illuſtris, ut maximarum rerum initia, in abdito eſt: quemadmodũ fluviorum decurſus omnibus ex facili patet, fontes non æquè conſpicui ſunt. Florentiſſimam certè eam jam fuiſſe, antequam divinam *ad Romanos* dirigeret Epiſtolam ſuam Paulus Apoſt. certum eſt, ex *cap. 1. v. 8.* ubi fidem *eorum annuntiari in toto mundo* prædicat; & propterea gratias agit Deo ſuo per Jeſum Chriſtum: nec non ex catalogo fidelium Romanorum; quos ἀσπασμῷ ſuo complectitur; *cap. ult. v. 1.–16.* ſcripſit autem eam, ſecundùm pleroſque, anno C. 54. converſionis ſuæ & Apoſtolatûs 15. an. 18. Claudii Imp. ultimo. Et quidem, ſub hoc Imp. CHRISTI nomen Romæ jam celebre fuiſſe, diſcimus ex Suetonio, ubi de Claudio, *Iudæos,* inquit, *impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes Româ expulit, cap. 25.* quod factum ann. C. 49. Imp. ejus 9. Latinos enim, à Judæorum ritibus & doctrina CHRISTI alienos, nomen ejus an ignorantiâ, an malitiâ, immutatâ literâ *Chreſtum,* quaſi à

Græco

Græco χρηςὸς, pronuntiaviſſe, & hinc, qui Chriſto nomen dedere, *Chreſtianos* dixiſſe, ex Græcis Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* ex Latinis, Tertullianus docet *adv. Gentes*, & Lactantius *lib. 4. cap. 17.* Primo verò jam Claudii anno, revelatio de Evangelio quoque Gentibus annuntiando divinitus Petro facta, atque inde converſio Cornelii ac initium prædicationis inter Gentes (cùm ante Stephani mortem ea adhuc intra Judæam concluſa eſſet) ſequutum: *Chriſtianorumque* mox nomen Antiochiæ auditum primò eſt, ann. C. ſecundùm nonnullos eod. aliis 43. Claudii 3, Actor. *capp. 10.* & *11.* quamvis poſtea quoque ſatis diu ſub nomine *Iudæorum* inter Ethnicos Chriſtiani venerunt, quòd præcipuè (imò primis initiis, per aliquot annos, ſolùm) ex Judæis eorum numerus conſtaret; ac ſequenti etiam tempore, uſque ad everſionem Templi, Judaici ritus inter Chriſtianos ex illa gente adhucdum vigerent; ut exemplo ipſorum Apoſtolorum, ac virorum Apoſtolicorum patet, Gal. *c. 2. v. 14;* præter Actor. *c. 10. v. 28. cap. 18. v. 18.* & *cap. 21. v. 23, 24.* qua de re latiùs videri poterit Jo. Seldenus *de Synedriis vett. Hebræor. lib. 1. c. 9.* Unde ad l. Suetonii Mariana, *Quòd tumultus concitarent* (Judæi) *nempe de Chriſto cum Chriſtianis diſputantes, quos Iudæorum nomine comprehenſos, unà cum illo pulſos, Aquila & Priſcilla monſtrant.* Hos namque recèns ab Italia advenas, *quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos Româ*, Paulus Corinthi inveniſſe memoratur, in Actis *cap. 18. v. 2.* Sed jam ante Claudium, morte Stephani, diſperſio Diſcipulorum facta, atque ita annuntiatio Evangelii dilatata eſt, verùm *per Iudæam ſolùm ac Samariam*, Actor. *cap. 8. v. 1.* ann. C. 38. Caligulæ Imp. 2. Imò inter ſpectatores miſſionis Spiritûs S. factæ primâ Chriſtianorum pente-

penteceſte, ann.C.34. Tiberii Imp. 20. *advenæ Romani* recenſentur, Actor. *c.* 2. *v.* 10. Quare (*f*) Barnabam, de quo *ibid. c.4.v.36. Ioſeph ergo. qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis* (*quod eſt, ſi interpreteris, filius conſolationis*) *Levites, Cyprius genere*, Clemens *Recognitionum libris* prima Eccleſiæ Rom. fundamenta jam ſub Tiberio jeciſſe vult, ſed de opere hoc notum Eruditi orbis judicium. Alii (*g*), *advenas Romanos* modò dictos, quos partim Judæos, partim proſelytos fuiſſe, ibidem additur, Ingens hoc opus domum reduces primùm molitos contendunt; verùm per ea, quæ de Tiberio ſuprà & paulò antè de initio prædicationis Evangelii inter gentes, demum ſub Caligulæ exitum, aut Claudii primordia facto, diximus, certiùs pedem in hujus principatu figemus. Itaque, fuerint hi oves, & aliquandiu privatim ſecum ſalutarem doctrinam ruminati ſint, in agmen tamen nondum ac cœtum coacti videntur, ante Imp. hujus tempora: ſub quo (*h*) Andronicum & Juniam, Romanam urbem Chriſti notitiâ imbuiſſe, antequam eò vel Paulus vel Petrus venirent, conſtat. Fuerunt illi, *cognati & concaptivi* Pauli, *inſignes inter Apoſtolos*, ſecundarios viz. qui, Apoſtolorum nomine, legatione ad alias Eccleſias fungebantur, qualium fit mentio, 2. Cor. *c.8. v.* 23. vel LXX. diſcipulos, ut alii interpretantur; *& ante illum in Chriſto*, h.e. jam ante ejus converſionem Chriſtianam fidem amplexi, Roman. *cap.16. v.7.* Præter quos non pauci alii cœptum opus ſtrenuè juverunt, (*i*) Urbanus præſertim, *adjutor Pauli*, *συνεργὸς ἐν Χριστῷ*, in officio viz. & miniſterio Eccleſiaſtico, ibid. *v.9.* unà cum Aquila, quem eodem elogio inſignitum primo ſtatim loco memorat. Nec fœminæ ſanctæ defuerunt, Priſcilla uxor Aquilæ, *v.3*,

v.3. Maria v.6. Tryphæna & Tryphoſa: Perſis item v.12. quas *laboraſſe in Domino*, imò *multùm laboraſſe*, non quidem in munere publico Eccleſ. ſed in privata converſatione per admonitionem, conſolationem & confirmationem fidelium: informatione inſuper & pædagogiâ infidelium, de cujuſmodi officiis agitur 1. Petri c.4. v.10. beneficentiâ porrò & charitate erga Sanctos, qualis laudatur in Tabitha Joppenſi, Actor. c.9. v.36. perpeſſione tandem variarum ærumnarum, propter Evangelium, prædicat Apoſtolus. Hanc igitur, per comites prodromosque ſuos, plantatam in principe urbe Eccleſiam Paulus, Epiſtolâ, quam *Minorem Catecheſin*, & *Compendium Fidei Canonicum* meritò vocaveris, ſcriptâ Corinthi, dictatâ Tertio, & miſſâ per Phœben, Cenchreenſis Eccleſiæ Diaconiſſam, in fide per Dei gratiam ſemel ſuſceptâ, confirmavit, pleniusque erudiit, anno quo diximus C.54. ipſe dein Romam captivus pervenit, cum multis egregiis Evangeliſtis, Timotheo inprimis, Lucâ Evang. Ariſtarcho, Tychico & Johanne cognom. Marco, qui partim itineris ipſi comites, partim eum Romam, ut ipſi miniſtrarent, ſequuti ſunt ann. C.57. *manſitque ibi biennium totum in proprio conducto—Prædicans regnum Dei ac docens, quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto, cum omni dicendi libertate, nemine prohibente*, Actor. *cap. ult. v.30,31*: non voce ſolùm, ſed & ſtylo. Scripſit enim Româ Epiſtolam ad Philippenſes, per Epaphroditum: ad Coloſſenſes, Philemonem & Epheſios, per Tychicum & Oneſimum: quibus adde, quæ Hebræis inſcripta eſt, in qua *vinculorum ſuorum* meminit, c.10. v.34. & per Timotheum ad eos miſſa, v.ult. anno C.58. Inde liber, anno C.59. Italiam quoque, Gallias & Hiſpanias illuſtravit & viſitatis Eccleſiis Orientalibus,

talibus, quas ante captivitatem plantaverat, Romam reverſus, an retractus, perſecutione primâ, ſub Nerone, ſæviente, ann. C. 64. vel paulò pòſt, ibi in novem menſium carcere, ſecundam ad Timotheum ſuum, valedictoriam ſcripſit, & illuſtri martyrio, doctrinam Evangelii, quam Romanis ſuis, cœterisque Fidelibus, tanta cum cura inſtillaverat, obſignavit, ann. 65. *Præconis Orientis & Occidentis* elogio jure ornatus à S. Clemente *Epiſt. ad Corinth.* quæ etiamnum extat. Dum verò Paulus, omnium Apoſtolorum latiſſimè, ab Hieroſolyma uſque ad Illyricum, omnia Evangelio Chriſti replevit; Petrus in Judæa, Syria, Babylonia, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia, idem fecit; quorum duorum ſolùm res in Actis memorantur, nulla fere cæterorum mentione facta, neque quenquam eorum, præter Petrum & Jacobum fratrem Domini, Paulus ſibi conſpectum teſtatur; Gal. *cap. 1. v. 18, 19.* Unde reliquos Apoſtolos, in loca longè diſſita Africæ, Orientis ac Septentrionis conceſſiſſe, colligere eſt. Et quidem, S. Thomam prædicâſſe Edeſſenis & Parthis, teſtatur Euſebius *Hiſt. Eccl. l. 1. cap. 1.* & *l. 3. c. 1.* Andreas, Scythis Europæis, & plurimis per Europam, Aſiam ac Africam nationibus, Chriſtianæ fidei lumen intuliſſe traditur: Johannes, in Judæa & Aſia minore: Jacobi ambo, Hieroſolymis: Philippus, in Scythia & Phrygia: Bartholomæus, in India citeriori & Armenia: Matthæus, in Æthiopia: Judas, in Ægypto & Perſia: Matthias tandem, in interiore Æthiopia, Cypro, & alibi, idem munus magno zelo, nec minore ſucceſſu, obiere, V. eundem in *ſeqq.* Ad Romanos ut redeam, Marcum Evangelium ſuum Romæ ſcripſiſſe, ſunt qui tradant, ann. C. 45. qua de re vide Euſebium *ibid. lib. 2. c. 15. lib. 3. c. 4.* & *21.*

Hiero-

Hieronymum *Catal. Scriptorum Eccl. c.8.* & *Epiſt.123.* atque Athanaſium *Synopſi.* Ipſa verò hæc Eccleſia jam in primis initiis, non cum vitiis ſolùm ſeculi, quæ maximè enormia, Rom. *cap. 1. v. 26—28.* & infelici fœcunditate numeroſa admodum fuere, *v. 29—32.* ſed & *cum diſſidiorum & offendiculorum auctoribus contra doctrinam, quam didicerat,* intra gremium ſuum: atque adeò cum hominibus, *qui Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſerviebant, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam & aſſentationem corda minimè malorum ſeducebant,* conflictari habuit neceſſe, Ibid. *cap. ult. v. 17.* & 18.

SIMON PETRUS (*k*) SERVUS & APOSTOLUS JESU CHRISTI (*l*).

Hæc ſcribo vobis, dominari haud quærite clero (m),
Verſate & memori pectore ſcripta (n) *Patrum.*
His quicunq; olim ne latum abſceſſerit (o) *unguem,*
Hunc ſucceſſorem (p) *diſcipulumque feram* (q).

ENARRATIO.

(*k*) HI Pauli circa Eccleſiam Romæ naſcentem labores fuere; ſed & Patrum Eccleſiæque Scripto-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Scriptorum non pauci tradunt, Petrum quoque Apoſtolum Romæ fuiſſe, Epiſcopatum ibi per annos aliquammultos tenuiſſe, cum Simone Mago publicè certâſſe, ac tandem martyrio itidem cum Paulo gloriosè defunctum eſſe: quare & de illo quoque videamus. Petro inter Apoſtolos variæ fuere prærogativæ, namque & primo loco recenſetur *primusque* vocatur, jure πρωτοκλησίας, Matth. *c.* 10. *v.* 2. alibique: quamvis interdum etiam alio loco comparèat, ut Gal. *c.* 2. *v.* 9. Apoſtolorum dein fuit προήγορος, *qui verba faceret*, & advocatus quaſi: quæ prærogativa fervori ejus, præter alia, ab antiquis adſcribitur. Et ſolenniter primum jecit lapidem in fundamento Eccleſiæ, inter *Iudæos*, Actor. *cap.* 2. *v.* 41. & *Gentes cap.* 10. *v.* 44. Cætera pares erant omnes Apoſtoli, ut qui pariter *in regeneratione ſeſſuri* dicuntur *ſuper duodecim thronis* Matth. *c.* 19. *v.* 28. pariterque *nomina eorum duodecim fundamentis novæ Hieroſolymæ inſcripta* leguntur, Apoc. *c.* 21. *v.* 14. Imò nec aliis Apoſtolorum ſua deerant eximia. Hinc Veteres Jacobum non æquiparabant ſolùm, ſed & præferebant, cæteris, ut quem Paulus quoque inter eos, *qui habiti ſunt columnæ*, principem nominat, Gal. *d. l.* cujusque in Concilio Hieroſolymitano potiores partes fuiſſe videntur, Actor. *c.* 15. *v.* 13. & *ſeqq.* Johannes etiam in quibuſdam major fuit aliis, qui nempe in ſinum Domini recubuit, & *dilectus* ille *diſcipulus* fuit, Joh. *cap.* 21. *v.* 20. qui canonem N. Teſtam. clauſit, & Apoſtolorum maximè longævus fuit, ideoque adventum Domini vidit. Nec Paulus ulla in re minor fuit Apoſtolorum maximis, 2. Cor. *c.* 11. *v.* 5. & *c.* 12. *v.* 11. ut qui *plus quàm omnes laboravit*, 1. Cor. *c.* 15. *v.* 10. *omniumque Eccleſiarum curam* ſuſtinuit. 2. Cor. *c.* 11. *v.* 28. quibus de cauſis, non reliquis

liquis ſolùm, ſed & Petro Paulum æquârunt priſci: illosque proin duos *turres & columnas Eccleſiæ*, vocat Chryſoſtomus *Homil.* 64. *t.* 6. ac πρωτοκορυφαίους τῶν Ἀποστόλων, *omnium primos & præcipuos inter Apoſtolos*, *Homil.* 9. *in ad Cor.* 2. Paulumque *Caput nationum, quia obtinuerit totius Eccleſiæ principatum*, appellat Gregorius M. *in* 1.*Reg. lib.*4.*c.*10. ac ἰσότιμον τοῦ Πέτρου, *ejuſdem cum Petro honoris & pretii*, Theophylactus *in ad Gal.* 2.9. Certè Jacobus, Cephas, & Johannes, Paulo dextram pariter ſocietatis porrigunt, & partitò agunt, ut Petrus verſetur inter circumciſos, Paulus inter gentes, Galat. *c. cit. v.*7. ut alia prætercam. Hac igitur Apoſtolici muneris, in adducendo ad Fidem orbe occupati, partitione factâ, ann. C.51. Claudii 11. Petrus in Judæa præcipuè, locisque ſuprà memoratis, ubi ingens Judæorum copia, Evangelium annuntiavit: quod ut exactiùs noſcatur, ſacros ejus labores, ac itinera, juxta ſeriem annorum, ſuccinctè recenſebimus. Petrus ergo & Johannes Hieroſolymis Samariam mittuntur, ann. C.34. Tiberii 20. Actor. *cap.* 8. *v.* 14. Saulo dein miraculosè converſo, ann. C. 35. pax eſt per totam Judæam & vicinas regiones, Act. *cap.* 9. *v.*31. quæ proin à Petro viſitantur, ann. C. 36. ibid. *v.*32. Anno ſequente cum Hieroſolymam reverſum Paulus ſalutat, Gal. *c.* 1. *v.*17, 18. & 2. Cor. *c.*11. *v.*32. præter Act. *cap.*9. *v.* 23. 24. Cæſareâ iterum redit Hieroſolymam, ibique abſolvitur violatæ legis, propter communionem cum Gentibus, ann. C. 41. Claudii 1. Actor. *c.*11. *v.*2. carceri verò & cuſtodiæ mancipatur, ab Herode Agrippa I. Hieroſolymis, ann. C. 42. Claudii 2. Act. *c.*12. *v.* 3, 4. è qua liberatus, *profectus eſt in alium locum*, Act. *c.* 12. *v.* 17. qui qualis fuerit, mox patebit. Babylone enim priorem ſuam Epiſtolam

ſcribit,

ſcribit, ann. C. 47. quæ duplex illo tempore, una *vetus* illa in Chaldæa, Aſiaticæ Ἀσσυρίων ἀρχῆς metropolis; altera *nova*, prope Memphim in Ægypto, quam *Cairum* hodie appellari volunt: utraque hic commodè intelligi poteſt, propter multitudinem Judæorum, quibus fuerunt refertiſſimæ. Chaldææ ſeu Aſſyriæ urbem intelligit Petrus de Marca *de Concord.* de Babylone Ægyptiaca accipiunt alii, ubi non minor Petro expectanda meſſis, ac unde Alexandriam vicinam Marcum Evangel. *filium ſuum, c.4. v.13.* diſcipulum viz. comitémque, miſiſſe videtur, ut ibi Eccleſiam, quæ florentiſſima ſequenti tempore futura erat, fundaret. Vocem enim *Babylonis*, in ſcripto hoc epiſtolico myſticè interpretari idem eſſet, ac in Apocalypſi, libro myſtico, propriè velle accipere. Atque hic Evangelium ſuum ſcripſiſſe Marcum propius vero aliis videtur, ut quem in Petri comitatu hoc labore defunctum, Euſebius teſtatur *Hiſtor. Eccl. l. 2, c. 15.* Poſt iſta habitum Concilium Hieroſolymitanum, anno C. 48. nonnullis, aliis 52. cui etiam interſuit Petrus, Act. *c.15. v.7.* quem & Paulus Hieroſolymis offendit, Gal. *c.2. v.1.* eo finito Antiochiam venit, ibique à Paulo, *quòd Gentes judaizare cogeret,* reprehenſus eſt, *v. 11.* anno ſequente, Româ Chriſtiani omnes faceſſere jubentur, Actor. *c.18. v.2.* aſt poſtmodum, ibi, libertate vivendi recuperatâ, in florentem jam cœtum collectos Epiſtolâ inſigni adit Corintho Paulus, ac prolixum in calce ejus catalogum eorum, qui de Eccleſia illa naſcente bene merebantur, texit, ann. C. 54. ipſe poſtea Romam venit, ann. C. 57. uti vidimus, Petro longè alibi agente, de quo proin toto illo tempore altum in hiſtoria Pauli ſilentium, Actor. *c.28. v.21, 30.* 2. Tim. *c. 4. v.10.* Phil. *c. 4. v. 22.* inprimis *v.16, 17. cap. ad*

Tim.

Tim. modò cit. ubi ab omnibus ſe deſertum ſcribit. In Epiſtolis anno ſequ. ad varias Eccleſias Româ ſcriptis, quas ſuprà vidimus, Paulus inter *συνεργὺς* ſuos Petri nuſpiam meminit: nec quidem in Epiſtola ad Hebræos, in qua præcipuè ejus mentio fuiſſet facienda, vid. Hebr. *cap.13. v.17,24.* Poſt quæ ſecundam Epiſtolam, ſub vitæ finem, Petrus ſcribit, ann. C.65. Neronis 11. *cap.1. v.14,15.* in qua Pauli ſapientiam prædicat, & de divinis ejus ſcriptis judicium fert, *cap.ult. v.15,16.* quo ipſo Paulus ſuam ad Timotheum poſteriorem edidit, ubi iterum de Petro ſilet, vid. *cap. 4. v.21.* præter *c. 1. v.16,17,* 18. & *c. idem 4. v.9,11.* Eodem anno, Petrus & Paulus martyrio Romæ affecti dicuntur, eò ex provinciis pertracti *Perſecutione I.* ſæviente, quamvis alii non eodem, ſed diverſis temporibus illud contigiſſe adfirment: & Paulus quidem capite plexus, Petrus verò cruci affixus, Oroſio *lib.7. c.7.* ſtrangulatus autem Athanaſio *Apolog.1.* narratur. Clemens, Romæ quidem Paulum coronam martyrii adeptum refert, at, ubi de Petri martyrio loquitur, locum non indicat, *Epiſt. ad Corinth.* unde alibi quàm Romæ obdormiviſſe Petrum, nonnulli colligunt. *Hoc certum*, ait Burmannus, *ſemel tantùm ſub Nerone in Chriſtianos ſævitum, idque non cruce, ſed tædâ: Paulum verò, tanquam civem Romanum, gladio potuiſſe occidi.* Hæc ex Actis, ac Epiſtolis Apoſtolicis, de Petri ſanctis laboribus ac itineribus novimus; à fine verò Actorum, uſque ad ann. C.100. hiatus eſt Hiſtoriæ Eccl. quem Veteres ſupplere conatos eſſe variis de hoc, aliiſque Apoſtolorum fabulis, illiſque non rarò malè cohærentibus, nemini ampliùs ignotum eſt: præſertim, cùm antiquiſſimi Scriptores, qui talia memoriæ prodiderunt, *minimùm centum triginta annis poſt*

B *Chri-*

Chriſtum vixerint, quo temporis intervallo multi jam errores, fideiquæ ſubleſtæ traditiones in Eccleſiam irrepſerunt, Georg. Hornius *Hiſtor. Eccleſ. Novi Teſtam. Period. I. artic. 16. num. 2.* Ut unum attingam, de certamine Petri Apoſt. cum Simone Mago, Romæ, paulò ante vitæ finem, decertato, id à multis pro fabula haberi, non diffitetur Auguſtinus *Epiſt. 86.* & mirum omnino, rem adeò memorabilem Scriptoribus ejus ævi, Suetonio, Tacito, Plinio, omiſſam. Sed & ipſa Auctorum, progreſſu temporis, in majus ſemper creſcens narratio, quid de eo ſentiendum, ſuggerit. Namque Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* Magiæ ſolùm Simonis hujus, & ſtatuæ in ejus honorem erectæ, cum Inſcr. *Simoni Sancto Deo,* meminit, circa quam tamen ſtatuam deceptum eum fuiſſe, inter alia lapis docet, in Inſ. Tiberina, ſub Gregorio XIII. erutus, hisque verbis inſcriptus, *Simoni Sanco Deo,* teſte Baronio *ad ann. C. 44.* quem Sancum, eundem cum Hercule, & proin inter Indigetes Romanorum Deos fuiſſe, retro diximus. Irenæus, ejus hæreticas opiniones perſequitur, *lib. 1. c. 20.* neuter verò horum, de celebri illo conflictu quicquam addit. Euſebius, certâſſe quidem cum Mago Apoſtolum ait, ſed prædicatione tantùm efficaci Evangelii: de publico autem & ſolenni agone, ac Magi præcipitio, ſilet, *Hiſt. Eccl. lib. 2. capp. 13, 14, 15.* Pſeudo-Clemens, eum à Petro ſuperatum lapſu è ſublimi crurifragium quidem & pedum ἀκρωτηριασμὸν paſſum eſſe narrat, mortuum autem tum eſſe, non memorat, in *Conſtitut.* porrò Cyrillus Hieroſolym. *6. Catech.* & Sulpicius Sev. *Hiſtor. Sacr. lib. 2.* Petro, agonis ſocium Paulum jungunt, ut quos ambos quoque junctim primos Romæ Epiſcopos ejusque Eccleſiæ fundatores non pauci Vett. conſtituunt,

tuunt, inter alios Epiphanius ubi de *Hæreſi Carpocratianorum*: quemadmodum in bullis Paparum, imagines utriuſque Apoſtoli ſimul exhiberi, & Paulo dextram dari, obſervat Salmaſius *ad Sulpicii locum*. Ut de mora 25. annorum (quæ communis opinio eſt, inter Latinæ Eccleſiæ Scriptores,) vel ann. 24. menſ. 5. dier. 12. (ut Horat. Turſellinus habet) in ſede Romana Petri, nihil dicam, induſtria facit eorum, qui jam dudum Hieronymum, ubi Euſebium interpretatur, ſcripſiſſeque ait *in Chronico, Petrum fundatâ Antiochiæ Eccleſiâ Romam veniſſe, ibique XXV. annis Epiſcopatum geſſiſſe*, ultima hæc verba de ſuo adjeciſſe oſtenderunt, ipſo Hieronymo non obſcurè id fatente. Græcus enim textus habet: Πέτρος τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν εἰς Ῥώμην ἄπεισι, κηρύττων τὸ Εὐαγγέλιον. Imò repugnat ſententia magnorum in Eccleſia Rom. hodierna Auctorum, qui Petrum Româ in Judæam atque aliorſum crebrò excurriſſe ſtatuunt, quamvis ſine antiquitatis ſuffragio: ejuſdemque Communionis praxis, ut quæ *Romanam Petri cathedram, ante ſeculum duntaxat à Paulo IV. inſtitutam feſtivè celebrat, d. 18. Februarii, cùm Cathedra Petri, Veteribus tantopere decantata & anniverſario itidem feſto culta, Cathedra fuerit Antiochenſis, incidens in 22. Februar.* Burmann. Non moroſè tamen obnitemur illis, qui ſemel iterumque Romæ inſignem hunc Jeſu Chriſti ſervum fuiſſe non improbabile judicant, & cum dictis conciliare conantur, uti infrà videbimus, ubi *de Lino*. Interim licèt Apoſtoli diutiùs aliquantum in celebrioribus urbibus, Evangelii prædicandi causâ, commorarentur, non propterea illarum Epiſcopi poterant haberi, propter ipſum *Apoſtoli* nomen, ad quod univerſalis Eccleſiæ cura pertinebat: *Communes* nam-

que *mundi Doctores* conſtituti erant, Matth. *cap.* 28. *v.* 19. vid. & 2. Cor. *c.* 11. *v.* 28. neque pugnabat cum eo, quòd certo canone, partitoque velut orbe, cum univerſum permenſi, opus Domini abſolverint, ut diximus, de Petro & Paulo, ex Rom. *cap.* 11. *verſ.* 13. & Gal. *c.* 2. *v.* 7. quæ enim de reliquorum Apoſtolorum ſortibus tetigimus, apocrypha ſunt. Series verò & ordo prædicati Evangelii juxta Geographiam hic fuit. Primò Hieroſolymis Evangelii ſermo auditus eſt, Eſ. *cap.* 2. & Actor. *c.* 2. inde in Samariam pervenit, Act. 8. quo auſpicio, deinceps in reliquum orbem diſperſus, primò Aſiam; deinde mare ac inſulas pervagatus, Europam implevit; Græciam, Illyricum, Italiam, Hiſpaniam, continuo ordine perменſus. Moxque etiam Africæ affuſus; extremis tandem temporibus Indiam utramque luſtravit, ultimosque Orientis receſſus & Japonum ac Serum dites inſulas terrasque Chriſtianæ fidei guſtu imbuit. Quo pacto ubique locorum priſca ſuperſtitio ruit, fruſtra querentibus, queis ſtultus antiquitatis error mentem occæcârat. Duo autem præcipuè fuerunt, quæ ſancti hi τῆς οἰκουμένης Doctores Epiſcopis Paſtoribusque, quos paſſim conſtituerunt, inculcare ſunt ſoliti, adeoque & Petrus, (*l*) *Apoſtolus ille Ieſu Chriſti*, 1. Petr. *c.* 1. *v.* 1. *Servus & Apoſtolus Ieſu Chriſti*, 2. Petr. *c.* 1. *v.* 1. *Presbyteris* Eccleſiarum *unà Presbyter ac teſtis afflictionum Chriſti*, 1. Petr. *cap.* 5. *v.* 1. ut, (*m*) quantum ad Eccleſiarum, quibus præponebantur, regimen, *paſcerent Dei gregem, illius inſpectioni vacantes*, Græcè ἐπισκοποῦντες, *v.* 2. *neque dominarentur Cleris, ſed eſſent exemplaria gregis*, *v.* 3. (*n*) quantum verò ad doctrinam, *ut memores eſſent verborum, quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis, & præcepti illius noſtri, qui ſumus Apoſtoli Domini & Servatoris*, 2. Epiſt.

2. Epiſt.*cap.3.v.2.* quam unicam doctrinæ normam & credendorum regulam omnibus ſollicitè commendat idem, *firmiſſimum* viz. *illum ſermonem Propheticum, illumque attendentes bene facere* ait, *velut lucernam ſplendentem in obſcuro loco*, ib.*c.1.v.19.* V.& *v.18.* & 20,21. quod eò intentiori curâ tum ille, tum cæteri Apoſtoli, Paulus præcipuè, urgebant, quia noverant poſt obitus ſuos, quorum magna fuerat etiam apud improbos dignatio, velut tibicinibus ſubrutis, mox in deterius lapſuram eſſe Eccleſiam, & ab ingruentibus hæreſibus ac irrepente *Adverſario*, magnam tum in doctrinam, tum illâ corruptâ in regimen, invectum iri mutationem. Ab hac proin norma, (*o*) ne latum quidem unguem abſcedi voluit Petrus *locis d.* quemadmodum *præter id, quod accepimus*, evangelizari vetat Paulus Gal.*cap.1.v.8,9.* hoc eſt, *neque addi quidquam ad verbum illud—neque detrahi de eo*, Deuter. *cap. 4. verſ. 1,2.* imò Johannes, ſacrorum Scriptorum ultimus, verbis, *Si quis adjecerit ad hæc*, &c. *Si quis abſtulerit aliquid* &c. Apoc.*cap. ult. v. 18, 19.* univerſum Scripturarum canonem clauſit, & veluti diris quibuſdam, *imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto: auferet Deus partem ejus à libro vitæ*, &c. obſignavit. Hanc *Petri fidem qui habent*, (*p*) Petri ſucceſſores jure dicuntur, quoad Epiſcopale ſc. munus, prædicandi verbum, Sacramenta adminiſtrandi, diſciplinam exercendi, Paſtores ordinandi; quo ſenſu omnes olim cujuſcunque Eccleſiæ Epiſcopos *Apoſtolorum ſucceſſores* appellavere antiqui: at non ejus, quatenus Apoſtolus erat, & quoad ſingularem ac Apoſtolicum illum characterem, quem extraordinarium & planè perſonalem fuiſſe, neminem latet. Cùm enim novæ Eccleſiæ proceres forent, eique condendæ à Deo ſin-

gulariter electi Apoſtoli, peracto hoc opere & Lege Dei per eos jam publicatâ ac *in medio* omnium *poſitâ*, Jer. *cap. 31. verſ. 33.* aliud poſt illos Verbum, aliud ve Evangelium, expectari non debet, nec Apoſtolis poſt Apoſtolos opus eſt. Unde etiam nullus poſtea tantâ donorum copiâ, nec tantâ in Eccleſia auctoritate fuit, ut nomen iſtud tueri poſſet. Laxior itaque vocis acceptio eſt, cùm Eccleſiarum Paſtores, ac Miniſtri, quòd *mittuntur* ad prædicandum Dei verbum, inprimis verò illi, qui erant Apoſtolorum συνεργοὶ, *Apoſtoli* vocitantur ſubinde in Sacris, & συναπόστολοι Chryſoſtomo, *Homil. 59. tom. 5. p. 398.* Eadem ratio, cùm Epiſcopi olim dicebantur *Apoſtolici viri*, quòd viz. proximi ſpiritu & gratiâ ab Apoſtolis eſſent & eorum doctrinam ſequerentur, hincque dignitas eorum, *Apoſtolica dignitas*, & Eccleſiæ illorum *Apoſtolicæ*. Tertullianus, *Illæ Eccleſiæ, quæ, licèt nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, tamen in eadem fide conſpirantes, non minùs Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ, de Præſcr. adv. Hæreticos c. 32.* Unde & *Apoſtolicæ Sedes* Epiſcopatus dicti: Sidonius, ad Epiſcopum Tricaſſinum, *Ergo cùm ſis procul ambiguo primus omnium toto orbe Pontificum, poſt deſudatas militiæ Larinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia, &c. lib. 6. Epiſt. 1.* quod elogium poſtea, ut & de aliis quibuſdam ſuprà monuimus, Eccleſiæ Romanæ manſit proprium. Otto Friſing. ex Epiſt. Synodi Brixinenſis ad Gregorium VII. *Sicut hactenus ſolebas dicere, quòd nullus noſtrûm eſſet Epiſcopus, ita ſcias, quòd nulli noſtrûm deinceps eris Apoſtolicus, de Geſtis Friderici I.* Vid. Caſp. Barthium. *Adverſar. lib. 43. cap. 8.* aliosque.

XXXII. EPISCOPI ROM. MARTYRES.

I. LINUS (q).

Grex coiit pacto hoc; paſtor (r) *ſed defuit: ergo*
Hunc ego ſum juſſus paſcere, Christe, *tibi*.
Et pavi: donec, Sanctos urente Nerone (ſ),
Martyrii hos inter parta corona mihi (t) *eſt* (u).

Enarratio.

(q) De Monarchiarum & Imperiorum initiis & ſucceſſione conſtare debet; ut, qui veri Principes, ſciatur; at verò primâ Epiſcoporum Rom. ſucceſſione nihil incertius & minùs planum: cùm alii Petro, vel Paulo, ſubjungant Linum; dein Clementem, alii contrà Clementem præponant, alii verò à Lino proximum faciant Cletum, tum Clementem; alii iterum pro Cleto Anacletum ſubſtituant: alii etiam ex hiſce duobus unum cudant; alii denique, vivo etiam & vidente Petro, quem Eccleſiam hanc fundâſſe volunt, Linum ſediſſe adfirment. Diſſenſionis origo hæc. Vidimus ſuprà antiquos Petrum & Paulum junctim conſtituere primos Romæ Epiſcopos, & ejus Eccleſiæ fundatores: unde; præter ibi dicta, phraſis à multis jam ſeculis recepta hodieque in uſu; *ad limina Apoſtolorum ire*, id eſt, Romam. Sed & oſtendimus, commoratio-

B 4 nis

niſ in urbe illa principe Pauli multam eſſe mentionem in Actis & Epiſtolis, nullam Petri. *Paulus* itaque *non unum Epiſcopum, ſed plures, qui Presbyteri & Epiſcopi (hoc enim unum & idem tum temporis) Eccleſiæ præfecit, h. e. collegium Presbyterorum. Sic Linus, Cletus, Clemens, ſimul ab Apoſtolis inſtituti. Scriptores ſequentis ævi, dum ad ſuum morem reſpiciunt, eos, quos legebant Epiſcopos fuiſſe, ſibi invicem ſucceſſiſſe exiſtimabant, cùm ſimul fuiſſent, ejuſdem ordinis & pares,* Salmaſius *ad Sulpicium Sever. lib. 2.* verba, *Petro ibi Epiſcopatum gerente & Paulo,* &c. Ut verò demus aliquid iis, quorum Romæ fuiſſe Petrum, illamque Eccleſiam conſtituiſſe, intereſt, ex Chronologia ſacra, quam ex Actis Apoſtolicis & Epiſtolis nonnullis Paulinis de Petro Apoſt. concinnavimus, relinquitur nobis aliquantillum temporis ſpatium, antequam Paulus ad Romanos ſcriberet, quo Romæ eſſe potuiſſet Petrus: potuitque eòdem fuiſſe reverſus circa ann. C. 55. vel 56. ibique, aliorſum diſceſſurus Eccleſiæ præfeciſſe Linum, uti habetur in *Pontificali* Damaſi, ubi Linus ſediſſe ſtatuitur, à Conſulatu Q. Vol. Saturnini, & P. Corn. Scipionis, qui anno C. 56. hoc munere functi ſunt, Neronis Imp. 2. uſque ad annum, quo Coſſ. fuere, L. Fontejus Capito, & C. Jul. Rufus, Ch. 67. Neronis 13. Quidquid verò ſit de illo, qui Linum primum ſedi huic Epiſcopum impoſuit, ſeu Petrus fuerit, ſeu Paulus, ſive uterque ſimul, id eo modo factum, quo diximus. Unde *Clementem, qui orationi & prædicationi vacaret, Linum verò & Cletum, qui Sacramenta adminiſtrarent ac diſpenſarent,* eodem tempore, in Eccleſia conſtitutos eſſe primitus, tradit ex Vett. Salmaſius *de Primatu Papæ,* & *Fœnore, p. 409.* Linum tamen præponunt non pauci, quorum ordinem ſequi placuit. Fuit is

gente

gente Hetruſcus, ut Turſellinus habet, auditor & comes Pauli Apoſt. qui ejus mentionem facit, 2. Tim. c.4. v. 21. *Salutat te Eubulus & Pudens &* Linus *& Claudia.* Sic ut (r) Epiſcopi Paſtoriſque ordinarii munere adhuc, tempore ſecundæ captivitatis Apoſtoli hujus, defunctus videatur: quo Martyrii coronam adepto ann. Ch. 65. uti dictum, (ſ) perſecutione Neronianâ, quâ Chriſtiani *publici odii obtentu quæſitiſſimis pœnis ſunt affecti, additaque pereuntibus ludibria, ut tergis ferarum contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut, ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur,* Tacit. *Annal. lib.15.* in ſequens quoque tempus deſæviente, (t) Linus etiam, poſtquam puritate doctrinæ, vitæ ſanctitate & zeli fervore cœtui ſuo egregiè præluxiſſet, unà abreptus eſt, ac ſanguine ſuo Eccleſiæ hujus primordia conſecravit, ann. C. 67. Neronis 13. Epiſcopatûs ſui ann. 11. menſe 8. die 5. Fertur ordinâſſe octodecim Presbyteros, Epiſcopos undecim: & inſtituiſſe, *ut fœminæ velato capite ſacris intereſſent*; ſeu potiùs repetiiſſe, & confirmâſſe, quod magiſter ejus inſtituerat, 1. Cor. c. 11. v. 5. *Omnis mulier orans, aut prophetans non operto capite, dedecorat caput ſuum.* Sub ejuſdem nomine circumferuntur duo ad Eccleſias Orientales libelli, qui *Paſſionis Petri* & *Pauli* continent acta: ſed commentitios eſſe, nemo vel leviter in antiquitate verſatus ignorare poteſt, & Manicheiſmum inſuper redolere, Baronius docet, *ad ann. 69.* Vid. quoque Bellarminum *de Scriptor. Eccl.* Poſſevinum *Apparatu ſacro*, & Andr. Rivetum *Critico ſacro l.1.c.6.* ac plura de primo hoc Eccleſiæ Rom. Epiſcopo Martyre, apud Irenæum *lib.5. cap.3.* Hieronymum & Platinam *in Lino*, Nicephorum *l. 2, c. 35.* Sigebertum *de Viris illuſtr. c. 5.* Euſebium

bium *Hiſtor. Eccl. lib. 3. c. 4.* (u) Dum verò Linus gregem ſibi commiſſum Romæ paſcit, Eccleſiam *Antiochenam* in Syria regit Evodius, primus hujus urbis Epiſcopus à Petro Apoſt. ut volunt, ann. Ch. 44. conſtitutus: *Alexandrinam*, in Ægypto, Marcus Evang. quem martyrio coronatum refert, ann. C. 65. Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 2. c. 22.* & 23. ſucceſſore Aniano: *Hieroſolymitanam*, poſt Jacobum Alphæi Apoſtolum, lapidatum ann. C. 62. Simeon Cleophæ, quo de infrà. Apertum verò Eccleſiæ hoſtem profeſſus Nero, *Perſecutionem I.* jam ſuprà indigitatam, movit, quâ fideles catervatim ad macellum tracti, Petrus & Paulus Apoſtoli, ac Linus Urbis Epiſcopus, martyrii lauream nacti, latisque legibus Religio Chriſtiana prohibita eſt, teſte Sulpicio Sev. *l. 2.* ann. C. 64—67. cauſam perſecutionis itidem indicavimus in præcedd. Nec operti jam tum defuerunt, *Hæretici* varii. Uti enim Chriſti doctrinæ contradicebant, illo adhuc in his terris verſante, Phariſæi, Scribæ & Sadducæi, quos reliqui ſequebantur Judæi: Capernaitæ item, qui, quæ de ſpirituali ſui manducatione per fidem docuerat, ad carnalem ἀνθρωποφαγίαν detorſerunt, Joh. c. 6. Vid. quoque Auguſtinum *in Pſalm. 54.* ita, poſtquam ille Redemptionis opere peracto in cœlum aſcendit, Eccleſiam adhuc à matre recentem, mox turbare cœperunt, Archi-hæreticus Simon Magus, cujus errores tangunt Petrus 2. Epiſt. *c. 2.* & Judas *Epiſt.* Nicolaitæ, ab ann. Ch. 51. Auguſtinus *Hær. Ap. 2.* Hymenæus, Philetus, Phygellus, Alexander, Hermogenes, in Epiſtolis Paulinis notati: alii, quorum non quidem nomina, indicia tamen, paſſim occurrunt, *Antichriſtorum* generali appellatione inſigniti, 1. Joh. c. 2. v. 18.

II. CLE-

II. CLEMENS I. (x).

Poſtquam annos docui ter tres (y) *feliciter, à te,*

Miſſus in exilium, Veſpaſiane, (z) *fui.*

Taurica (a) *me tum habuit, ſed poſt ex exule martyr*

Trajano (b) *evaſi præcipiente pius* (c).

Enarratio.

(x) IRenæus Episc. Lugdun. qui primus catalogum texuit Epiſcoporum Roman. ſub finem ſec. II. c. *Hæreſ. l. 3.* poſtquam hanc Eccleſiam ab Apoſtolis fundatam, ejusque regendæ curam Lino commiſſam eſſe, docuiſſet, Anacletum ei ſucceſſiſſe, tertio verò loco Clementem ab Apoſtolis Epiſcopali muneri fuiſſe admotum, addit: ſicque, Cleto omiſſo, Anacletum Clementi anteponit, apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l. 5. c. 5. & 6.* Sequuntur eum, Auctor refutatæ Artemonis hæreſeos, tempore Victoris; Euſebius ipſe, &, quos hic in partes traxit, Sophronius, Nicephorus Patr. CP. Nicephorus Calliſtus, Zonaras, Alii. A quibus verò diverſus Epiphanius, præterito itidem Cleto, Anacletum demum poſt Clementem collocat *Hæreſ. 27.* at alibi Petrum & Paulum Apoſtolos primos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, ſucceſſores verò eorum hoc ordine, Linum, Cletum, Clementem, ait *c. Carpocrat. l. 1.* Tertullianus, Clementem Lino, Clementi dein Cletum & Anacletum ſubjicit, *c. Marcion. lib. 3.* ſed communem Latinorum ſententiam ſequitur,

atq; Clementem ſtatim poſt Petrum collocat, *Præſcription. c. 32.* adſtipulante ei Eucherio *Epiſt. ad Valerian.* aliisque Auctor *Conſtitutionum*, quæ Clementi tribuuntur, Linum cum Clemente præfuiſſe, ait *lib. 7. c. 47.* Hieronymus, à Petro Linum ſecundum, Anacletum tertium, quartum Clementem facit, *de Scriptor. Eccl.* fatetur tamen, Latinorum plurimos Clementem Petro immediatè ſubjungere, *c. Iovinian. l. 1.* eumque *virum Apoſtolicum, qui poſt Petrum gubernaverit Eccleſiam Rom.* appellat *in Eſaj. c. 52.* Alii aliter hos diſponunt. His verò ſententiis conciliandis lucem adfert *Pontificale* Damaſi ſuprà laudatum, ubi ſic habet: *Hic* (Petrus ſc.) *ordinavit tres Epiſcopos, Linum, Clementem, & Cletum, ex quibus Linus & Cletus præſentialiter* (h. e. illo adhuc præſente ac ſuperſtite) *omne miniſterium Sacerdotale populo ſupervenienti exhibuerunt, dum ipſe Petrus orationi ac prædicationi vacaret: Clementi verò Cathedram vel Eccleſiam omnem commiſit.* Vid. Dav. Blondellum *Præfat. Apol. S. Hieronymi.* Nempe poſt mortem Petri primus Romæ Epiſcopus Clemens fuit, Linus verò, vel Petro adhuc vivente, vel brevi poſt ejus obitum, vivis exceſſit: unde, qui à morte Petri Epiſcoporum horum ſeriem inchoant, Clementem primum ponunt, qui verò à prima inſtitutione hujus ſedis, per Apoſtolos factâ, illam ordiuntur, Linum, utpote priùs ordinatum, primum meritò locant. Vid. Ruffinum Aquil. *Præfat. in Recognitiones Clementis,* Alb. Stadenſem *Chron.* & qui hac de re prolixè & accuratè agit Joh. le Sueur *Hiſtor. Eccleſiæ & Imperii Gall. ſcriptâ, ad ann. C. 73.* Fuit hic Clemens patriâ Romanus, cujus honorifica mentio apud Paulum Philipp. *c. 4. v. 3.* ubi eum inter *adjutores ſuos* recenſet Apoſtolus, *Rogo te quoque ſocie germane, adjuva*

illas

illas (Evodiam & Syntychen) *ut quæ in Evangelio concertârunt mihi, unà cum Clemente quoque & reliquis adjutoribus meis*. Præfuit cum fide & zelo, (*y*) uſque ad annum C. 76. quo ſub (*z*) Veſpaſiano Imperat. (*a*) in Cherſoneſum Tauricam relegatus, ibi exilium toleravit, uſque ad annum C. 101. (*b*) Trajani 4. exilii ſui 25. ſub quo, tertiâ contra Chriſtianos perſecutione excitatâ, martyrium ſubiit, alligatâ ad collum anchorâ mari merſus, d. 23. Nov. poſtquam toto hoc exilii ſui tempore compluribus regionis illius incolis ad fidem converſis regnum Dei propagare non deſiiſſet. Dicitur ordinâſſe XV. Epiſcopos, X. Presbyteros, Diaconosque duos, ac inſuper conſtituiſſe, *ne Sacerdotes religionis prætextu uxores dimitterent, neve Clerici ſecularibus curis implicarentur*, Polydorus *l. 5. c. 3.* Scripſit teſte Hieronymo, ex perſona Eccleſiæ Rom. *ad Corinthios Epiſtolam*, primævam ſimplicitatem ſatis referentem & valde utilem, quæ nonnullis in locis tum publicè legebatur. Hanc antea deſideratam Patricius Junius Latinè vertit & brevibus Notis illuſtravit, ediditque cum fragmento *Epiſtolæ II. ad eosdem*, quam Veteres jam reprobârunt, Oxonii ann. C. 1633. Feruntur ejuſdem nomine Epiſtolæ aliæ quinque, duæ ad Jacobum fratrem Domini; reliquæ tres ad Diſcipulos ſuos: è quibus multa, teſte Sixto, in Decretis Pontificum excerpta ſunt. Sed ex ſtyli ratione, chronologia falſa, collatione contemporaneorum Scriptorum accurata, aliisque, fusè oſtendunt Magdeburgenſes *Centur. 1. c. 8.* Aliique, non ſolùm quinque Epiſtolas has, ſed etiam Decretales cæteras nomine Anacleti, Evariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutheri & Victoris inſignitas, non eorum eſſe, quibus attribuuntur. Vide

Vide quoque Joh. de Turrecremata *Summæ de Eccl. lib. 2. c. 101.* Poſſevinum, Monachum cogn. *Kalteiſen*, cujus meminerunt iidem Hiſtorici, adde Bellarminum *de Bonis oper. lib. 3. c. 11.* & Baronium *Annal. tom. II. ann. 102. ſect. 6. & 7.* De libro *Recognitionum*, qui itidem Clementis præfert nomen, Sixtus Sen. *Bibl. l. 2.* voce *Clemens*, ipſe ſuſpicari ſe fatetur, *non eſſe Clementis:* Bellarminus hæſitanter de illo loquitur, *de Lib. arb. l. 3. c. 3.* Baronius verò *portentoſorum mendaciorum & inſanorum deliriorum cœnoſum gurgitem* vocat, *ann. 44. ſect. 42.* Vid. præter Rivetum *Critico Sacr.* Joh. le Sueur *ad ann. C. 74.* (c) Dum ita Clemens Romanæ Eccleſiæ præeſt, annos 9. m. 2. d. 9. *Antiochenam* rexit adhuc Evodius, uſque ad ann. C. 69. Veſpaſiani 1. quo eum Ignatius excepit, qui jam priùs ejus Coepiſcopus aliquandiu fuerat, utpote à Petro Apoſt. ſimiliter ordinatus, uti docent Chryſoſtomus, Theodoretus *Dial. 1.* Felix III. *Epiſt. ad Zenonem Aug.* Nicephorus *l. 3. c. 35.* Alii: quem morem in Eccleſia primitiva viguiſſe, diximus ex Actis *c. 20. v. 17.* & 28. Philipp. item *c. 1. v. 1.* ac de Rom. Eccleſia retro oſtendimus. *Alexandrinam* Anianus moderabatur: nec *Hieroſolymitana* Præſulem mutavit. At Judaica Eccleſia, ob ſpretum Meſſiam, tota concidit, ipſo Sabbatho ann. C. 70. al. 71. Veſpaſiani Imp. 2. captâ urbe temploque incenſo: priùs tamen ex hac flamma fidelium cœtu Pellam trans Jordanem divino monitu evocato, uti Joſephus refert *de Bello Iud. l. 7. c. 24.* & *ſeqq.* Cœtera, ſub Galba, Othone, Vitellio, Veſpaſiano Eccleſiæ res ſatis tranquillæ. At Ebion, mox poſt excidium Hieroſolymorum, Judaiſmum Chriſtianiſmo miſcens, eam it turbatum, anno eod. Irenæus *lib. 1. c. 26.* Epiphan. *Hær. lib. 1. c. 19.* & 39. Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 3. c. 24.* Philaſtrius, Alii.

III. CLE-

III. Cletus (d).

Succeſſi in vacuam ſtationem (e) *interritus, atque hanc*

Ornavi, ut decuit, non titubante (f) *fide.*

Tempora poſt ſeptem (g) *proprio mea dicta cruore* (h)

Sanxi, mandato, muſca (i) *cruenta, tuo* (k).

Enarratio.

(*d*) Diximus aliquid de diverſitate Auctorum, circa primos Romanæ Sedis Epiſcopos, quæ, ſi in Clemente, non minùs in Cleto variat. Omittit eum Irenæus apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. lib. 5. c. 5. & 6.* & Epiphanius *Hær. 27.* qui tamen alibi Cletum mox Lino ſubjicit, ut vidimus. Optatus Milevit. & Auguſtinus, ſimiliter de Cleto nil habent. Alii pro Cleto Anacletum ponunt, hoſque duos in unum confundunt. Nonnulli & rectiùs quidem diſtinguunt. Sic Ivo Carnut. *Chron. MS.* ſic Damaſus, ſic Alb. Stadenſis, ſic alii. Et diſertè Ruffinus, ſuperſtite adhuc & Apoſtolatum ſuum obeunte Petro, Romanæ urbis Epiſcopatu Linum ac Cletum defunctos eſſe, ait. *Præfat. in Clementis Recognitionum libr.* In tam numeroſa enim ac florenti jam tum Eccleſia hoc idem uſu venit, quod in Antiochena, de qua ſuprà, & Epheſina, *Act. c. 20.* ut illi plures ſimul Epiſcopi ſeu Presbyteri (quas voces ſynonymas tum fuiſſe notum) præficerentur, quorum qui vel ætate vel ordinationis tempore reliquos antecedebat, in conventibus Eccleſiaſticis præſideret, & utplurimùm ſolius ejus nomen exprimeretur, donec in locum

locum defuncti unus ex Συνέργοις illius ſuccederet. Cum Lino porrò & Cleto Clementem quoque jam ab Apoſtolis ad ἐπισκοπὴν vocatum fuiſſe docuimus, Lino itaque martyrio ſublato, proximus qui ei erat Clemens, in moderamine Eccleſiæ illi ſurrogatus eſt, quem in exilium pulſum Cletus excepit, ob affinitatem nominis cum Anacleto nonnullis facili lapſu confuſus. Fuit is Romanus itidem, & relegato in Tauricam Clemente, (*e*) Eccleſiæ curam ſuſcepit anno C. 76. quo Fl. Veſpaſianus VIIII. & Tit. Veſpaſianus VII. Coſſ. erant, illamque magnâ (*f*) fide & ſucceſſu geſſit, uſque (*g*) ad ann. C. 83. Domitiani 2. quo (*h*) ſecundâ Chriſtianorum perſecutione graſſante, Imperatoris hujus (qui initio Principatûs quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolitus erat, quod (*i*) muſcis configendis impenderet) mandato, cum Sanctis aliis extinctus eſt, poſtquam Eccleſiam gubernâſſet ann. 6. m. 5. Vid. de eo, præter Auctores laudatos, Platinam & Luitprandum *in ejus Vita*. (*k*) Illo ſedente, Clemente verò in Taurica exulante, ſub iiſdem Præſulibus, quorum retro mentio, celebriores in Oriente Eccleſiæ fuere. Creſcens, Pauli Apoſt. diſcipulus, in Gallia Evangelium prædicavit, ann. C. 70. 80. 2. Tim. *c.* 4. *v.* 10. Vide quoque Euſebium *Hiſtor Eccl. l.* 3. *c.* 4. Epiphanium *Hæreſi* 51. & Adonem Vienn. *Chron. ad annum Ch.* 101. Polycarpus, Johannis Apoſt. auditor, à Præceptore ſuo Smyrnenſi Eccleſiæ præpoſitus, ann. C. 82. eam rexit, uſque ad ann. C. 167. Irenæus *adv. Hæreſes lib.* 3. *c.* 3. Imò jam tum *toto orbe confirmatiſſima Chriſti Eccleſia* erat, quam proin, cùm ſub Veſpaſiano & Tito ſatis quietè habuiſſet, frater hujus Domitianus, *datis ubique crudeliſſimæ perſecutionis edictis mox convellere auſus*, ut Oroſius ait *l.* 7. *c.* 7.

quòd

quòd Judæi, à quibus tum nondum Chriſtiani diſtinguebantur, de ſuo imaginario Rege ac Meſſia blaterare non ceſſantes, ſuſpicaci tyranno varios metus injicerent, ann.C. 83. Imp. 2. ei quaſi prælu-ſurus, Cletum, ut diximus, ſuſtulit: ſub Anacleto dein, totis viribus Eccleſiam impugnaturus. Peregrinus verò, Philoſophus Gentilis, religionis Chriſtianæ lucri causâ ſimulator, eouſque, ut & carcerem ob eam toleraverit, collectâ pecuniâ non modicâ ex eleemoſynis Sanctorum, ad vomitum rediit, *Satis ſibi* ajens *viatici in hoſpitalitate Chriſtianorum*, ann. C. 78. Euſebius *Chron.* Præter quem, Menander, Simonis Magi diſcipulus, jam ab ann. Ch. 60. uſque ad ann. 80. Idem *Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 26.* & Clem. 3. *Strom.* nec non Diotrephes infrà dicendus, Eccleſiam turbârunt.

IV. ANACLETUS (*l*).

Diviſi in titulos (m) *Romam, munusq́; peregi*
Impoſitum, quantâ relligione (n) *datum eſt.*
Ut propè meta fuit, ſimilis me purpura (o) *tinxit,*
Flavia (p) *cùm in ſanctum pergeret ira gregem* (q).

Enarratio.

(*l*) Cum Cleto confudiſſe nonnullos hunc diximus ſuprà, ob rationem ibi indigitatam, cui adde,

adde, quòd in ea primi hujus temporis caligine unius anni non rarò alteri à Scriptoribus tribui deprehenduntur: quo factum, ut non Cletus ſolùm quibuſdam, ſed & Linus, Proſpero ac Marcellino Com. in Pontificum catalogo omittantur. Fuit hic Anacletus, patriâ Athenienſis, Antiochi cujuſdam filius, qui, poſt Cletum, Eccleſiæ Rom. clavo admotus, ann. C. 83. Domitiani 2. (*m*) *Titulos in urbe Roma diviſit Presbyteris*, teſte Damaſo *Pontif.* & *ſeptem Diaconos inſtituit. Titulorum* nomine, apud Scriptores hoſce, domos ſeu loca, in quibus ad ſacra coibant Chriſtiani, venire notum, & diximus aliquid hanc in rem, *Lexico Univerſ. contin.* voce *Presbyter.* Pro numero verò regionum urbis, utpote creſcente indies fidelium numero, totidem Diaconos, quorum miniſterio hactenus Epiſcopi ſeu Presbyteri carebant, ordinavit, quemadmodum in Hieroſolym. Eccleſia ab Apoſtolis factum legimus, Actor. *cap. 6.* Ciacconius autem Evariſto id tribuit, ut in eo videre eſt. (*n*) Alia inſuper, circa Eccleſiæ εὐταξίαν, ſanxiſſe legitur: donec poſt egregia fidei, ſanctitatis zelique, in regendo, calamitoſiſſimo illo tempore, cœtu ſuo exhibita, (*o*) proprio ſanguine, durante perſecutione, (*p*) à Domitiano motâ, de qua poſtea, doctrinam Evangelii obſignavit, ann. C. 95. die 13. Jul. Epiſcopatus ſui anno 12. m. aliq. Domitiani 14. Vid. Irenæum *l. 3. c. 7.* & *l. 5. c. 3.* Auguſtinum *Epiſt. 165.* Nicephorum *l. 2. c. 35.* Alios. (*q*) Eccleſiarum Orientis, illius tempore, iidem, qui ſub Cleto, Præſules, niſi quòd *Alexandriæ* Aniano defuncto Abilius ſuffectus eſt, ann. C. 85. Epheſinam, quam Paulus fundaverat, Actorum *c. 19.* anno C. 52. rexit Johannes Evang. & Apoſtolus, qui, Aſiæ Epiſcoporum rogatu, Ebionitas, Cerinthianos, Nicolaitas, aliosque

hæreticos,

hæreticos, fidem diverſimodè impugnantes, divinis ſuis Scriptis, ſolidiſſimè refellit, contuditque: *Evangelio* ſuo ante exilium edito, quod *Epiſtolæ* ſequutæ. Ex Aſia dein Romam tractus, Imperatoris juſſu *in oleum fervens conjectus* eſt, ſed quum illæſus in eo repertus eſſet, in Patmo exulare juſſus, ibi divinam *Revelationem* vidit (acuendis deinde omnium piorum mentibus ſcripto vulgatam) anno C. 90. *Perſecutione II.* flagrante, quam Domitianus movit tantâ acerbitate, ut ne nepti ſuæ quidem ex ſorore Flaviæ Domitillæ maritoque ejus Fl. Clementi, patrueli ſuo, Conſuli deſignato ann. 95. parceret, ſed, hoc quidem interempto, illam in Pandatariam ſeponeret, *ubi longum martyrium in cellulis*, ut Hieronymus loquitur, *duxerat*. Priùs verò, Antipas *martyr ille Chriſti fidelis occiſus eſt*, Pergami, ann. 91. Apocal. c. 2. v. 13. ad quem annum referas quoque martyrium Dionyſii Areopagitæ, primi Athenienſium Epiſcopi, ab Apoſt. Paulo conſtituti, cui Publius ſucceſſit; Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 4. c. 23.* Nec verò his contentus Domitianus, quoque conquiri patris exemplo juſſit, qui ex Davidis regia ſtirpe ſupereſſent, non minùs ac Herodes, à Meſſiæ adventu ſibi graviter timens. Adducti itaque ad eum ſunt duo fratres, Judæ Apoſtoli nepotes, à quibus edoctus, JESU CHRISTI regnum non de hoc mundo, ſed cœleſte, eſſe, ſeque ad alterius vitæ felicitatem per humillima quæque aſpirare, cum contemtu illos dimiſit; Oroſius *l. 7. c. 10.* Hegeſippus, Euſebius *Hiſtor. lib. 3. c. 20.* eod. ann. 95. quo & Anacletus ſublatus. Hæc aperta in Eccleſiam vis, at ex ipſis his Ethnicis Apollonius Tyaneus, famoſus ea ætate Magus, præſtigiis ſuis & fraudibus vera Chriſti & Apoſtolorum miracula, ſuſceptâ quaſi Simonis Magi perſonâ,

nâ obſcurare niſus eſt, cujus quidem tanta fuit exiſtimatio, apud ſuos, ut *Herculis Alexicaci* nomine Epheſii illum colerent, & Alexander Imp. poſtmodum eum unà cum Chriſto, in Larario ſuo, collocaret. Atque ob hunc, de Imperii ſucceſſore conſultum, Domitianus Coccejum Nervam, qui ei poſtea in Imperio ſucceſſit, exilio multaverat, ann. C. 89. Vid. Philoſtratum, Laërtium & Suidam, ubi de *Apollonio*: Euſebium item in *Hieroclem l.8.* Intra Eccleſiam, Diotrephes, *primatum ambiens, non recipiebat* Johannem—*neque fratres, & qui volebant recipere, prohibebat & ex Eccleſia ejiciebat*, 3. Joh. *v.* 9,10. Cerinthus, *in Chriſti æterna divinitate neganda, & legis neceſſitate urgenda*, Ebioni adſtipulatus, varios inſuper errores ſeminavit, circa ann. C. 92. Hermanno Contr. Euſebius eum ſtatim poſt Ap. Petri tempora ponit, *Hiſtor. Eccleſ. l. 3. c. 25.* Utrique ſe Johannes magno cum zelo oppoſuit ac contra illos Evangelium ſuum ſcripſit, nec eodem cum iis balneo lavari ſuſtinuit, *Feſtinemus*, ad ſuos inquiens, *fratres: fugiamus hinc, ne balneum concidens nos ſimul opprimat*. Nicolaitæ circa eadem tempora, turbârunt adhuc, quorum *facta*, Apoc. *c. 2. v. 6. doctrina, verſ. 15.* graviter arguuntur, qualia autem utraque fuerint, non reperitur, niſi quòd *idolothytis veſci, ſcortari, & uxores communes habere*, in licitis poſuiſſe, Auguſtinus, Irenæus, Epiphanius, Alii, tradunt.

V. EVA-

V. EVARISTUS (*r*)

Admotus clavo rexi cum Numine cymbam,
Atq; auxi cœtum, maxime CHRISTE, *tuum* (ſ).
Clementem (t) *interea dum Caſar in æquore mergit*
Ulpius (u), *& tandem me quoque cæde beat* (x).

ENARRATIO.

(*r*) DEcimo tertio poſt Anacleti martyrium die, Evariſtus, Græcus natione, parente Judæo genitus, nonnullis; aliis, Syrus Bethleemita, ei ſurrogatus eſt, ann. C. 95. Domitiani 14. dum Clemens in Taurica Cherſoneſo adhuc exulabat, quæ cauſa eſt, quòd quidam, eum adhuc poſt Anacletum ſuperſtitem fuiſſe legentes, in Epiſcoporum Rom. ſerie poſt hunc demum collocent, Evariſto ulteriùs ſummoto. (*ſ*) Hic Domitiano ſublato & perſecutione cum eo extinctâ, ſatis pacatè initiò Eccleſiam gubernavit. Chriſtianiſmi enim reos Nerva Imp. abſolvit, exulesque revocavit, nec ejus causâ quenquam accuſari porrò permiſit. Itaque & Johannes Apoſt. indultu Cæſaris, è Patmo Epheſum (ubi, ob loci celebritatem ſimul ac opportunitatem multùm commorari amabat, Timotheo interim, quod viſum nonnullis, ordinarium Eccleſiæ illius paſtorem agente) reverſus eſt, ann. C. 96. ibique in Domino obdormivit, inter Trajani initia, anno C. 100. quem (*t*) Clemens I. exilii ſui anno 25. poſt Cher-

Cherſoneſi incolas toto hoc tempore magno numero ad Chriſtum converſos, & conſtantiam ſuam, quà promiſſis, quà minis, ab Aufidiano Trajani præfecto nequicquam tentatam, martyrio tandem ſublatus, paulò poſt ſequutus eſt, ann. C. 101. alligatâ anchora mari merſus, ne corpus ejus à Chriſtianis ſepulturæ tradi poſſet, Platina *in Clemente*, Vid. & ſuprà. Sic (*u*) Trajano in fideles ſæviente, qua de re infrà paulò plura, Evariſtus jam difficiliora tempora nactus, eam tamen fidem zelumque in munere ſuo ſacro exhibuit, quæ in adverſis eniteſcerent magis: (*x*) veſtigiaque deceſſorum ſuorum ſtrenuè ſequutus eandem martyrii coronam impetravit, an. C. 108. d. 26. Octobr. Epiſcopatûs ſui anno 13. m. 3. d. 13. Trajani Imp. anno 11. Duabus vicibus ordinâſſe V. Epiſcopos, VI. Presbyteros, II. Diaconos perhibetur. Diviſionem quoque Urbis in titulos, quam Anacleto tribuimus, ſunt qui adſcribant. Vid. Euſebium *Hiſtor. Eccl. l. 4. c. 1.* Platinam & Ciacconium *in Eo*, adde Irenæum *l. 3. c. 3.* Optatum *c. Parmen. l. 2.* & Auguſtinum *Epiſt. 65.* Ejus ætate, *Antiochenam* Eccleſiam adhuc Ignatius regebat, vir animi ſtupendi, qui Romam pertractus, ann. 107. ibique beſtiis objectus, *Dei eſſe ſe triticum* dixit, *cupereque pro-in teri acmoli dentibus beſtiarum, ut Deo mundus & purus panis inveniatur*, apud Euſebium ubi ſuprà, *lib. 3. c. 32.* ann. C. 108. Scripta ejus quod attinet, Jac. Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus *Ignatii Epiſtolas* Oxonii edidit, ſimulque non ſolùm ſuppoſititias à genuinis diſcrevit, ſed eas etiam ipſas, quas pro Ignatianis habuere hactenus omnes, oſtendit variè fuiſſe interpolatas, notaſque addidit doctiſſimas. Aliam dein editionem adornavit Iſaacus Voſſius, quem videre operæ erit pretium. Eum verò in functione

ctione Epiſc. excepit Heros. In *Alexandrina* Abilio defuncto ſucceſſit Cerdo, ann. 98. *Hieroſolymitanam*, poſt martyrium Simeonis Cleophæ Apoſt. ann. C. 107. æt. 120. gubernare cœpit Juſtus: cauſam martyrii fuiſſe, quòd de ſtirpe Davidis & Chriſtianorum Paſtor diceretur Simeon, refert ex Hegeſippo Euſebius *Hiſtor. l.3.c.32.* Atque ſic, imperante Trajano, Apoſtoli Chriſti omnes, poſt centeſimum primi ejus adventus annum obdormierunt: non ceſſavit tamen Prophetarum & Evangeliſtarum, multò minùs Doctorum Paſtorumque vis & diligentia. Supererant adhuc Apoſtolorum diſcipuli, qui prophetiæ, linguarum, ſanationumque donis pollebant, inter quos Euſebius Quadratum numerat, Athenarum Epiſcopum, cum Philippi Evangeliſtæ filiabus: Polycarpum item, Papiam, Oneſimum Epheſiorum Paſtorem, (quem tamen alii magis Beroœnſium faciunt, & ſub Domitiano jam martyrio affectum docent) Alios, *ibid.* fruſtra ringentibus Tyrannis Hæreticiſque. Tum enim Trajanus, cœtera *Optimi* Principis elogio inſignitus, ſed veteris ſuperſtitionis pertinacior, cùm à Jove ſe accepiſſe Imperium ſomniaret, vetuit primò hæterias, id eſt, ſodalitates, dein *Perſecutionem III.* contra Chriſtianos, per quos Deorum templa deſolari victimarumque rarum jam emptorem reperiri, querebatur, excitavit ann. C. 99. innumeris omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque etiam ſexûs fidelibus in periculum vocatis: donec Plinius Jun. Bithyniæ Procoſ. eorum innocentiam, datâ ad Imperatorem epiſtolâ tueretur, cultuſque eorum ſimplicitatem ac puritatem deſcribens, eos *præter confeſſionem Chriſti, honeſtaque conventicula, nihil contrarium Romanis legibus facere*, oſtenderet, ann. Chr. 102. Vid. cum *lib. 10. Ep. 1.* quo

pacto

pacto fervor perſecutionis ſedatus, ipſa autem penitùs nondum extincta eſt. Nam præter martyres jam memoratos, alii non pauci mortem pro Chriſto oppetiere, ann. præſertim 107. & 108. de quibus, præter Euſebium, vide Nicephorum *l.3.c.16.* Gregorium Turon. *l.1.c.27.* Alios. Nec defuit altera hæreticorum peſtis, inter quos Helxeus quidam, gente Judæus, qui *de Chriſto & Spiritu S.* mira ſomnians, *fidem ore poſſe abnegari*, aliaque dogmata erronea & pernicioſa diſſeminavit, circa ann. C. 103. ad quem vide Joh. le Sueur, & de illius deliriis ac ſecta plura, apud Epiphanium *Hær.* 19. 53. Auguſtinum *de Hær. c.*32. Baronium ad A. C. 101. Alios. Sed & ad Evariſti tempora referunt alii, quod de Cerintho, Johanniſque è balneo fuga diximus *in Anacleto*.

VI. ALEXANDER I(*y*).

Sors eadem* (z) *mihi jure fuit cum Patribus iſtis,
***Paſſo terrores, verbera, vincla, necem* (a).**
Cauſa fuit ſacri prolata potentia Regni,
***Et Procerum acceſſu* (b) *multiplicata Fides* (c).**

ENARRATIO.

(*y*) PAtriâ Romanus, Anacleto ſuffectus, ann. Ch. 108. Trajani Imp. 11. (*z*) difficillimis illis temporibus ſub Principe egregio, ſed idololatra, hincque Chriſtianæ fidei oſore acerrimo, Eccleſiæ Rom.

Rom gubernaculum ſuſcepit, ac munere ſuo magna cum fide & zelo, ſed occultè magis, quàm publicè, functus eſt, fugâ nonnunquam ſibi conſulere coactus, uti de illius ævi Epiſcopis hoc monoſtichon docet, *Vrbibus antiqui Patres fugêre relictis*. Quo minùs fidem meretur, quòd *aquam benedictam* ſeu *aſperſionis*, quâ in Templorum introitu irrorentur homines & habitacula eorum conſpergantur, inſtituiſſe eum, Anaſtaſius, Micrologus & Honorius Auguſtodun. tradunt. Aquæ enim hujuſmodi uſus Chriſtianis tum ignotus adhuc, & in Gentilium ſolùm ſacris memoratus, illorum temporum Hiſtoricis: quorum proin aſpergillum, & vas marmoreum, in quo aqua luſtralis ad templorum portas ingredientibus proſtabat, depictum habes apud Guil. Caullium *de Religion. Rom.* uti hiſtoriam de Valentiniano I. qui, miles adhuc, Julianum Fortunæ templum intrantem ſequens, ab æditVo guttis aliquot aſperſus, ei colaphum impegit, apud Theodoretum *l.3.c.16.* unde Cardin. Baronius, *Luſtralem*, inquit, *aquam -- habes apud Iuvenalem Sat.6. & alios, ad ann.* 439 *n.* 88. Sed nec Templa tum Chriſtianis, qui in ſpecubus, ac cryptis ſubterraneis, metu Gentilium, plerumque conveniebant: unde *in catacumbis*, h. e. cœmeteriis, propè & extra muros urbis ad aliquot milliaria extenſis, habitâſſe Evariſtum, Auctor *vitæ S. Fauſtini & Iovitæ Mart. n.19.* ac Urbanum I. *Acta S. Cæciliæ*, referunt. Aut, cùm paulò tranquilliores res eſſent, in cœnaculis ædium privatarum congregabantur, Sacris operaturi, ut diximus *Lexico Vniv.* lemmate, *Aurata domus*. Popinariorum locum controverſum, illis adjudicavit Alexander Sev. teſte Lampridio, Sec. 3. demum: laxiora dein convenientibus ſuis ædificia exſtruendi

facultatem ſub Probo nactis. Imò etiam ſub Chriſtianis Impp. *Templi* nomen diu, de paganorum ſolùm ædibus ſacris, in uſu manſiſſe, diſcas ex Cod. Theodoſ. *tit. de Paganis, Sacrificiis & Templis*, V. Deſid. Heraldum *ad Arnobium l. 6.* Certè, perſecutio Chriſtianorum literis Plinii, & reſcripto Trajani mitigata quidem utcunque eſt, uti diximus, manſit tamen nocendi animus, datâ occaſione in nervum erumpens. Quò ipſa reſcripti verba tendunt, *Conquirendos non eſſe: ſi deferantur & arguantur, puniendos.* Unde fidelibus nunquam ſub hoc Cæſare tranquillitas ſincera. Barſimæus Edeſſæ Epiſc. quòd in convertendis Gentilibus ſtrenuè deſudaret, cum fidelium non paucis, Trajani in urbe tum verſantis juſſu, ſupplicio affectus eſt, an. C. 109. Romulus ob eundem increpitum, quòd 11000. Chriſtianorum militum exauctoràſſet, ac ſolum vertere coëgiſſet, ut & Rufus ac Zoſimi duo, martyrio coronati ſunt, ann. C. 111. Publius, Athenienſium Epiſc. pro Chriſti nomine ſanguinem fudit, ann. C. 113. rebellione dein Judæorum in Cyrenaica reg. coortâ, in Ægypto item ac Cypro, non pauci Chriſtiani illorum rabie interierunt, eádem ſtrage cum Gentilibus involuti, ann. C. 114. Sequutus terræmotus horribilis & ſtupendus, concuſſit Antiochiam, dum ibi hibernat Trajanus, qui Ignatium urbis Epiſcopum ſeptennio antè interemerat: cujus mali contagium ad totum orbem pertinuit, ob frequentiam mortalium, qui, Cæſaris causâ eò congregati, plerique mille mortium generibus periere, interque eos & Pedo, Conſul Romanus, ann. C. 115. ipſo Imp. tantopere attonito, ut ceſſante terræ motu per multos dies nulli ſe tecto committere auderet, Dio Xiphilini *in eo.* Nec tamen pertinax in fidem ira ceſſavit, donec

nec Tiberianus Syriæ Præſes, *ſe non eſſe parem Chriſtianis occidendis*, miſſis ad Cæſarem literis fateretur. Tum inhibitus furor, ſed in illis locis: ſævire interim Romæ perrexit, ubi (*a*) Alexander, tot Martyrum acervo cumulus acceſſit, ann. C. 116. d. 29. MaI, ſedis ann. 7. m. 5. Trajani anno 19. (*b*) Mortis cauſam ei, quòd complures Romanorum procerum ad fidem convertiſſet, fuiſſe docet Baronius *ad h. ann.* Ordinâſſe VI. Presbyteros, II. Diaconos, V. Epiſcopos fertur: plura de eo vide apud Euſebium *Hiſtor. l. 4. c. 4.* Auguſtinum & Irenæum ubi ſuprà, Platinam, Sabellicum, Luitprandum *Vitis Pontif.* Alios. (*c*) Dum verò Eccleſiam Rom. curat Alexander, *Antiochenæ* adhuc præfuit Hero. *Alexandrinæ*, Cerdonis, martyrio conſummati, ann. C. 108. ſucceſſor Primus. *Hieroſolymitanæ*, poſt Juſtum, qui obiit ann. Ch. 112. Zacchæus, Tobias, Benjamin, Johannes, Matthias & Philippus, per annos 12. uſque ad ann. Ch. 124. Athenis, Publio uti diximus martyrii gloriam adepto, ann. 113. Eccleſia aliquot annos ſine Præſule fuit, uſque ad Adriani tempora, quibus Quadratus ejus gubernaculum ſuſcepit: qui enim Lucium quendam inter Publium & Quadratum interſerunt, ſine idoneo id teſte faciunt, V. Dionyſium Corinth. apud Euſebium *l. 4. c. 23.* De perſecutione Eccleſiæ, Alexandro Epiſc. continuatâ, jam dictum ſatis. De Papia, quem in hæc tempora referunt nonnulli, infrà videbimus.

VII. SIXTUS ſeu XYSTUS (*d*) I.

Aſt uno avulſo (e) *paſtor non deficit alter*
Aureus, & ſimili ſubſequa fronde (f) *nitet.*
Per varios caſus docui tua jura, fidemq;
Signavi pariter ſanguine (g), Christe, *meo* (h).

Enarratio.

(*d*) Succeſſit Sixtus I. gente Romanus, (*e*) Alexandro martyri, anno C. 116. Trajani 19. jejunii Quadrageſimalis auctor nonnullis, ut monet Joh. le Sueur *ad h. ann.* quod communiter Teleſphoro tribuunt, ut infrà dicemus. Sub initium Paſtoratûs ejus, Phocas Sinopenſis Eccleſiæ in Ponto primus Epiſcopus, quòd Neptuno ſacra facere renueret, in vincula conjectus & flammis exuſtus, Trajani inſtantem mortem prædixit, quæ mox ſequuta, ann. Ch. 117. Imperatore inter divos relato, non à Romanis ſolùm ſui ævi, ſed & à Monachis quibuſdam citerioris ætatis, qui animam ejus preci bus S. Gregorii ab inferis liberatam credi voluerunt, ut apud *Legendæ* auctorem videre eſt. Succeſſor ejus Hadrianus, ut qui ſacra non Romana ſolùm, ſed & Græca, diligentiſſimè curaret, Chriſtianismo ſimul & Judaismo æquè infenſus, utrumque non modò contempſit, ſed & exſcindere conatus eſt. Itaque Placidum, al. Euſtachium, inclytum bello ducem, quum à fide avertere neutiquam valeret, unà cum uxore Theopiſta, ac liberis, æneo incluſos bovi

bovi, igne ſubjecto comburi juſſit, ann. C. 119. Joh. Damaſcenus & Nicephorus Calliſtus *l. 3, c. 29.* univerſalem dein in Chriſtianos *Perſecutionem IV.* movit, ann. Ch. 121. quâ tanto numero & conſtantiâ mortem illi adiere, ut Arrius Antoninus Procoſ. Aſiæ, qui poſtmodum Imperator fuit, juberet, *ſi vellent mori, & præcipitia & reſtes iis in promptu eſſe, tribunal ne ampliùs adirent*, Tertullian. *ad Scapul. cap. 5.* In Rhætia, Fauſtinus Presbyter, & Jovitas Diaconus: Calocerus item aliique ex domeſticis Cæſaris, interempti: Afram proprius maritus Italicus, præcipuus in Chriſtianos ſævitiæ Hadriano auctor, ad ſupplicium protraxit, ann. ſequ. quò Euſtochii quoque ſuprà dicti martyrium alii referunt. In Armenia poſtmodum multum innocentis ſanguinis fuſum & Juſtum Paſtoremque fratres in Hiſpania, ac Quirinum in Illyrico, martyrium ſubiiſſe, anno C. 125. narrant Henr. Erfordienſis & Bergomenſis *Supplem. Chron.* Certius, quòd (*f*) Sixtus, poſtquam omnia boni Paſtoris munia impleviſſet, dum Athenis Imperator Chriſtianis gravis erat, (*g*) ipſe Romæ, unà cum Peregrino viro probo, per quem Gallos in fide confirmaverat, ad mortem raptus ſit, ann. C. 126. Epiſcopatus ſui ann. 9. m. 10. Hadriani ann. 9. poſtquam XI. Presbyteros, IV. Diaconos & totidem Epiſcopos creâſſet. *Epiſtolas* ejus *Decretales 2.* Binius edidit cum Notis, de quibus vide aliquid ſuprà ubi de *Clemente I.* Liber verò *Sententiarum*, ab ipſiſmet, qui Decretales tuentur, ut ſuppoſititii rejiciuntur; & *Commentarius* Sixtum Philoſophum Cretenſem auctorem habet: plura de eo apud Platinam, Ciacconium, Anaſtaſium *Vitis Pontific.* præter Auctores jam laudatos. (*h*) Ejus tempore Eccl. *Antiochenam* Hero adhuc moderabatur. In *Alexan-*

drina, Primo defunčto ſucceſſit Juſtus ſeu Juſtinus, ann. C. 120 *Hieroſolymitanæ*, quinam præfuerint, uſque ad ann. Chr. 124. diximus ſuprà in *Alexandro*: ſequuti ſunt Philippum, Seneca, Juſtus, Levi, Ephraim, Joſes & Judas, uſque ad ann. 136. quos omnes, quia numerus annorum, qui unicuique adſcribendi, incertus, in unum congerere neceſſe fuit. Athenis Eccleſiam tantùm non penitùs collapſam Quadratus erigere cœpit, ann. C. 119. inter Apoſtolorum diſcipulos Euſebio memoratus, uti vidimus in *Evariſto*. De perſecutione jam ſatis. Judæi, qui ex immani patriæ ſuæ clade mox per univerſum orbem ingenti multitudine repullulårant, & ſub Trajano paſſim turbas dederant, iterum fracti iterum creverunt, ac ad ingenium mox redierunt ſub Hadriano, ut poſtea videbimus. Hæretici tum extitere, Saturninus Antiochenus, Baſilides Alexandrinus, feralis Gnoſticorum turbæ auctor, & Carpocrates, Menandri omnes & Cerinthi proles, peſtes ac portenta generis humani, atque ipſius Satanæ excrementa, quorum pudenda dogmata, vel referre horreſcit animus, meminit eorum Joh. le Sueur *ad ann. C.* 119. Hos, quòd Chriſtianorum nomine tecti agerent, anſam perſecutioni Hadrianææ in Chriſtianos non exiguam dediſſe, docet Clemens 3. *Strom.* Circa eadem tempora cœperant ſermones ſpargi, inter Chriſtianos, auctore inprimis Papiâ Epiſc. Hierapolitano, parùm divini & cœleſtes, quibus *Traditionum Apoſtolicarum* titulus falsò prætexebatur: qui cum tempore invaleſcentes multis errorum materiam anſamque præbuere. *Chiliaſtarum* certè auctor Papias perhibetur, Euſebio *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c. ult.* Hieronymo *de Scriptor. Eccleſ.* Nicephoro *l.* 3. *c.* 20. Alius: V. quoq; Joh. le Sueur *ad an. C.* 120. Aquila verò Ponticus.

ticus, ex Gentili Chriſtianus, ſed ob exprobratas Aſtrologiæ vanitates horum deſertor & ad Judæos transfuga, cùm Hebraicè didiciſſet, Veteris Inſtrumenti Græcè tranſtulit libros, ſed ita ut animum in LXX. Interpretes & Chriſtum infenſiorem non rarò prodat. an. C. 123. Hieronymus, qui ſæpe de eo, Prophetas ſolùm vertiſſe ait. Vid. G. J. Voſſium *de Arte Gramm. l. 1. c. 3.* ubi id factum vult paulò ſeriùs, anno viz. 129. nonnullis ad ann. 137. demum referentibus.

VIII. TELESPHORUS (i).

Credita cymba mihi(k)*, crebris licèt acta procellis* (l),
Non tamen ecce! Deo vindice merſa (m) *fuit.*
Ipſum in me (n) *fruſtra coïerunt pontus & æther,*
Clarus enim zelo(o)*martyrioq;*(p)*fui*(q).

ENARRATIO.

(*i*) GRæcus hic gente, (*k*) Sixto ſuffectus eſt, anno C. 126. Hadriani 9. *Jejunii Quadrageſimalis* auctor nonnullis: verùm Irenæus conſuetudinem hanc ab hominibus ſimplicibus privatâ obſervatione introductam fuiſſe monet, additque, *ad unitatem veræ fidei non opus eſſe ſimilitudine rituum in jejuniis*, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 23.* unde & variè illud obſervabatur, ut ex *Epiſtola ad Heronem*, quæ Ignatio tribuitur, videre eſt, nec conſiſtebat in abſtinentia à carne, ut indidem diſcimus: ſed de hac re infrà plura. (*l*) Pergebat interea in fi-

in fideles ſævire Cæſar, donec eruditi Principis impetum (*m*) mitigârunt Quadratus Epiſc. & Ariſtides Philoſophus: quorum ille Hadriano, Eleuſinæ ſacra inviſenti, *librum pro Chriſtiana religione tradidit & tantæ admirationi fuit, ut perſecutionem graviſſimam illius excellens ſedaret ingenium*, Hieronymus *l. 2. Epiſt. 1.* iſte, vir item fide & ſapientiâ plenus, eidem Apologeticum pro Chriſtianis obtulit, Philoſophorum ſententiis contextum, Euſebius *Chron. & Hiſtor. l. 4. c. 3. 8. 9.* Acceſſit Serenii Granii Proc. Aſiæ pro afflictis intercesſio: quibus motus perſecutionem inhibuit Imperator, & ob ſolam Chriſtianiſmi profeſſionem quenquam accuſari vetuit, anno eod. 126. ulteriùs etiam provectus, in omnibus civitatibus templa ſine ſimulachris fieri juſſit: ſed prohibitus ab iis, qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatò eveniſſet, & templa reliqua deſerenda, decretum induxit. Raptati nihilominus ob leves criminum ſuſpiciones ad tribunalia Chriſtiani, à Judicibus Ethnicis malè habebantur, nec à Judæis, quibus ſe contra Imperatorem jungere renuebant, illis quies fuit, unde porrò patientiæ conſtantiæque exercendæ multiplex iis occaſio: quâ permotus Juſtinus Philoſophus, à ſene quodam ſpeciei venerabilis inſuper ad legendas S. Scripturas ablegatus, nomen Chriſto dedit, & in pallio Philoſophico eum in Aſia primò, ann. C. 128. pòſt Romæ docuit, Gentilesque verbis, *Accedite, erudimini, eſtote ut ego, quoniam & ego fui ut vos*, ad fidem invitavit, Juſtinus M. *Dial. cum Tryph.* & Petrus Hailoxius *Vitâ* ejus. Cùm Antiochiæ dein, ob nimiùm liberè de ſe dicta, Hadrianus iratus urbem dignitate metropolitanâ, quam hactenus obtinuerat, privaret, incolasque duriùs haberet, eadem procellâ

cellâ Chriſtianos illius loci, quamvis innocentiſſimos, involvit, ann. C. 129. in eoſdem, in Ægypto, quòd Antinoum, ſuas delitias, pro Deo habere nollent, ſævus, ann. C. 131. (n) Nec Romæ malacia, ubi Amantius Tribunus, Cerealis Propræfectus urbis & Getulius, vir opulentus ac in pauperes peregrinosq; largus, cum uxore Symphoroſa & 7. filiabus, Exuperantius porrò presbyter, ipſo Hadriano præſente ſpectanteque, ob fidem flammis dati ſunt, ann. Ch. 136. ſed hic paulo pòſt cruciatu membrorum fere omnium confectus, crebrò ſe interficiendum miniſtrorum fidiſſimis precans obtulit, vix, ne in ſeipſum ſæviret, chariſſimorum cuſtodiâ ſervatus, donec cibis ſemet noxiis perdidit, an. C. 138. ſucceſſore Antonino Pio; ſub cujus anni initia Teleſphorus, inter tot Eccleſiæ ſuæ ærumnas intrepidus, illam doctrinæ puritate & (o) zelo pro gloria Dei, quo mirè fervebat, inſigniter hucuſque ædificatam, (p) morte quoque ſuâ, conſtantiſſimè obitâ, confirmatiorem reddidit, d. 5. Jan. Epiſcopatûs ſui anno 11. m. 9. Dicitur ordin ſſe XII. Presbyteros, VIII. Diaconos, & XIII. Epiſcopos, plura de eo habent, Euſebius *Hiſt. lib. 5. c. 6.* & *Chron n. 2150.* Platina, Anaſtaſius & Luitprandus *Vitis Pontific.* Beda *Martyrologio ad Non. Ianuar.* Sabellicus *Ennead. 7. l. 4.* Alii. (q) Eo Romanam Eccleſiam gubernante, *Antiochena* graviter afflicta, ob cauſas quas diximus, ac Hero, Præſul ejus, martyrio coronatus eſt, anno C. 129. ſucceſſore Cornelio; In *Alexandrina*, Juſtum excepit Eumenes, ann. C. 130. *Hieroſolymitanæ* cùm hactenus non niſi circumciſi præfuiſſent (quorum ultimos enumeravimus, in *Sixto I.*) poſt immanem Judæorum cladem, & loca ſancta per idola polluta, *in loco Reſurrectionis ſimulachro Iovis, in rupe crucis*

ſtatuâ ex marmore Veneris poſitâ, Bethlehemi ludo Adonidis erecto, juſſu Hadriani, Hieron. *l. 2. ad Paulin. Epiſt.* 13. jam primùm Gentiles ad fidem converſi præfici cœperunt. Nempe Judæorum calamitas Eccleſiæ Hieroſolym. ſalutaris evaſit: ut quæ, cùm hactenus *jugum legis*, inprimis *circumciſionem*, Evangelio admiſcuiſſet, & ex Judaismo ac Christianismo mixturam feciſſet, nunc Hadriani interdicto, quo Judæos *non aditu tantùm*, verùm *etiam adſpectu Hieroſolymæ in perpetuum* arcebat, monita Judaismum penitùs abjecit: nimirum id Domino ordinante, ut legis ſervitus à libertate Fidei ac Evangelii tolleretur. Tum itaq; primus ex gentibus apud Hieroſolymam Epiſcopus Marcus electus eſt, ann. C. 136. neque ulli poſt eum Judæi, h. e. circumciſi, admiſſi leguntur. Sed ipſismet Judæis, patriâ ejectis, neque niſi ſemel quotannis, ſtatâ horâ, die 10. Aug. (quo ipſo urbs eorum à Tito exciſa fuerat) Hieroſolymæ ante portas, *lugendi gratiâ*, convenire auſis, hoc Dei inſigni judicio, quaſi neceſſitas impoſita eſt, patrias conſuetudines promptiùs cum Christianâ libertate commutandi. Et fecerunt id poſt iſta non pauci: cœteri, tot malis occalleſcentes, vanâ futuri adhuc Meſſiæ ſpe ſuos lactare, ac Scripturam V. Teſt. gloſſis ſuis miſerè depravare, non ceſsârunt. E quibus præcipuus fuit R. Juda Xanthus Tiberiade docens, qui gratiam Imperatoris nactus *Miſchnam* edidit: in qua prolixis commentariis illuſtranda deſudârunt Rabbini, donec tandem *Talmud* inde conflatum eſt, de quo ſuo loco: floruit verò hic R. Juda ſub Antonino Pio. Perſecutio Christianorum ſub Hadriano quouſque duraverit, vidimus. Hæreticos Saturninum & Baſilidem, ſuprà memoratos, quorum ille Syriam, hic Ægyptum, conſpurcabat dogma-

dogmatum ſuorum ſordibus, atque hunc inprimis doctè refutavit Agrippa Caſtor, vir hujus ævi celeberrimus, ann. C. 127. Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. l. 4. c. 8.* Apud Judæos verò, exortus Barcochabus, i. *Stellæ filius*, Chriſtianos militare vel CHRISTUM abnegare nolentes, exquiſitis cruciatibus & ſuppliciis neci dedit: ipſe ſe *ſtellam ex Iacob*, Num. *cap. 24. v. 17.* prædictam ferens, apud magnam Judæorum partem fidem invenit, & à Rabbi Akibha præcellenter erudito, ac 24000. diſcipulorum Magiſtro, quoque pro Meſſia agnitus, an. C. 131. ſed cum factione ſua, quæ immenſum brevi tempore creverat, prælio non uno fractus, ac tandem ultimo horum interemptus eſt, ann. C. 135. *Bar-Cozba*, h. e. *filius mendacii*, à Judæis, quòd promiſſam illis libertatem minimè præſtitiſſet, dictus poſtmodum. Nec omittendi Gnoſtici, qui Baſilide, auctore ſuo, refutato licèt, ut diximus ann. C. 127. imò extincto, ann. 133. non tamen portentoſa ſua deliramenta, ab illo, ut & à Carpocrate ac Saturnino, hauſta, magno cum rei Chriſtianæ detrimento, propagare deſierunt; tum in Aſia, tum maximè in Ægypto, eo quidem ſucceſſu, ut novæ quoque inde hæreſes ſoboleſcerent, Valentinianorum primò, dein Manichæorum, Priſcillianiſtarum porrò, ac in Hiſpania etiam poſt annum C. 386. impura hæc ac infanda ſecta, non inſtaurata tantùm fuerit, ſed & latè pullulaverit, teſte Sigeberto. Vid. de iis Epiphanium *Hær. 26.* Auguſtinum *de Hæreſ. c. 6.* Theodoretum *Hæret. Fabul. lib. 1. cap. 7.* Tertullianum *adv. Gnoſticos, de bono Martyrii, cap. 1.* Alios.

IX. HYGINUS (r).

Philoſophus (ſ) *primò, Chriſti hinc ſectator,* (t) *in urbe*
Chriſtiadûm tandem principe Paſtor (u) *eram.*
Clerum diſtinxi (x), *populum ad cœleſtia duxi*
Paſcua, martyrii præmia (y) *rite tuli* (z).

ENARRATIO.

(*r*) GEnte Athenienſis, (*ſ*) profeſſione Philoſophus (*t*) Chriſti fidem amplexus, eouſque brevi in ea profecit, ut alios docere & Chriſto adducere aptus eſſet: quo in munere aliquandiu magnâ cum laude verſatus, (*u*) octiduo poſt Teleſphori obdormitionem, ejus in locum ſucceſſit, ann. C. 138. Hadriani Imp. ultimo: quem brevi poſt extinctum excepit Antoninus, à Senatu *Pius* cognominatus, quòd mitis, largus, alieni abſtinens, & alter quaſi Numa eſſet. Nec certè temporibus is ſuis quidquam aſperum fecit, niſi quòd communi errore Principum minùs Chriſtianis æquus fuit, donec Juſtini, aliorumque Apologiis placaretur, ut infrà dicemus. Unde altero ſtatim Imperii anno, Sacerdotes idololatræ, tot inter mala creſcere Eccleſiam magnis quotidie auctibus, ſua verò idoleia vacuefieri, indignati, ubique plebem & Magiſtratus in Chriſtianos impunè concitabant, atrocibus calumniis innocuos onerantes, uti Juſtinus Martyr docet apud Euſebium *Hiſt. Eccl. l. 4. c. 8.* Quas inter procellas cymbam ſuam, ad Verbi divini cynoſuram attentus,

cum

eum laude adgubernavit Hyginus, donec & ipſe ſanguinem pro veritate, anteceſſorum exemplo, fudit. Paulò verò ante obitum, (x) *Compoſuit Clerum, & diſtinxit gradus*, ann. C. 141. Damaſus *Pontif.* & Ado *Martyrologio ad 11. Ianuar.* ſicque effecit, ut qui hactenus in præfectura Eccleſiæ pares fuerant, in poſterum diſtinguerentur, unâ alterave ratione. Quod ut meliùs intelligatur, repetendum paulò prolixiùs, quod jam ſuprà alicubi attigimus. Nullum viz. inter Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen primitus fuit; uti ex S. Scriptura, & antiquis Patribus, Clemente I. *Epiſt. ad Corinth.* Polycarpo *Epiſt. ad Philipp. circa ann. C. 108. ſcriptâ*, Pio quoque *I. Epiſt. ad Iuſtum Vienn.* clariſſimè liquet. Si qua tamen fortè fuerit inter hoſce prærogativa, ſummùm nil fuit, niſi primatus quidam ordinis inter Presbyteros, ut primus illi concederetur locus, qui ætate ſeu miniſterio primus eſſet: quemadmodum & Synagogæ Judæorum ſuos Πρεσβύτας & Præſides habebant. Exinde paulùm mutata primatûs ratio, ſic ut, qui antea illum *ordine* obtinebant deinde *electione* primi conſtituerentur: quò deventum eſſe, refert Ambroſius, ob reliquorum Presbyterorum imperitiam: Hieronymus verò ad tollenda ſchiſmata factum eſſe teſtatur *in ad Titum c. 1.* fortè utrumque concurrit: quamvis remedium non malo fine primò excogitatum, poſtea morbo pejus eſſe compertum eſt, cùm hac ratione non modò non obviàm iretur ſchiſmatis, ſed via potiùs ſterneretur *myſterio iniquitatis* imperceptibiliter gliſcenti, uno Presbytero ſupra cœteros evecto, unde tandem *ſtultus* ille *Paſtor* natus eſt, Zach. *c. 11. v. 15.* Tali enim ſoli *Epiſcopi* nomen, quod priùs commune fuerat, proprium manſit: qui ne fruſtra & ſolò nomine elatus videretur,

 tur,

tur, poteſtas & cura Eccleſiæ, quæ antè penès omnes Presbyteros ſteterat, illi, progreſſu temporis, tùm me ſoli demandari, ſeu ab eo arripi cœpit. Præcipuè ipſi peculiare factum eſt jus ordinationis Presbyterorum ad conſilium tamen eorum & ſocietatem, ut ſimul cum Epiſcopo ordinarent etiam Presbyteri & in thronis ſederent, teſte Epiphanio. Quo pacto Epiſcopus ſupra collegas ſuos evectus præſtitit iis primò *ordine*; dein *electione*; tertiò *ordinandi jure & Eccleſiæ gubernandæ poteſtate*: donec ulteriùs itum eſt. Primum itaq; ut viz. unus Coëpiſcopis ſeu Sympresbyteris, qualem ſe Petrus Ap. appellat. 1. Ep. c. 5. v. 1. præſideret & in Epiſcoporum ſerie poneretur, ab antiquo fuit: alterum jam Hyginus inſtituit, ut, cùm hactenus proximus ætate vel miniſterio locum defuncti Præſidis citra electionem occuparet, in poſterum Cleri populiq; ſuffragiis eligeretur, quem illi maximè judicarent idoneum, isque *Epiſcopi* nomen proprium haberet, cœteris *Presbyterorum* nomine relicto. Occaſionem fortè dedit Eccleſia Hieroſol in qua primò Marcum electum eſſe, an. C. 136. diximus in *Teleſphoro*. Retentus tamen & poſt hæc diu mos priſcus à variis. Epiphanius namque Marcionem à patre ſuo Epiſc. Sinopenſi pulſum Romam veniſſe, & à *Presbyteris Eccleſ. Rom.* recipi petiiſſe, mox poſt Hygini obitum, ſcribit *Hær. 42.* quod poſt Pium contigiſſe, ait Tert. *c. Marcion, l. 3.* Irenæus *Ep. ad Victorem*, non Aſiæ ſolùm Epiſcopos, ſed & Sixtum, Teleſphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, qui Rom. Eccleſiæ præfuerunt, nudo *Presbyterorum* nomine inſignit. Ipſe Victor *Epiſt. ad Dionyſium Epiſc. Vienn.* uti Beda refert, *de Temporum rat. c. 45.* Galliæ Epiſcopos eodem titulo ſalutat. Nec alios in Eccleſia gradus, quàm *Presbyterorum* & *Diaconorum* ab Apoſtolis inſtitutos, agnoſcit

fecit Clemens 6. & 7. *Strom.* V. quoque Tertullianum *Apologet.* c. 39. & *c. Marcion. l.* 5. Origenem *in Num. Homil.* 2. Cyprianum *Epiſt.* 62. 65. 68. & 72. Alios. Sed nec difficultate caruiſſe Hygini inſtitutum, ex eo colligere eſt, quòd poſt (*y*) martyrium ejus, quod contigit d. 11. Januar. ann. Ch. 142. Epiſcopatûs ſui 4. Antonini Pii 5. quatuor annos ſedes vacavit, qua de re vide Joh. le Sueur *ad annum h.* Dicitur ordinâſſe V. Presbyteros, V. Diaconos & VI. Epiſcopos, inſuper *Compatrum* inſtitutio & *Templorum conſecrationes* ei attribuuntur, ſed de hoc jam ſuprà aliquid. *Epiſtolam* quoque ſcripſiſſe fertur, de Deo ac Dei filii incarnatione, ex antro; nam & talis juxta Mantuanum erat, *ut nemoris vaſti latebras habitaret & umbram:* verùm & hac de re aliquid jam diximus in *Clemente I.* Plura de eo vide apud Euſebium *Chron.* & *Hiſtor. lib.* 4. Platinam aliosque *Vitis Pontif.* Sabellicum *Ennead.* 7. *lib.* 4. *p.* 164. Alios. (*z*) Ab ejus initiis uſque ad Pium, quæ alibi geſta, verbo ſic habent. In Eccl. *Antiochena* Cornelius Epiſc. ſanguine non minùs ac Hyginus, doctrinam Evangelii, quam hactenus, ingenti cum zelo, annuntiaverat, obſignavit, anno eod. Epiſcoporum Martyrum ferace admodum: namque & Eumenes *Alexandriæ* Præſul illo eodem pro fide conſtantiſſimè obiit, ſucceſſore Marco II. quemadmodũ Cornelium Eros, vel Hero II. excepit, Euſebius ubi ſuprà *l.* 4. *c.* 8. *Hieroſolymis*, Marcus adhuc præfuit, ſolus ab hoſtium rabie intactus, uſque ad ann. Pii 18. Nil igitur opus, ut de perſecutionis ſub hoc Imp. violentia quidquam addam: quæ, licèt gravis, ſaltem univerſalis non fuit. At inteſtina mala atrociora. Hæretici enim peſſimi prioribus ſucceſſerunt, Cerdo & Valentinus, quos Hygini tempore Ro-

mam veniſſe, circa ann. C. 140. ex Euſebio diſcimus, *d. l. c. 11.* Ophitæ, Euphrate quodam auctore orti; Cainitæ & Sethiani, ann. C. 143. Marcion, alium inducens Deum, à quo Appelliani, Severiani & Docetæ originem traxerunt, poſt obitum Hygini, ut ex Epiphanio diximus, Romam delatus eſt, ann. C. 144. quò Montani quoque initia referas, uti patet ex Apollonii Sen. ac Martyris *l. c. Cataphryges ſ. Montaniſtas*, anno C. 181. ſcripto. Libri certè Sibyllini, quos ab eo compoſitos ſuſpicantur Eruditi, circa ann. 144. innoteſcere cœperunt, de quibus multa Joh. le Sueur *ad h. ann.* Vid. quoque Jacob. Capellum *Vindiciis*, &c. Blondellum *de Sibyllis*, Anton. van Dalen *Diſſertat. de Oraculis* 2. Alios. Nec mirum fidem apud plurimos, cordatiorum quoque, mox nactos eſſe hos libros, cùm innumeri alii, abſurdiores tum ineptioresque à principe tenebrarum inter Chriſtianos paſſim ſpargerentur, quorum catalogum idem le Sueur exhibet *ad an. C. 145.* qui & *Interceſſionis pro mortuis* prima ſemina è Sibyllinis his carminibus arceſſit; *ad ann. C. 144.*

PIUS (*a*) I.

At quia Martyribus ſolis (b) *cathedra iſta patebat,*
Tempore non parvo præſide nuda (c) *fuit.*
Non tulit hocce Pius (d), *verùm iſtam rite capeſſens;*
Auxit doctrinâ (e), *lumine* (f), *morte* (g) *Fidem.*

Enar-

Enarratio.

(*a*) Aquilejâ oriundus, (*b*) tempore illo crepero, quo omnis Eccleſiæ Rom. ſplendor in puritate doctrinæ & Martyrum ſanguine conſiſtebat, poſt (*c*) quadriennii, &, quod excurrit, moram, cujus cauſas adfert varias le Sueur *ad an. C.142.* (*d*) illius regimen ſuſcepit, electus d. 7. Martii, ann. C. 146. Antonini Pii 9. Fratrem habuit Hermam ſeu Hermetem, auctorem libri *Paſtoris* nomine evulgati, magnique olim habiti ab illis, qui, nomine decepti, ab Herma, cujus Paulus meminit, Rom. *c. 16. v. 14.* compoſitum rebantur, rejecti verò ob varia à Tertulliano *de Pudic. c. 10.* & Proſpero *c. Caſſian.* apocryphique judicati, Concilio ſub Gelaſio I. anno C. 494. de quo, ut & libris tribus, *Hermæ* nomine inſcriptis, ac in Bibliotheca Patrum aſſervatis, vide Rob. Cocum *Cenſurâ vett. Scriptor.* Andr. Rivetum *Critico ſacro l. 1. c. 12.* & Joh. Caſp. Suicerum *Theſaur. Eccl.* voce Ποιμήν, *num. 3.* Hujus, viſiones haud obſcurè jactantis, monitu, primus lege edixiſſe Pius, *ut Paſcha Domini die Dominicâ annuis ſolemnitatibus celebraretur ab omnibus*, legitur *Epiſtolâ ejus Decretali I.* Vid. quoque Tertullianum *c. Marcion. l. 3.* quam tamen ejus conſtitutionem Aſiatici Doctores parùm curantes, ſemel receptam lunâ XIV. illud celebrandi conſuetudinem porrò tenuerint, qua de re plura infrà. Interea mirè inter odia Gentilium & Hæreticorum inſidias creſcente ubique Eccleſia, ac fidelium zelo, acriùs irritati hoſtes, promiſcuæ Veneris & regni affectati calumniâ illos adſpergentes, Imperatorem inſtigare non ceſſârunt, ut illos affligi pateretur. Et quidem, in Ægypto, Ptolemæum, Lycium, alioſque complures, martyrio affectos,

ann.

ann. C.148. refert Euſebius *Chron.* quos Epiſcopus Alexandrinus Marcus ſequutus eſt, ann. C. 149. ac Romæ, Praxeda, quæ fervens ſpiritu thermas patris ſui Novati cœtibus ſacris colligendis dedicaverat, eod. Ado Vienn. *Martyrol. d. 7. Iul.* Ipſe Pius, nomine ac re talis, poſtquam calamitoſiſſimis temporibus hiſce, Eccleſiam ſuam (*e*) Verbi divini pabulo fideliter nutriiſſet, & (*f*) *coram hominibus ſplendere lucem ſuam, ut bona ſua opera viderent, feciſſet,* (*g*) morte quoque ſuâ Patrem, qui in cœlis eſt, glorificavit, martyrio coronatus, d.11. Jul. ann. C. 150. Epiſc. fui ann. 4. m.4. d. 4. Antonini Imp.13. Creâſſe fertur XVIII Presbyteros, XXI. Diaconos, & XII. Epiſcopos. Nomen ejus præferunt Epiſtolæ 2. ad Juſtum Vienn. ſcriptæ, quas Græcè primùm ab illo exaratas, poſtea barbarie jam multùm invaleſcente, ab aliquo Latinè verſas, exiſtimat le Sueur: ſtylus enim Pii ſeculo neutiquam congruit. Duæ aliæ Decretalibus inſertæ Pio adſcribuntur, νοθέιας manifeſtæ, quarum prior eſt, quam ſuprà de Paſchate, in diœceſi Romanæ Eccleſiæ die Dominicâ in poſterum celebrando, laudavimus: ſed Victori conſtitutionem illam alii potiùs eunt aſſertum, uti in eo videbimus. De Decretalibus verò Epiſtolis Pontificum, qui Syricium præceſſerunt, vide plura apud Blondellum *Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulant.* uti de Pio, apud Euſebium *Chron. n. 2160.* Platinam, Anaſtaſium & Luitprandum *in eo*, Genebrardum *Chron. lib. 3.* Mart. Cromerum *Chron. ad ann. C. 158.* quibus adde Albonem Floriac. *Pontifice 11.* & Ciaconium *Pio I.* (*h*) Ejus tempore, Eccl. *Antiochenam* adhuc moderabatur Hero II. in *Alexandrina* Marco II. martyrii coronam adepto ſucceſſit Celadion, ann. Ch. 149. Euſebius

ſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 8.* in *Hieroſolymitana* idem quoque ſub Pio Præſul, qui ſub Hygino fuerat. Necdum perſecutio ceſſavit, ut ex dictis patet. Inter Hæreticos, huc refertur Colarbaſus, de quo vide Tertullianum *Præſcript. adverſ. Hæret. cap. 49.* & *50.* Praxeas item, qui, Montani primùm diſcipulus, poſtea eo deſerto fraudes illius Pio dete[illegible], quo factum, ut hic literis, quas in Montani gratiam dederat, revocatis, communione ſuâ illum excluſerit, ann. C. 149. Joh. le Sueur *ad h. ann.*

XI. ANICETUS (i).

Sub me Juſtinus (k), *Polycarpus* (l), *nomina quanta,*
Atq; alii (m), *teſtes,* CHRISTE, *fuere tui.*
His, velut una fides, junxit quoque funeris una
Me ſpecies (n), *Marci* (o) *victima quiſq; fuit* (p).

ENARRATIO.

(i) Natione Syrus, quindecim poſt Pii obitum diebus, in ejus locum ſuffectus, ann. C. 150. Antonini Pii 13. magnæ cum pietatis ac doctrinæ laude præfuit. (k) Sub eo Juſtinus, ex Philoſopho Chriſtianorum doctor, non ſolùm in colle Viminali Romæ docuit, ſed & variis ſcriptis in lucem editis inclaruit. Inprimis Eccleſiæ tam gravia quotidie patienti pro viribus

ribus conſulturus, ann. C. 151. duplicem Apologiam pro Chriſtianis ſcripſit, Imperatori, filiis, Senatui P.Q.R. dicatam; quarum quæ poſterior in ejus operibus ponitur, prius ſcripta videtur, niſi malis unam fuiſſe utramque, in duas poſtmodum diviſam. In his, quantum ad calumnias, *infamia*, inquit, *illa & fabuloſis in vulgus ſparſa ſermonibus facinora, quòd admittamus lucernæ everſionem, promiſcuos concubitus, & humanarum carnium viſcerationes, neſcimus*. Ritus dein & dogmata Eccleſiæ pluribus exponit, in quibus duorum Sacramentorum mentionem facit, Baptiſmi, quem, purâ aquâ adhibitâ, *celebratum eſſe* memorat *in nomini Domine Dei, & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti & Spiritûs S.* ac Euchariſtiæ, quam *ſub utraque ſpecie* omnibus diſtributam docet, *prolato pane & poculo aquæ & vini*: jam tum inimico Sacramenta ſacra paulàtim corrumpente. Addit, ſingulis Dominicis, cœtu congregato concionem haberi ſolitam à Paſtore, iiſque, prælecto ex Sacris textu, voluntatem Dei expoſitam, atque eâ finitâ Euchariſtiam adminiſtratam; populum verò preces & gratiarum actiones clara voce recitanti Paſtori acclamâſſe, *Amen*. Porrò, duos in Eccleſia functionum gradus, *Presbyterorum* ſeu Paſtorum & *Diaconorum*; fuiſſe innuit: quæque alia ſunt, in præclaris illis ſcriptis, latiùs videnda. His certè aliorumq; nonnullorum permotus Imperator, edicto pro Chriſtianis evulgato & Epheſi in publico conventu propoſito, in eo, verbis, *eſſe illis optabile, ut accuſati pro Deo ſuo mori malint, quàm vivere*, innocentiæ ac conſtantiæ eorum teſtimonium perhibet, decernitque proin, *ut is, qui defertur, ab accuſatione ſit abſolutus ac liber, etiamſi talis deprehendatur, delator verò pœnæ ſubjaceat*; anno C. 152. Euſebius *Hiſtor. l.* 4. *c.* 13. & Oroſius

ſius *lib.7.c 9.* Meminerunt, Idem *cap.17.* Hieronymus *in Catalogo*, & Photius *in Bibliotheca*, librorum aliorum Juſtini, qui hodie non extant: quales ſunt, *Pſaltes de anima*, & *Volumina c. Marcionem*: ut & volumen *contra omnes*, quæ fuerunt, *Hæreſes*, quod à ſe compoſitum ipſe teſtatur Apologiâ poſteriore ad Antoninum, ſeq; id oblaturum promittit, ſi legere velit Imperator. De cæteris, inter quæ non pauca adulterina vel dubia, eidem adtribui ſolitis, V. Andr. Rivetum *Critico Sacro lib.2. cap.5.* Præter hunc verò, (*l*) Polycarpus tum floruit, quem ſedente Aniceto Romam veniſſe, ad Paſchatis controverſiam ſedandam Cl. Suicerus docet, ex Euſebio ubi ſuprà, *l.5. c.26.* & Nicephoro *l.12.c.33.* his verbis: *Cùm ſucceſſor Pii Anicetus decretum anteceſſoris inſolentiùs contra Orientales urgeret, Polycarpus — Romam venit ad componendum hoc diſſidium. Cùm verò iis ea de re non conveniret, neuter alterum condemnavit & conſtitutum eſt, ut quiſque ſuum de Paſchate morem ſervaret, Theſauro Eccl.* voce Πάσχα: quod alii ſub Sotere factum contendunt, de quo mox. (*m*) Sed & martyrio inſignes, Agathodorus & Carpus Pergami, Theodorus cum matre Pergæ, Alexander Apameæ, Victor aliique Damaſci, in *Martyrologio* memorantur, *ad ann.C.151.* in Aſia enim hoſtium Chriſtianæ fidei rabies præcipuè deſævit: quamvis nec alibi ceſſatum, Lariſſæ præſertim, Theſſalonicæ & Athenis, quibus proin peculiariter cautum voluiſſe Imperatorem Melito Epiſc. Sard. *Apolog.* quam Vero poſtea obtulit, docet. Licèt verò mitigatus Imperatorio edicto perſecutionis erat ardor, non tamen ſublatus eſt penitùs, ipſeque Anicetus exilium ſubiiſſe nonnullis dicitur, ann.C.153. major poſtmodum tranquillitas, ultimis Antonini annis, incremento

Eccle-

Eccleſiæ Chriſti opportuna, affulſit, circa ann. inprimis C.157. & 158. quo poſteriore Vicennalia celebravit Imperator. Verùm ut Marcus Aurelius eo extincto ad Imperium pervenit, mox recruduit malum, & ſub initia ſtatim ejus, (n) Anicetus ſublatus eſt, die 27. April. ann. C. 162. Epiſc. ſui ann. 11. m. 9. Marci Aurelii ann. 2. de quo, XVII. Presbyteros, IV. Diaconos, IX. Epiſcopos ordinâſſe ferunt, plura vide apud eos qui Pontificum Rom. *Vitas* condidere, jam ſæpius laudatos. (o) Sequuti illum Juſtinus & Polycarpus, ut in ſeqq. videbimus, progreſſu perſecutionis ſub eodem Imp. ſimiliter martyrio coronati. (p) Interea, dum Anicetus Romæ Eccleſiam ædificavit, *Antiochiæ* eodem munere adhuc Hero functus eſt; nec *Alexandrina* Præſulem mutavit; at *Hieroſolymis*, defuncto Marco ſucceſſit Caſſianus, ann. C.155. De vi, quam ſub Antonino Pio Eccleſia variis in locis paſſa eſt, diximus. Sub Aurelio verò Antonino Philoſopho ſucceſſore illius, ſatis aliàs laudato, *Perſecutio V. Oecum.* concitata eſt, ann. C. 162. inſtigatu præcipuè Creſcentis Cynici aliorumque Philoſophorum, qui pios, quaſi *Deorum contemptores*, *Reip. ſub prætextu Philoſophiæ perturbatores, familiarumque ſub ſpecie caſtitatis ſciſſores*, apud Marcum Aur. & quem ipſe collegam ſumpſerat, L. Verum Impp. traducebant, Petr. Halloxius *Vitâ Juſtini:* cujus initia jam vidimus, plura infrà dicemus. Nec Hæretici ceſsârunt quà pote nocere: inter quos Valentinus, poſtquam in Ægypto hactenus deliria ſua ſparſiſſet, Romam venit ann. 154. perque 12. annos occultè eadem, ſi quem ſeductioni idoneum nactus erat, inſtillavit. Eodem Gnoſtici irrepſerunt, Marcellinæ præſertim artibus, Romam delatæ, ann. C.155. Montanus dein, in apricum prodiit, an. C.156. Epiph. *Hær.* 48. XII. SO-

XII. SOTER (*q*).

Uſſit pectus amor geminus populiq́ue Deiq́ue (r),
Inq; inopes mirè dextera larga (ſ) *fuit.*
Conjugium (t) *egregiâ munivi ſepe : cruentæ*
Hinc habitus mortis (u) *dignus honore fui* (x).

Enarratio.

(*q*) Fundis Campanus, excepit Anicetum, electus d. 3 Mai an. C. 162. (*r*) zelo pro Dei gloria & gregis ſibi commiſſi ſalute inſignis fuit: (*ſ*) charitate præcipuè & in afflictos inopesque fidei ſocios largitate inclytus, quam proin magnopere prædicat Dionyſius Corinthi Epiſc. ſuâ *ad Romanos Epiſtolâ*, apud Euſebium. (*t*) Ejuſdem, in conjugii honorem conſtituta ſanctio fertur, *Ne legitima haberetur uxor, niſi cui Sacerdos benedixiſſet, & quam marito parentes tradidiſſent,* Platina *in eo.* Voluit namque, ut omni ex parte irreprehenſibiles ſui eſſent, & Gentilibus, qui circa matrimonii ſacra nimium negligentes erant ac incurii, exemplo præirent. eo inprimis tempore, quo hoſtium in Eccleſiam furor & calumniæ quotidie ingraveſcebant, Creſcente præfato operam ad id omnem conferente, ut Chriſtianos, & in his Juſtinum maximè, Imperatori, docto quidem, & doctorum cultori, ſed idololatræ & priſcorum rituum tenaci, redderet exoſos. Tum Juſtinus alteram ſuam Apologiam, quæ in operibus ejus priore loco poni vulgò ſolet, ſcripſiſſe videtur,

videtur, anno viz. C. 163. quo ipſo, Creſcente hac apologia ejus acriùs irritato, in carcerem eſt conjectus, ac paulò pòſt, cum ſociis afflictionis Charitone, Charitina, Evelpiſto, Hierace, Pæone & Valeriano, Ruſtico Urbis Præfecto, mortem, nî ſacrificarent idolis, comminanti, *fac ocyùs quod lubet, Chriſtiani ſumus, idolis tuis non ſacrificabimus*, unâ voce reſpondentibus, martyrii coronam accepit, ann. C. 163. veritate tot per annos contra hoſtes ejus, Marcionem præcipuè, fortiter defensâ ac ſanguine tandem ſuo intrepidè obſignatâ inclytus, P. Hailoxius *Vitâ ejus*. Crevit horum imbuta ſanguine perſequutio per totum Imperium, in Aſiâ præcipuè, ubi tum L. Verus agebat, anno ſeq. ſed unà confeſſorum conſtantia quoque aucta, imò in Britannia publicè hoc tempore Evangelium prædicari cœptum eſt, Bedâ teſte. Sequuta lues, immaniter ubique ſæviens, Romæ inprimis eouſque, ut vehiculis cadavera exportarentur, multique Procerum interirent. At urbi novum ſidus affulſit, Polycarpus, quem ob controverſiam de Paſchatis die Romam veniſſe, ſub Sotere, ſtatuit Joh. le Sueur, ann. C. 165. quod alios Aniceto, cujus annos longiùs protrahunt, adſcribere vidimus. De qua ceremonia quamvis inter illos, *ſalvâ* tamen *fidei conſonantia*, non poſſet convenire, multo tamen Polycarpi præſentia uſui fuit, contra Marcionem præſertim, lupi inſtar in urbe omnia vaſtantem, cui occurrenti in via ſibi, atque dicenti, *cognoſce nos*, graviter reſpondit, *cognoſco te primogenitum Satanæ*, ne verbotenus quidem cum aliquo eorum qui adulteràſſent veritatem communicare dignatus: & Valentinum, è quorum faucibus non paucos, qui eorum deliriis irretiti fuerant, retraxit, Irenæus *l. 3. c. 3.* Poſt hæc ingruentis belli

Marco-

Marcomannici terror tantus invaſit Marcum, ut *undique Sacerdotes acciret, peregrinosque etiam ritus*, quæ Capitolini verba ſunt, *impleret*: à quibus, Chriſtianos malorum cauſam eſſe, monitus, ipſe ad ſuperſtitiones naturâ propenſus, undique illos exagitari juſſit, ann. C. 166. in quo proin quintæ Perſecutionis univ. epocham alii figunt, quam citiùs nonnullos inchoare vidimus. Hâc quantum innocui ſanguinis fuerit fuſum, ex Smyrnenſium Epiſtolâ ad omnes Eccleſias ſcriptâ & Euſebio inſertâ *Hiſtor. Eccleſ. l. 4. c. 15.* liquet, in qua & Epiſcopi ſui Polycarpi meminerunt, qui, inter cœteros, captus & ad ſupplicium ductus, audivit cœlitus vocem, *Confortare Polycarpe ac vireſto*, juſſusque maledicere Chriſto, *octoginta ſex annis* (ann. enim C. 82. Eccleſiæ Smyrnenſi præeſſe cœpit) *illi ſervio*, reſpondit, *nec me ulla in re læſit unquam & quomodo poſſem maledicere Regi meo, qui me ſervavit?* Quare juſſu Philippi Procoſ. comburendus rogo impoſitus, cumque ignis vi non læderetur, ferro trajectus, ac corpus in favillas redactum eſt, ann. C. 167. non Gentilibus ſolùm, qui huic *magno Aſiæ Doctori, huic Chriſtianorum patri, huic Deorum deſtructori* infenſiſſimi erant, ſed & Judæis, qui iis ſe junxerant, in ejus necem conſpirantibus. Circa cujus tumulum quòd poſtmodum Smyrnenſes convenirent, ac memoriam ejus quotannis recolerent, *Natales Martyrum* (paſſio enim horum *Nativitas* dicta, quâ ad gloriam naſcebantur) originem cœpere, qui ritus primitus innocens, progreſſu temporis in vitium abiit. Scripſiſſe *ad Philippenſes Epiſtolam* Polycarpum Irenæus tradit, quæ an eadem ſit cum illa, quæ Ignatianis hodie juncta eſt, diſquirunt Eruditi: Græcam ediderunt Hailoxius Jeſ. & Arch. Armachanus, quos vide,

ut & Rivetum *Critico Sacro l. 2. c. 3.* Cum Polycarpo XII. alii è Philadelphia paſſi: Pergami Carpus, Papylus & Agathonice: etiam Metrodorus & Pionius eo tempore martyrio affecti ſunt. Nec minor in Galliæ fideles ſævitia, quos *celebrare Thyeſtea convivia & Oedipodeos inceſtus*, hoſtes more ſuo calumniati, Viennæ inprimis ac Lugduni, graviſſimè perſecuti ſunt. Ibi igitur præ aliis illuſtres extitere Martyres, Vetius Epagathus Nobilis & *Chriſtianorum Advocatus* dictus, Sanctus Diaconus Viennenſis, Maturus, Biblis & Blandina fœminæ admirabilis conſtantiæ: Pothinus it. ſeu Photinus, Polycarpi diſcipulus, primus Lugdunenſium Epiſcopus, ſenex nonagenarius, Attalus porrò, cujus capiti titulus affixus, *Hic eſt Attalus Chriſtianus*, aliique eod. anno: uti latè videre eſt in Epiſtolâ harum Eccleſiarum ad Aſiæ Phrygiæque fratres (à quibus primi Chriſtianiſmi initia, miſſis inde per mare Evangeliſtis, acceperant) apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l. 5. c. 1.* Uti verò Pothinus primus circa hæc tempora Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſc. fuit, ſic Viennenſis in eodem regno Eccleſia eidem coæva videtur, cujus proin originem ad Hadriani, vel ſummùm Trajani tempora, commodè referas, ſub quo Verum eam plantâſſe, Baronius aſſerit, uti docet le Sueur *ad an. C. 116.* Trajani 19. cui Juſtus ſucceſſit, ann. C. 149. ad quem Pii I. duæ epiſtolæ feruntur. Perrexit hoſtium ſemel accenſus furor ſævire, annis quoque ſeqq. uſque ad an. C. 170. quo, L. Vero præcipuo perſecutionis auctore extincto, Melito Epiſc. Sardenſis, Marco Aurelio *Apologiam ſuam* obtulit: eodem Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, ab Aſiaticis Eccleſiis ad Imperatorem miſſus, cum eo ore & ſcripto egit, ut ad mitiora conſilia ſe pateretur inflecti: manſit nihilominus in

Chri-

Chriſtianos rigor, Romæ quoque, ut in qua (*u*) Soter, martyrii coronam accepit, eo ipſo anno, d. 17. April. Epiſcopatus ſui anno 8. circiter, M. Aurelii Anton. Philoſophi ann. 10. & L. Veri ultimo. Ordinâſſe fertur XVIII. Presbyteros, IX. Diaconos, & XI. Epiſcopos: plura de eo, Anaſtaſius, Platina, Alii, *Vitis Pontific.* Martinus Polon. *Chron. ad ann. C. 178.* Wern. Rolevvinck *Faſc. temp. in Sotere* &c. (*x*) Interea, *Antiochiæ*, mortuo Heroni II. an. C. 168. ſucceſſit Theophilus, zelo pro gloria Dei, & ſcriptis contra Hermogenem Hæret. celebris. *Alexandriæ*, Celadione martyrii coronam adepto, Eccleſiam regere cœpit Agrippas ſeu Agrippinus, anno eod. *Hieroſolymitanam* Eccl. quod attinet, Euſebius poſt Caſſianum, præfuiſſe ait Publium, Maximum, Julianum I. Gajanum, Symmachum, Cajum, Julianum II. & Capitonem. Corinthi, Primo, qui florere cœpit circa ann. C. 150. ac Hegeſippi familiaris fuit, ſucceſſerat Dionyſius, eruditione ac prudentiâ inclytus, de cujus 8. Epiſtolis, Euſebio & Hieronymo memoratis, quarum ultima, quæ ad Romanos, Soteri inſcripta eſt, vide Joh. le Sueur *ad ann. C. 169.* Lugduni, Pothinum excepit Irenæus, Polycarpi itidem diſcipulus, *ann. C. 167.* De perſequutione plus ſatis jam dictum. Inter Hæreticos, præcipuè Hermogenes memorandus venit, primò pictor, inde Philoſophus Stoicus, tandem, ſpecioſo Chriſtiani nomine tectus, Hæreticus, *qui corpus CHRISTI in Sole* inter alia collocavit, Manichæorum patriarcha, Gregorio Nyſſ. habitus & Theophilo Antiocheno refutatus, de quo le Sueur *ad ann. C. 168.* ut vidimus.

XIII. ELEUTHERIUS (*y*).

Soterem excipio, parili pietate fideq; (z),
Me duce lux creſcit, terra Britanna (a) *tibi.*
Quod Tatianus (b) *ait, non munda eſſe omnia* (c) *mundis,*
Eſſe procul jubeo (d), *martyr* (e) *ad aſtra feror* (f).

ENARRATIO.

(*y*) E*Leutherus* aliis, Græcus natione, fil. Abundii, qui Diaconus Aniceti fuerat, Soteri undecimo poſt obdormitionem ejus die ſucceſſit, ann. C. 170. Marci Aurelii Imp. 10. Irenæo, φωςῆρι τῶν Γαλατῶν Ἑσπερίων, *Lumini Gallorum Occidentalium* (ut eum Theodoretus vocat, ob excellentem doctrinam, veritatem contra Hæreticos fortiter defenſam, & multas in Gallia Eccleſias erectas) à Lugdun. Eccleſia (τοῖς κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοῖς, quod Ruffinus vertit, *Fratribus Eccleſiæ Galliarum*) ad ſe, ob hæreſes Montani, Theodoti, aliorumque, quibus Italiæ Aſiæque Eccleſias Galli fideles turbari audiverant, miſſo, reſpondit, ann. C. 177. (*z*) Eccleſiam Dei, poſt pacem ei aliquam à M. Aurelio indultam, de qua poſtea, ſub Commodo dein inprimis, miris auctibus creſcentem, lætus vidit, ann. 181. ipſeque (*a*) ad preces filii Coyli, Lucii Britannorum R. Fugatium & Damianum Evangelizatores in Britanniam miſit, ann. C. 182. teſte Bedâ, cui licèt non adſtipulentur vett. Hiſtorici, ut qui hujus nominis Regem

gem circa hæc tempora ignorant, ſcribit tamen Tertullianus haud diu pòſt, Britannos etiam Romanis hactenus inacceſſos jugum JESU CHRISTI ſuſcepiſſe, *Apologet.* (*b*) Adversùs Tatianum verò, (*c*) abſtinendum à certis ciborum generibus docentem, (*d*) *nullum uſualis victus rejiciendum eſſe genus*, decrevit: (*e*) capite truncatus, ut nonnulli volunt: an placidâ morte primus Epiſcoporum Rom. defunctus, uti le Sueur, d. 26. Mai, ann. C. 185. Epiſc. ſui ann. 15. Commodi 6. ſede integrum annum poſt eum vacante. Dicitur creâſſe XII. Presbyteros, VIII. Diaconos, & XV. Epiſcopos. Sub eodem quid in Paſchatis controverſia ſit actum, his exponit Cl. Suicerus, *Facta perſecutione — in qua Polycarpus & Sagaris Epiſcopi — martyrio coronati ſunt, rurſum mota eſt hæc quæſtio, dicentibus Laodicenſibus & aliis, Paſcha celebrandum eſſe ſecundùm traditionem Polycarpi, quam à Iohanne Evang. didicerit: Eleutherus autem Epiſc. Rom. reſtitit & contradixit iis, Piique Pontificis ſententiam confirmavit, Theſauro Eccl.* voce Πάσχα. Plura de illo vide apud Irenæum *l. 3. c. 3.* Euſebium *Hiſtor. Eccl. l. 4. c. 21. lib. 5.* & *in Chron. ann. C. 179.* Auguſtinum *Epiſt. 165.* Bedam *Hiſtor. Angl. lib. 1. c. 4.* & *de æt. VI. p. 185.* Ciaconium *Eleuthero*, Freculphum *Chron. tom. 2. l. 2. c. 21.* Adonem Vienn. Sigebertum & Hermannum Contr. *Chron.* Polydorum Virg. *Hiſtor. lib. 2.* Alios. (*f*) Ejus tempore *Antiochenam* Eccleſ. poſt obitum Theophili, ſanctitate & ſcriptis inclyti, regere cœpit Maximinus, ann. C. 180. In *Alexandrina*, Agrippino defuncto ſucceſſit Julianus, anno eod. *Hieroſolymitanæ*, ſub Commodo, Maximum II. præfuiſſe, refert Euſebius. In Gallia, varias paſſim Eccleſias circa ea tempora plantavit Irenæus, quem nomine Eccleſiæ ſuæ ad Eleutherum legationem

D ſuſce-

ſuſcepiſſe, diximus. Indiam quoque ſalutari Evangelii luce colluſtravit Pantænus, Joh. le Sueur, *ad annum Ch. 183.* quod tamen ſeriùs factum, videbimus *in Victore I.* Præter hos, floruerunt in Eccleſia Dei, Minutius Felix, ann. C. 170. quem tamen alii alteriùs removent: Apollinaris Epiſc. Hierapolitanus, *Apologiæ pro fide* auctor, an. C. 171. Dionyſius Corinthius, Pinytus Cretenſis, Alii, qui partim contra Gentes, partim contra Hæreticos paſſim ſurgentes, Hermogenem, Montanum, Cataphryges & Encratitas, eruditione divina pugnârunt, Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c. 16.* Hegeſippus, eadem ætate celebris fuit, quem *quinque libris, accuratiſſimam pleniſſimamque ſuæ ſententiæ & opinionis de fide declarationem*, reliquiſſe, idem *l. 4. c. 20. & 21. omnes à paſſione Domini, uſque ad ſuam ætatem, Eccleſiaſticorum actuum texuiſſe hiſtorias*, Hieronymus *Catal.* docet. *Quæ* verò *hiſtoria cùm ſit deperdita, perpaucis ejus fragmentis perfruimur, ab Euſebio recitatis*, uti ait Baronius *ſub ann. Ch. 167. ſect. 15.* Vide Voſſium *de Hiſtoricis Græc. l. 2. c. 14.* & Joh. Frid. Gronovium *Obſervat. Eccleſ.* Vigebant inſuper adhuc dona linguarum, prophetiæ, curationum, fiebantq; plurima admiranda ad gentes fide imbuendas. Dum extrinſecus vis, intrinſecus fraudes Eccleſiam turbare non ceſſabant. Et quidem. Perſecutio ab Imp. Marco mota perſeverabat, cujus ſævitiâ innumeri, variis ſuppliciorum generibus, paſſim occubuere: ſanguinem iñocentem perpetuis bellis contagiisq; ulciſcente Deo, donec Principem, cœtera laudatiſſimum, ad mitiores de religione cogitationes adigeret. Et certè, quam nec tot mala, nec apologiæ ſuprà memoratæ, perſecutionem ſiſtere poterant, ſtitit tandem legio Melitina è Chriſtianis conſtans, quæ *precibus fulmina ac nimbus*

bos, contra Quados, Romanis ſiti emorientibus pluviam largiſſimam detraxit, anno C. 173. A quo Legio iſta *Fulminatrix* dicta eſt, remque ita geſtam Imperator publicè notam fecit, atque exinde Chriſtianos pœnis liberavit, conſtituto eorum accuſatoribus ſupplicio, accuſatis aditu ad honores aperto, P. Oroſius *l. 7. c. 15.* Vide & Tertullianum *Apologet. c. 5.* Manſit tamen rigor in Chriſtianos non uno in loco, Magiſtratuum incuriâ, anno præſertim C. 176. quare Athenagoras, cujus ſuprà jam meminimus, egregiâ *Apologiâ*, Aurelio & Commodo Impp. inſcriptâ, innocentiam Chriſtianorum defendit, an. C. 177. Sub Commodo, manſit iiſdem pax à patre data, in gratiam Martiæ, quam diligebat Imperator, unde mira Eccleſiæ incrementa. Sanè Irenæus, florentiſſimas tum *in Germania, in Hiberis, in Celtis, in Oriente, in Ægypto, Lybia & in medio mundi*, h. e. Aſia fuiſſe Eccleſias ſcribit, articulosq; quos crediderint recenſet, cum illis, qui in Proteſtantium Eccleſiis hodie obtinent, apprimè conſentientes, uti videre eſt, apud ipſum *l. 1. c. 2.* & 3. & *l. 3. c. 4.* vide quoque Euſebium *l. 5. c. 7.* & Joh. le Sueur *ad ann. C. 181.* & *183.* Apollonius tamen Senator, vir pietate & eruditione excellens, ſcriptis etiam contra Montanum clarus, quòd fidem Chriſtianam publicè profiteretur, Perennis maximè operâ, coram Senatu accuſatus, atque ab eo, poſt recitatam inſignem pro Fide apologiam, ad mortem damnatus eſt, ann. Chr. 181. al. ann. Chr. 185. namque jam ipſi Romæ Magnates in cenſum Eccleſiæ tum venire cœperunt: Fauſtinæ inprimis, quam pro Dea coli Marcus Aurelius juſſerat, venerationem abominati. Inter Hæreticos Tatianus Encratitarum auctor, prodiit ann. C. 172. cujus *de abſtinentia à conjugio, vino*

& *carne* deliramenta etiam inter pios doctosque eousque jam ſerpere cœperunt, ut & Alcibiadem *ob delectum ciborum* reprehendere Attalus Lugdun. Martyr, cujus in *Sotere* meminimus, & Pinytum Epiſc. in Creta Cnoſſium, *ne grave ſervandæ caſtitatis onus fratribus imponeret*, monere Dionyſius Corinthius habuerit neceſſe, Euſebius ubi ſuprà *lib. 4. c. 22.* &c. Diſcipulus Tatiani Severus, mox novam ex ſe *Severianorum* ſectam dedit. Sed & Montani hæreſis latè ſe expandit, circa eund. annum, ut & Valentini deliria. Quare Irenæus, cùm ex Aſia (quò poſt Eleutherium ſalutatum profectus fuerat) reverſus eſſet, Romæ cum Valentino, tum magno jam natu, & duobus ejus diſcipulis Florino & Blaſto, concertatione publicè inſtitutâ, non paucos eorum qui i[illegible] ſectabantur ad meliorem frugem convertit: inde domum redux contra omnis generis Hæreticos inſigne opus edidit, de quo ſuperſunt quinque ſolùm libri, quos adverſùs *Gnoſticos* & *Valentinianos* ſcripſit, ſed qui non extant eâ linguâ, quâ ſcripti ſunt, Græcâ, viz. uti videre eſt apud Rivetum *Critico Sacro l. 2. c. 6.* Lucianus ex Chriſtiano poſt facinora Atheus & omnis religionis irriſor, memoratur Joh. le Sueur *ad an. 180.* ut & Bardeſanes Syrus, diſcipulus primò Valentini, dein ejus, ut & Marcionis, acer oppugnator, ab iiſdem tamen denuo ſeductus, & in portu naufragus, Euſebius *l. 5. c. 23.* Nec omittendus Theodotio, tertiæ Verſionis Græcæ Bibliorum auctor, circa ann. C. 182. qui, Tatiani primò diſcipulus, poſtea Marcioni adhæſit, donec ad Judæos ſe conferret, quorum quoque monitu verſionem dictam adornâſſe nonnullis videtur, Baronius *ad ann. C. 184.* &c.

XIV. V I.

XIV. VICTOR (g) I.

Annum (h) *ſacra vacat ſedes, ſuccedo, ſed acer* (i),
Quòd ferii aurora fulmine regna (k) *meo:*
Polycrati (l) *hinc meritò, meritò quoque Pacis-amanti* (m)
Increpor, interea creſcit (n) *ubiq; Fides* (o).

ENARRATIO.

(*g*) AFer natione, (*h*) poſtquam ſedes annum circiter vacâſſet, ut Damaſus *Pontific.* habet, Eleutherii in locum ſurrogatus, ann. C 186. Commodi 7. magna cum laude præfuit: (*i*) niſi quòd in Paſchatis negotio intempeſtivæ ſeveritatis plurimis etiam ſui temporis Epiſcopis viſus eſt. Recrudeſcente etenim, anno C.190. Commodi 11. de Paſchatis die controverſiâ, Victor Synodo Romæ convocatâ; (*k*) Eccleſias Aſiaticas condemnavit, *datiſque literis univerſos, qui illic erant, fratres proſcripſit, & ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronunciavit*, uti Euſebius loquitur *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c. 24.* Quem proin (*l*) Polycrates Epheſi Epiſcopus (*ex VIII. Parentibus Epiſcopis prognatus*) Synodi Aſiaticæ nomine ſcriptâ epiſtolâ redarguit, ſe nolle à veteri conſuetudine, inde uſque à Johanne Ap. Philippo, Polycarpo, aliiſque ſanctiſſimis viris obſervata, ad unius imperium & minas diſcedere teſtatus, ut apparet ex fragmento ejus apud Euſebium *d. l.* & *c.25.* extante. Sed &, parùm id placuiſſe Epiſcopis reliquis, putà etiam Occidentalibus, de cætero

 tero

tero in re ipſâ concordibus, qui ſcriptis ad Victorem literis eum acerbè ſatis perſtrinxerint :. (*m*) ipſum quoque Irenæum illi ad animum revocâſſe exempla deceſſorum, Aniceti, Pii, Hygini, Teleſphori & Xyſti, qui nunquam Orientalibus ob diverſitatem rituum ſuccenſuerint, nedum eos ab Eccleſiæ communione amputaverint, addit idem Euſebius *ibid.* V. quoque Socratem *Hiſt. Eccl. l.5. c. 22.* Nempe, à quo Presbyterorum unus eligi cœpit, qui cæteris præponeretur (quod ab Alexandrina, ſeu, ut aliis placet, ab Hieroſolymitana Eccleſia, primò factum, inde ad Romanam, aliasque Eccleſias tranſiit) *honos hic Epiſcopis collatus ſubinde animos eorum ita mutavit, ut, more humani ingenii, pluſculum ſibi arrogare, & ſe extollere ſupra alios inciperent,* Joh. Henr. Heideggerus *Hiſtoriâ Papatus, Periodo I. p. 14.* vide quæ ſuprà diximus in *Hygino.* Cæterùm, in grege ſuo paſcendo cum zelo occupatus Victor, (*n*) Eccleſiam Dei, ſub Commodo, ope inprimis Martiæ ſuprà indigitatæ, ut & ſub initia Severi, magna incrementa capeſſere vidit, Gentilium quamplurimis, etiam majoris dignationis, ad eam accedentibus. Quo factum, ut Gentiles, quò ruentem idololatriam quoquo modo fulcirent, ipſi *ſublatâ Deorum multitudine unius Dei cultum introducere,* interim contra Chriſtianiſmum acerrimè ſcribere cœperint: humana etiam ſacrificia, paſſim per orbem Romanum ſublata ſint; Euſebius *Præparat. lib.4.c.4.* &c. (*o*) defunctus, an martyrio coronatus, die 28. Jul. ann. C. 197. Epiſc. ſui ann. 11. Severi Imp. 5. Binis vicibus IV. Presbyteros, VII. Diaconos & XII. Epiſcopos diverſa in loca miſſos, ordinâſſe fertur: quorum aliquos in Scotiam delatos, Donaldum Regem, cum magna Nobilitatis

parte

parte luſtralibus undis tinxiſſe, hodieque in illa gente fama eſt. Plura de illo, vide apud Euſebium ubi ſuprà *cap. 23. & ſeqq.* Nicephorum *lib. 4. cap. 38. & ſeqq.* Anaſtaſium, Albonem Floriac. aliosque *Vitis Pontif.* Adonem Vienn. *Chron.* Freculphum *Chron. tom. 2. lib. 2. cap. 27.* Alios. Dum verò Victor Roman. Eccleſiam moderatur, *Antiochenæ* adhuc præfuit Maximus ſ. Maximinus, uſque ad ann. C. 180. quo defuncto illi ſucceſſit Serapion. In *Alexandrina*, Julianum, eod. anno extinctum, Demetrius excepit. *Hieroſolymitanam*, poſt Maximum II. rexerunt Antoninus, Valens, Dolychianus, Narciſſus, Elius, Germanio, Gordius, Narciſſus iterum, uſq; ad an. C. 200. Euſeb. Alexandriæ porrò, Scholam à Demetrio inſtauratam gubernavit Pantænus, qui, pòſt ab Epiſcopo ſuo miſſus in Indiam CHRISTUM apud Brachmanas & illius Gentis Philoſophos prædicavit, repertosque ibi Chriſtianos non paucos, qui S. Bartholomæum Apoſt. lucem Evangelii primum illis intuliſſe oris eum docuerunt, atq; Evangelium Matthæi illi oſtenderunt, in fide confirmavit, Joh. le Sueur *ad ann. C. 189.* Ei ſucceſſit Clemens Alexandrinus, variorum Scriptorum auctor, & Hieronymi judicio, *Vir omnium erudiſſimus*, de quo idem Suerius, *ad an. C. 194.* Hoſtes Eccleſiæ quod attinet, ejus res ſub Commodo, Pertinace, Juliano Impp. & primis Severi annis, ſatis fuerunt tranquillæ, niſi quòd in Julium (al. Lucium) Senatorem, quòd cum reliquis ſui ordinis Commodum, peſtem humani generis pro Deo adorare nollet, & Chriſtianorum quoſdam, qui eum diriſſimo ſupplicii genere interemptum humo mandaverant, ſævitum eſt, an. C. 191. Commodi 12. Major ab Hereticis noxa, Theodoto (cujus *in divinitatem Chriſti* blaſphemias preterito

ſeculo ex orco revocavit Socinus) Artemone ad eum proximè accedente; Monarchicis & Patripaſſianis, quorum originem Praxeæ attribuit Tertullianus. Aliis. Totum certè hoc *Seculum* à Chriſto nato *ſecundum*, à cujus fine haud procul jam ſumus, inprimis ejuſmodi zizaniorum fertile fuit, neque quidquam adeò impium mente fingi, ac concipi blaſphemum poteſt, quod non ſuos tum repererit defenſores & aſſeclas. Contrà verò excitavit eodem viros ſanctitate, & eruditione præcellentes quamplurimos Deus, qui in ejus atque Eccleſiæ hoſtes fortiter feliciterque depugnârunt, uti vidimus; adde illis Miltiadem Theologum celebrem, qui Auctor *Apologiæ pro Chriſtianis* præter Apollinarem & Serapionem contra Montanum quoque ejuſque ſectatores, librum edidit inſignem, circa ann. C. 189. ut de variis Synodis contra Hæreticos paſſim celebratis nil addam. Apud Judæos *Miſna*, Rabbi Judâ auctore, prodiit ann. C. 188.

XV. ZEPHYRINUS (p).

Dum furit ira hoſtis (q), *latui* (r): *poſt fata tyranni* (ſ)
Prodeo, contingit pax diuturna (t) *ſatis.*
Corrigo peccantes, quos eſt Natalius (u) *inter,*
Nam peperit ſenſim crimina (x) *longa quies* (y).

ENAR-

ENARRATIO.

(p) ROmanus patriâ, ſurrogatus eſt Victori, d. 8. Aug. ann. C. 197. Severi Imp. 5. qui cùm Albinum æmulum magnâ clade affectum ad necem adegiſſet, prope Lugdunum, ſecuta eſt urbis hujus deſolatio Eccleſiæque, Irenæo ejus per 30 annos meritiſſimo Præſule, inter alios, martyrium paſſo, diſſipatio, ann. C. 198. quo primo Chriſtianorum ſanguine manus imbuit Severus. Inde Plautiano, ad faſtigium Imperatori proximum erecto, in Chriſtianos toto paſſim Imperio ſæviri cœpit, mox eod. anno: Romæ præſertim, ubi, res in Meſopotamia gerente Imperatore, pro lubitu Plautianus in fortunas civium opulentiorum, Chriſtianorum præſertim, graſſabatur, an. C. 200. Hæc præludia *Perſecutionis VI. Oecum.* quam orſus eſt Severus, velut delendarum factionum cupidus, voto inſuper & juramento ad exterminium Chriſtianorum, à Sacerdotibus Ægyptiis, quum Alexandriæ ageret, adſtrictus ann. C. 201. tanto quidem cum furore, *ut paſſim rivi Chriſtiano ſanguine ſpumantes*, maximè in Ægypto & Thebaide decurrerent. Truncatus capite, inter alios, Leonidas, quem fil. Origenes, miſsâ epiſtolâ, *cave tibi, ne propter nos aliud quid cogites*, ad martyrium roborabat. Hinc in Aſiam rabies tranſiit; ubi Imperator poſt reditum ex Ægypto, Judæis, qui rebellaverant, disjectis, edicto *Iudæos fieri ſub pœna mortis* vetuit; idemque mox de Chriſtianis ſanxit, anno eod. Eodem Romam reverſo & triumphum agente, quòd fideles ſacrificiis Deorum, in ea feſtivitate fieri ſolitis, intereſſe renuerent, perſecutio recruduit, tanta cum vehementiâ, ut non pauci Severum *Antichriſtum* eſſe opinarentur, in Sacris prædictum:

ctum: neque Romæ ſolùm ac in Italia, ſed in extremis Africæ quoque, ubi Vigellius Saturninus Procoſ. cùm Speratum & ſocios ejus ſecuri percuti, Perpetuam & Felicitatem virgines beſtiis objici juſſiſſet, à Deo vindice cœcitate percuſſus eſt, ann. C. 202. & 205. Paſſus in eadem Africa Philippus Ægypti Præf. cum filia caſtiſſima Eugenia, ann. C. 203. Tum verò ſub ipſo perſequutionis æſtu, Origenes nondum annos 20. natus, Alexandriæ Demetrii Epiſc. juſſu Catechiſten & Rectorem agere cœpit, pluri-moſq; diſcipulorum martyres vidit, inter quos Potamiena fuit, an. C. 204. Atque hactenus (q) sæviente procellâ Zephyrinus, (r) ſubinde latitare cogebatur, at (ſ) Plautiano, qui Chriſtianis infenſiſſimus fuerat, Severi juſſu perempto, hincque perſecutionis rigore (t) remittente, munere ſuo liberè publiceque rurſus fungi cœpit: coràm quo brevi pòſt (u) Natalius confeſſor, qui à Theodoto ſe paſſus erat ſeduci, divino monitu ad Eccleſiam redire juſſus, pœnitentiam ſuam teſtatus eſt, an. C. 206. Sequuta pax, poſt mortem Severi, per annos complures, quanta hucuſque Eccleſiæ non obtigerat, 38. annos durâſſe Sulp. Severus ſcribit, niſi quòd medio tempore nonnullarum Eccleſiarum clericos vexavit Maximinus: obiit autem Severus an. C. 212. Sed (x) in deterius labi ſenſim mores profitentium Chriſtum, ut fieri aſſolet, adverſam magis, quàm fecundam fortunam, fortiter tolerare adſuetis, qua de re in ſeqq. paſſim dicemus. Interea Zephyrinus, pro ſeculi ſimplicitate, *Ut conſecratio ſanguinis Domini in vitreo vaſe, non in ligneo fieret*, ſtatuiſſe fertur: cùm tamen Hieronymus tradat, ſuo ævo Exuperantium Tholoſanum Epiſc. *calice vitreo, & vimineo caniſtro ſacram cœnam adminiſtrâſſe*, ad Ruſticum Mon. *Epiſt. 13. l. 2.* Obiit martyrio

rio coronatus, juxta nonnullos, d. 26. Auguſt. ann. Ch. 217. Epiſc. ſui ann. 20. die 18. Macrini Imp. anno 1. Quaternis vicibus XIII. Presbyteros, VII. Diaconos, & XIII. Epiſcopos ordinavit, Platinâ referente, quem cum Anaſtaſio, Ciaconio, Duchenio & Papyr. Maſſonio *de Papis* vide, adde Baronium *Annal.* præter Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 25. aliosq; (*y*) Ejus tempore *Antiochiæ*, Serapionem extinctum, an. C. 213. excepit Aſclepiades. *Alexandrinæ* adhuc præfuit Demetrius, ſub quo, ut diximus, florere cœpit Origenes, in Clementis, perſecutionis æſtu abrepti, locum ſuffectus, ann. Ch. 204. unde ſecedere hoſtium inſidiis compulſus, Cæſaream Palæſtinæ ſe contulit, ibique pariter ædificationi Eccleſiæ omnes nervos intendit: donec Alexandriam, ad functionem priſtinam reverſus eſt, an. C. 207. quo ipſo, ne frequens ejus cum teneriore ſexu converſatio quidquam pravæ ſuſpicionis apud Gentiles excitaret, malè inſuper intellecto dicto Servatoris, *Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt, propter regnum cælorum*, ſeipſum, an ferro, an pharmaco, caſtravit: quod exemplum poſtea Valeſiani imitati, neminem in communionem ſuam, niſi caſtratum recipere voluerunt, in alios etiam quoſcunq; ſibi fortè oblatos ſimili ſævitiâ graſſati, ut videre eſt apud Baron. *ad an. C.* 249. & 260. *Hieroſolymis*, Eccleſiam Alexander rexit, Cæſareæ Theoctiſtus, in Arabia apud Boſtrenſes Beryllus. In Africa, Agrippinus Carthagine præfuit, ſub quo in Synodo decretum, *Baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos eſſe*, ingentium contentionum materies, an. C. 215. Auctor præcipuus Tertullianus eruditiſſimus & diſertiſſimus Scriptor, Cypriano tanti habitus, ut illum non alio quàm *Magiſtri* nomine ſolitus ſit appellare. Innoteſcere is cœpit, circa an. C. 198. cauſam Chriſtianorum

gravi

gravi *Apologetico* egit eosque ab horrendis illis *infanticidii*, *Thyeſtæarum cœnarum & inceſtûs* criminibus, quæ omni tum in Chriſtianos ſævitiæ, inprimis recrudeſcenti perſequutioni, ann. Ch. 203. prætexebantur, egregiè vindicavit. Vanitatem dein ſpectaculorum, quibus Severum cum filiis nimiùm videbat deditos, exagitavit, erudito *de Spectaculis* tractatu, cui alterum *de Idololatria* adjecit. At, ſpecie auſterioris vitæ, quò mirè propendebat, ſeductus, ad Montani hæreſin ſe applicuit; ann. C. 206. Proclo inprimis impulſore, qui, in cæteris Montano moderatior; *jejunia, xerophagias & abſtinentiam à certis ciborum generibus*, à ſectatoribus ſuis rigidè exegit. Nempe, cùm in Eccleſia inprimis illis temporibus, non una lex communis, ſed variæ à variis conſuetudines in jejunii ratione obſervarentur; ut patet ex Irenæo *Epiſt. ad Victorem* ſuprà laudatâ, Joh. Caſſiano *Collat. 21. 24. 27. 30.* Sozomeno *l. 7. c. 19.* & Socrate *lib. 5. c. 22.* *jejuniorum* dein *leges* primus inſtituit Montanus, teſte Apollonio, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c. 18.* & Theodoreto *Hær. Fab. l. 3. c. 2.* quorum iſte, *Hic*, inquit, *& matrimonium ſolvi legibus ſancivit, & nova jejunia — introduxit.* Hos itaque Tertullianus ſecutus, cùm Montaniſtas & Cataphryges, à variis Epiſcopis, etiam à Zephyrino Epiſc. Rom. convocatis eo fine paſſim ſynodis, condemnatos videret; *de Monogamia*, *de Pudicitia & de Jejuniis c. Pſychicos*, uti per convitium orthodoxos vocat, libros emiſit multâ bile refertos, Zephyrino præcipuè infenſus; quem proin *Pontificis Maximi*, *Epiſcopi Epiſcoporum* aliiſque titulis, tum in Eccleſia Dei inauditis inuſitatiſque, aliud ſentiendo traduxit, circa ann. C. 214. Interim, ſtylo utiliter adhibito, contra Judæos, varioſque Hæreticos, Marcionitas

nitas præprimis, ann. C.207. quo ipſo *de Corona Mil.* librum evulgavit, in cujus *cap. 2.* primus *Signi crucis* meminit, quo Chriſtianos, in cujuſcunque operis aggreſſione, manu vel primoribus digitis formato, boni ominis causâ, in fronte ſe muniviſſe ſcribit, addens, *Harum & aliarum disciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur*, &c. Scripſit poſt hæc *de Pallio*, ann. C.209. *ad Scapulam* Africæ Procoſ. Saturnini, in munere, & contra fideles rigore, ſucceſſorem, ann. C.210. in quo poſteriore libro, morem vett. Chriſtianorum, ad ſepulchra Martyrum conveniendi ibique ſacra celebrandi (de quo Juſtellum vide *ad can. 9. Concilii Laod.*) ſuccinctè exponit. Præter hos, celebres tum fuere, Judas Scriptor Eccleſ. qui *Antichriſti adventum in propinquo eſſe*, contendit, auctor *Commentarii in Hebdomadas Danielis*, & *Chronologiæ*, quæ pertingit uſque ad Severi annum 10. qui fuit à N. C. 202. Ammonius Philoſophus Chriſtianus, Origenis, & Plotini Ægyptii per 12. annos, præceptor. Minutius porrò Felix, in cujus dialogo introductus Cæcilius, quibuſdam videtur S. Cypriani, qui ejus in honorem Cæciliani cognomen adſumpſerit, magiſter, poſt iſta factus, le Sueur *ad ann. C. 208.* De vi externa, Eccleſiæ graviter incumbente, ſub Severo, diximus: remiſit illa ſub filio ejus Baſſiano Caracalla, qui inter alios Evodio, cujus uxor ac liberi Chriſto nomen dederant, præceptore olim uſus, Chriſtianis infeſtus neutiquam erat: unde diuturna pax & Chriſtiani nominis incrementa tam felicia, ut, qui illud profiterentur, *urbes, caſtella, inſulas, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Senatum, forum, impleverint*, Tertullianus *Apolog.* & Gentiles, *ſerpere illud malum per univerſum orbem* quererentur, Minutius.

tius *Octavio*. Sed,ut beneficia Dei, quò majora, eò magis abuſui obnoxia. malacia hæc variis nævis in Eccleſiam ſenſim irrepentibus occaſionem dedit. Hinc Pœnitentiæ intenſus rigor,cujus exemplum in Natalio ſuprà indigitato, qui, ad Eccleſiam reverſurus, fidelium ad genua, Zephyrini inprimis, ſeſe provolvens, ægrè tandem receptus eſt, de quo more tum lapſis uſitato, vide Sozom. *l.8.c.16.* & Chemnitium *Exam.part.4*. In eo tamen Zephyrinus indulgentior fuit, quòd, cùm ab Apoſtolorum tempore tria peccatorum genera, homicidæ viz. adulteri & apoſtatæ, à ſacrorum communione excluderentur, ſcortatores is, & adulteros, poſt aliquot annorum pœnitentiam, in gratiam recipi voluerit: cui ſe Tertullianus acerrimè oppoſuit, *lib. de Pudicitiâ.* Vide hiſtoriam vet. Eccleſiæ *de diſciplina Eccl.& gradibus Pœnitentiæ*, juxta ſeculorum à C. N. ſeriem, apud Jo.le Sueur, *ad an.C.213*. De Hæreticis, qui tum Eccleſiam infeſtârunt, ſat quoque dictum. Alia quædam ut addam,hoc ævo in Origenis ſchola diſputari cœptum, *Animas etiam in altera vita ſolicitas eſſe de ſalute noſtra, & pro fratribus orare*, ſicq; gradum ſtructum, *ad invocationem Sanctorum*, maximè cùm Potamiena (de qua ſuprà) poſt obitum, Baſilidi lictori *gratiam,ob præſtita ſibi in morte officia, à Chriſto impetrâſſe* dicta fuerit,apud Euſebium *Hiſt. Eccl. lib.6. c.7.* adnotat Joh. Lætus *in Septim. Severo*: qui paulò ſuprà ipſum Zephyrinum Montaniſtarum hæreſi infectum,tradit ex Mortono *Apolog.c.18.* Sed & Cœlibatus primordia, ex μισογαμίᾳ Montani, de quo Tertulliani liber extat,arceſſit Joh. le Sueur *ad ann. C.206*. Nec omittendus Philoſtratus Juliæ Severi à Secretis, Chriſtianorum in ſcriptis ſuis protervus paſſim inſectator,circa ann.C.210.&c.

XVI. CAL-

XVI. CALLISTUS ſeu CALIXTUS (z) I.

In cryptis (a) *docui, Vario* (b) *nova ſacra* (c) *jubente,* (*Deum:*
Adducta ad verum (d) *eſt plurima turba*
Mitis Alexandri (e) *ſævos quæ experta miniſtros* (f) (*necem* (i).
Dum fuit, excipio verbera (g), *vincla* (h),

ENARRATIO.

(z) ROmanus, in Zephyrini locum, ultimo Auguſti menſis die, electus, an. C. 217. Opilii Macrini 1. (*a*) in loco quodam trans Tiberim ſecreto, cum Chriſtianis compluribus latitabat: *Eâ enim tempeſtate,* inquit Platina, *ob crebras perſecutiones, occulta erant omnia, etiam ipſa ſacella potiùs abdita & plerumque ſubterranea fuerunt, quàm publicis in locis aperta,* qua de re ſuprà aliquid: plura de cœmeteriis & locis conventuum Chriſtianorum, quæ Εὐκτήρια, Προσευχὰς, Κυριακοὺς appellavere (*templi* enim nomen ante Conſtantini tempora iis inuſitatum inviſumque) vide apud Joh. le Sueur *ad ann. C. 211.* Namque Eccleſia pacem quidem tum habebat, ſed plurimis in locis, per Magiſtratuum negligentiam odiumque in Chriſtianos, parùm fidam: in Africa quoque, ubi tum Scapulam Proconſule quo ſuprà, illis magnopere infeſtum fuiſſe nonnulli volunt, ann. C. 218. Interea (*b*) Varius Antonin. Heliogabalus, qui Macrino Imper. ſucceſſit, inter alia nefanda, (*c*) Heliogabalum ſuum, Syrum numen, in Palatino monte ſacravit, id agens, ne quis Romæ vel per orbem Deus, niſi hicce, coleretur, voluit-

voluitque proin, Judæorum & Samaritanorum religiones, Chriſtianam item devotionem illuc transferri, ut omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret, ann. Ch. 219. Cædebantur idolo humanæ hoſtiæ, deſpondebatur ei virgo Carthaginienſis Urania, immenſâ, quæ ex toto Imperio colligebatur, dote, Soli (hic enim ſub Heliogabali ſchemate colebatur) Lunam connubio ſtabili junxiſſe ſe, Imperatore gloriante; ann. C. 221. quæ hominis veſania (*d*) Gentilium cordatioribus, ſuperſtitionibus conculcatis, ad Chriſtianiſmum accedendi, acerrimi inſtar ſtimuli erat. Plus verò incrementi Eccleſiæ, (*e*) ſub Alexandro Sev. acceſſit, cujus mater Mammæa Origenem quoque celeberrimum tunc Chriſtianorum doctorem Antiochiam ad ſe accerſivit: unde multi in aula Chriſtiani, ipſeque Imperator tantum iis detulit, ut non tantùm privilegia in eos collata, ſed & Chriſto rem divinam factam in illius larario, adjunctis tamen Apollonio, Orpheo & id genus aliis, ſcribat Lampridius. Nihilominus, vario prætextu (*f*) Imperatoris miniſtri paſſim in Chriſtianos ſævire non celsârunt, Romæ præſertim, ubi Calliſtus, (*g*) poſtquam omnia boni Paſtoris munia magna cum fide obiiſſet, innumeris plagarum ictibus aliquandiu quotidie excruciatus, & (*h*) in carceris ſqualore vix pane & aquâ, quantum ſatis erat, ſuſtentatus, (*i*) inde tandem extractus, & in puteum præcipitatus, illuſtri martyrio animam Servatori reddidit, in Calepodii Presbyteri & Martyris cœmeterio ſepultus, d. 14. Octobr. ann. C. 222. Epiſcopatus ſui ann. 5. m. 1. d. 19. Alexandri Sev. ann. 1. Ordinâſſe quinis vicibus XVI. Presbyteros, IV. Diaconos & VIII. Epiſcopos: domum ſuam, in Oratorii uſum, Chri-

ſtianis

ſtianis conceſſiſſe, ubi poſtea templum extructum, quod hodie *Mariæ trans Tiberim* vocetur: *IV. item Temporum jejunium* inſtituiſſe dicitur, ann. Ch. 220. ſed hoc poſtremum recentioris ævi inventum, nec Epiſtolas Decretales, quæ ejus meminerunt, genuinas eſſe, docet, præter alios, Joh. le Sueur *ad ann. Ch.* 222. plura de illo, vide apud Platinam, Anaſtaſium, Luitprandum, Joh. Balæum, Alios, *Vitis Ponif.* Sabellicum *Enn.* 7. *L.* 6. &c. Illius tempore, *Antiochenam* Eccl. adhuc Aſclepiades regebat: uti *Alexandrinam* Demetrius; in Schola verò hac illuſtri, ob frequentiam auditorum, adjunxit ſibi Origenes collegam Heraclam &c. Inter Doctores, florebat Julius Africanus, Chriſtianus Hiſtoriographus, qui ad Heliogabalum legationem, pro inſtauranda Emmaunte, quæ *Nicopolis* dicebatur, dextrè feliciterque obivit, ann. Ch. 220. è cujus opere in 14. libros diviſo multa Chronico ſuo & Hiſtoriæ inſeruiſſe fatetur Euſebius. Quis ſub Impp. memoratis Eccleſiæ fuerit ſtatus, vidimus. Hæreticorum, hoc intervallo, nova ſoboles nulla.

XVII. URBANUS (k) I.

Paſco gregem dum (l), CHRISTE, *tuum, cognominis* (m) *alter*
Turbare (n) *hunc omni mox ratione furit.*
Thura adolere (o) *negans falſum hinc dum conſpuo* (p) *Numen,*
Liventi plumbo (q) *verberor, enſe* (r) *necor* (ſ).

ENAR-

ENARRATIO.

(k) GEnte Romanus, Calliſtum excepit, electus d. 20. Octobr. an. C.222. Alexandri Sev. I. juxta canonem Paſchalem Hippolyti Epiſc. Romæ inventum an. C.1551. qui Imperator, cùm literatos amaret, & optimos quoſque in aulam adſciſceret, inter eos à conſiliis habuit Ulpianum JC. eximium, ſed in Chriſtianos acrem, juxta reliquos Imperatoris miniſtros, unde factum, ut etiam hujus principatu non pauci Martyres occurrant. Interea Mammæa Origenem audiit, ſed haud dubiè à Gnoſticis ſeducta apertè fidem non profeſſa eſt. Plurimùm etiam Chriſtiana inſtitutio Alexandro profuit, quem præter jam dicta, CHRISTO templum quoque erigere, eumq; inter Deos recipere cogitâſſe, quòd verò reliqua templa omnia deſerenda prævideret, metu iſto abſterritum eſſe, ſcribunt, circa ann. C.223. Clamâſſe certè eundem ſæpius, quod à Chriſtianis audierat, idq; per præconem, cùm aliquem emendaret, dici juſſiſſe: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, notum. Favoris in Chriſtianos ejus indicium luculentum, quòd cùm ii publicum quendam locum (eum fuiſſe, quem Hermas ſeu Praxedis, ſub Pio I. vel Calixtus I. ſacris conventibus dedicaverit, nonnullis placet) occupâſſent, dicentibus popinariis, ſibi eum deberi, reſcripſit: *Melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus coleretur, quàm popinariis dederetur*, apud Lamprid. & Herodianum *l. 6.* Idem ad morem Chriſtianorum, Judæorumque, quem *in Sacerdotibus prædicandis* obſervabant, provinciarum rectores in poſterum eligi voluit, iterum Lamprid. vide & J. le Sueur *ad an. C.224.* Abuſi tamen nomine illius Ulpianus aliique ex ejus Conſilio Chriſtianos pro viribus undique exagitare non deſierunt: unde Palmatius vir Conſularis, Simplicius

plicius Senator, Cyriacus Epiſc. Oſtienſis, Privatus & Tatiana, matrona inſignis, variis ſuppliciorum generibus enecti, conſtantiſſimè martyrium ſubierunt, anno C.226. ſecutâ mox Ulpiani cæde, anno eod. quo pacto remiſit aliquantum perſequentium rigor: niſi quòd Hippolytus Epiſcopus Portuenſis, Scriptor Eccl. ſui temporis celeberrimus, cum aliis non paucis, pro fide, occubuerunt, an. C.227. Poſtmodum verò, Cæſare in Oriente occupato contra Artaxerxem, redintegrata Romæ perſecutio eſt, (*l*) contra Urbanum Epiſc. fidelem cœterosque nominis Chriſti ſtrenuos aſſertores, ab (*m*) Urbano urbis præfecto, (*n*) ſummo ejus oſore ann. C. 230. in qua (*o*) Epiſcopum juſſum Marti dare thura, (*p*) in faciem idoli exſpuiſſe, (*q*) atque propterea pertuliſſe liventis verbera plumbi, tandemque (*r*) ſecuri percuſſum eſſe, tradit Damaſus, & poſt eum Marianus Scotus, Platina, Sabellicus, Nauclerus, Alii: idque d. 25. MaI, an. C.231. Epiſc. ſui ann. 8. m. 7. d. aliquot, Alexandri Sev. ann. 10. Dicitur quinis vicibus IX. Presbyteros, V. Diaconos & VIII. Epiſcopos creâſſe, *argentea* inſuper introduxiſſe *vaſa*, & *prædia fundosq́;* *à Chriſtianis oblatos recepiſſe*, ſed non ab horum temporum Scriptoribus. Euſebius certè nec martyrii Urbani nec deceſſoris ejus Calliſti meminit. Plura de illo, præter jam dictos, videre eſt, apud Baleum *in eo*, Polydorum Virg. *de Inv. rer. l. 6. c. 14. C. videntes 16. ca. 12. qu. 1.* alibi: (*ſ*) Illo Eccleſiam Rom. adminiſtrante, *Antiochiæ*, poſt Phileti, qui Aſclepiadem exceperat, obitum præeſſe cœpit Zebinus ann. Ch 228. In *Alexandrina* Eccleſia Demetrius Epiſcop. vitio vertit Alexandro *Hieroſolymæ* & Theoctiſto Cæſareæ Paſtoribus, quòd Origenem non initiatum gradu Presbyterii docere in Eccleſia ſua permiſiſſent: verùm

verùm illis, hoc integrum eſſe Epiſcopis, ex veteri conſuetudine confirmantibus, Origenem Alexandriâ reverſum Demetrius, tum ob hoc, tum ob errores, quibus libros ejus, inprimis quem *de Principiis* ſcripſit, plenos eſſe arguebat, communione arcuit, ejusque in locum Heraclam conſtituit, ann. C. 228. Sic Origenes Cæſaream Palæſtinæ ſeceſſit, ibique quatuor verſiones Græcas Vet. Teſt. (quarum ultima fuit Symmachi Samaritæ vel Ebionitæ, facta ann. C. 193. Severi Imp. 2.) in unum volumen diſpoſuit & columnis diſtinxit; quæ erant ipſius Τετράπλα: quibus dein addidit duas alias columnas continentes textum Hebræum, Hebræo & Græco charactere ſcriptum, ac Ἑξάπλα fecit: tandem, adjectis duabus anonymis, (quarum una in urbe Jericho in dolio inventa, ann. Ch. 220. altera itidem in dolio reperta eſt Nicopoli, ann. C. 230.) dedit Ὀκτάπλα, Joh. le Sueur *ad ann. C. 229.* Inter viros illuſtres, tum Geminus quoque fuit, Presbyter Antiochenus, plurimis ſcriptis celebris, quæ temporis injuriâ interciderunt. Idem *ad ann. C. 227.* Hoſtes Eccleſiæ Ulpianus aliique Severi Alex. miniſtri, ut dictum. Hæreſis nova non occurrit: Judæi verò ſub eodem Imp. mitiùs haberi cœpti, circa ann. C. 223. &c.

XVIII. PON

XVIII. PONTIANUS (*t*).

Promptè juſſa ſequens Domini, populiq́ vocantis,
Hunc ſolor, doceo, duco, (u) *crucemq́ue fero* (x):
Accuſor falsò (y), *Sardoos mittor* (z) *in agros,*
Exul (a) *ago, lignis* (b) *conteror, aſtra* (c) *peto* (d).

ENARRATIO.

(*t*) ROmanus, poſt martyrium Urbani, elapſo menſe, Epiſcopatum nactus, ann. C. 231. Alexandri Sev. 10. Eccleſiæ ſuæ (*u*) cum fide præfuit, hujus ſub initia ejus ſtatu ſatis tranquillo. At paulò pòſt à veritatis hoſtibus novâ tempeſtate excitatâ, (*x*) optimus Præſul non unas ſenſit inſidias, (*y*) pluriumque criminum falsò accuſatus, coram Imperatore, hujus juſſu (*z*) in inſ. Sardiniam *triſtem cœlo & multâ vitiatam palude*, ut Silius vocat, relegatus, ann. C. 234. (*a*) exilium ibi aliquandiu toleravit: donec ſub Maximino Thrace, qui, occiſo Principe, Imperio potitus, illudque ſolâ crudelitate teneri poſſe ratus, tum in alios, ſine delectu dignitatis, tum in Chriſtianum nomen profeſſos, ſupplicia exercere cœpit, ab exilio retractus Romamque raptus eſt: ubi, poſt multas calamitates, & gravia tormenta, (*b*) verberibus ad necem cæſus, (*c*) in Servatore ſuo obdormivit, d. 19. Nov. ann. C. 235. Epiſcopatus ſui ann. 4. m. 5. Maximini anno 1.

Binis vicibus ordinâſſe fertur, VI. Presbyteros, VI. Epiſcopos, & V. Diaconos. Vide Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. libr. 6. c. 27.* & *Chron. n. 2250. & ſeqq.* Platinam, Anaſtaſium, Luitprandum *Vitis Pontificum*, Baronium *Annalib.* Alios. (*d*) Illo Eccleſiam Romanam ædificante, *Antiochenam* Zebinus adhuc rexit. In *Alexandrina*, Demetrio, poſtquam præfuiſſet annos 43. magna cum eruditionis, zeli ac prudentiæ famâ, ſucceſſit Heraclas, ann. Ch. 233. qui, in ſuum locum, Scholæ illi celebri Catechiſtam Rectoremque dedit Dionyſium. Cæſareæ Palæſtinæ docebat Origenes, prout Cæſareæ in Cappadocia Firmilianus. Et quidem Origenes, à continuis ſtudiis Χαλκέντερ☉ Græcis, Latinis *Adamantius* dictus, Cæſareæ ſcholâ inſigni erectâ ad ſacram eruditionem complures formavit, magno poſtmodum Eccleſiæ Dei uſui futuros: quos inter duo fratres, Theodorus, qui *Gregorii Thaumaturgi* nomine inclaruit, & Athenodorus, maximè conſpicui, in Ponto dein Eccleſias rexere. Tantus nihilominus vir, poſt immenſos pro Eccleſia labores exantlatos, non caruit ſuis nævis, vel ſaltem æmulis: adeò & Veteres circa eum ambigui fuere, Euſebio defendente, Epiphanio Hieronymoque contra eum nitentibus. Quintâ certè Synodo Oecum. ipſe cum ſcriptis ſuis, non minùs ac Arius, Eunomius, Macedonius, Neſtorius, & Eutyches, anathemate notatus, ann. C. 553. & multi, occaſione ſcriptorum ejus in errores delapſi, *Origenianorum* nomine hinc appellati ſunt: vulgatumque de illo, *Ubi bene, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejùs.* Sed & ille jam ſuo tempore ab hæreticis libros ſuos variè interpolatos depravatosque, alios etiam ſuorum loco ab iis ſuppoſitos, queſtus eſt, ut, quæ hîc via tenenda, non adeò facile

cilè inveneris, vide præter alios, benignius de eo judicium, apud Joh. le Sueur ad annum Ch. 233. De ſtatu Eccleſiæ, ſub Alexandro, vidimus: Maximinus, uti in alios, generis ſui inprimis conſcios, ſic in Chriſtianos, ſub prima ſtatim regiminis ſui initia, ſævus eſſe cœpit, horumque, præter Pontianum, complures Romæ interimi curavit, perſecutioni jamjam imminenti ſic velut prælufurus, ann. C. 235. Ne verò in ipſo Eccleſiæ ſinu deeſſent, qui turbas darent, fœminam in Cappadocia excitavit Satanas, quæ vatem mentita præſtigiis ſuis multos Chriſtianorum, interque hos Ruſticum Presbyterum in partes ſuas pellexit, ſacra myſteria, eodem quo in Eccleſia ritu, diſpenſare, muniaque, fœmineo ſexui in illa negata, ſibi arrogare auſa: donec impoſtura ejus fraudesque Diabolicæ, quibus aliquandiu populum deceptum tenuerat, publicè innotuerunt, ann. Ch. 234. Vide Firmilianum *Epiſt. ad S. Cyprianum.*

XIX. ANTERUS (e).

Implet mox vacuum munus (f), *navemque gubernat,*
Rectorem at navi proxima luna (g) *rapit,*
Dum ſanctos ſupereſſe ſtudet poſt funera teſtes (h),
Supplicio (i) *numerum terminat ipſe ſuo* (k).

ENARRATIO.

(e) A*Ntherus* aliis, Græcus gente (*f*) Pontiano ſuffectus,

fectus, anno C. 235. Maximini 1. (g) haud diu, in iſto perſequutionum ſalo, Romanæ Eccleſiæ præfuit, dum in eo eſſet, (h) *ut Martyrum res geſtæ literis conſignarentur* (primus ſic Martyrologii auctor) (i) ipſe martyrio coronatus, d. 3. Januar. an. C. 236. Maximini 2. poſtquam in functione ſua menſem vix implêſſet. Unde verè de primorum Pontificum humilitate loquens Florim. Ræmondus, *Prioribus illis ſeculis,* inquit -- *Pontifices martyrii ſacri laureâ contenti, eam omni diademate & ſceptro potiorem habebant—Gloria eorum erat ignominia; majeſtas, humilitas; felicitas, tyrannorum iræ; quies, ſupplicium; vita, mors ipſa.* Et ſub Maximino quidem in Eccleſiæ præpoſitos, tanquam ipſos doctrinæ duces, præcipuè ſævitum, his ſublatis faciliorem ſibi de grege victoriam pollicito, &c. Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 27.* & *ſeqq.* Idem *Chron. num. 2253.* & *ſeqq.* Platina in *Anthero,* Anaſtaſius, Luitprandus, Balæus *Vitis Pontificum,* Alii. (k) Sub Gordiano Sen. ſublatum Antherum, qui dicunt, falluntur eo, quòd hunc quidem cum filio Imperatores in Africa contra Maximinum creatos legunt eod. anno, ſed poſt Antheri demum, qui ſub anni initia jam occubuerat, obitum id factum eſſe, docet Suerius *ad ann. C. 236.*

XX. FA-

XX. FABIANUS (l).

Succedo (m), *augurium clavi faciente columbâ* (n),
Principium (o) *durum, meta* (p) *cruenta fuit.*
Inter utrumque quies, (q) *quadam hinc euſteria* (r) *condo,*
Martyribus (ſ) *calamum at dum ſacro, jungor* (t) *iis* (u).

ENARRATIO.

(*l*) EX eadem gente, Antero, decimo tertio poſt martyrium illius die, (*m*) ſucceſſit d. 17. Febr. ann. C. præfato: (*n*) cùm nuper rure in urbem commeâſſet, columbæ in ipſum devolantis omine, dignitatem adſecutus, (*o*) difficillimis temporibus illam tenuit, duplici perſecutione œcumenicâ, quarum prior à Maximino, (*p*) poſterior à Decio motæ eſt, ut dicemus, implicitus: (*q*) cùm interjecto tempore ſub Gordiano & Philippo, Eccleſia pacem haberet. Maximinus nempe, odio adversùs familiam deceſſoris, Origenem præcipuè, cui accedebat Sacerdotum idololatrarum, horribiles terræmotus, quibus tum Pontus maximè & Cappadocia quatiebantur, Chriſtianis imputantium calumnia, *Perſecutionem VI. Oecum.* & quidem adversùm Præſides inprimis Eccleſiarum movit, ann. C. 236. quo ipſo Origenes *de Martyrio* librum, Ambroſio Epiſc. & Protocteto Presbytero Cæſareenſi inſcriptum, emiſit. Sic Epiſcoporum non pauci pro Chriſto mortem

oppetierunt: ne plures occiderentur, divina obſtitit providentia, quæ ante expletum triennium violentam dominationem obtrivit. Maximino enim hoſte à Senatu declarato, eique Maximo, Balbino, Gordiano oppoſitis, mox intepuit perſecutionis fervor, quæ illo ad Aquilejam occiſo planè ceſſavit, anno Ch. 237. quâ occaſione uſus Fabianus, in cœmeteriis, (r) oratoria quædam exſtruxiſſe, & (ſ) ſeptem conſtituiſſe Subdiaconos, ſeu Notarios dicitur, qui Martyrum hiſtoriam, cujus prima initia Anteros duxerat, literis conſignarent, anno eod. Poſt hæc, cùm & in provinciis quies eſſet, Synodo in Africâ habitâ Privati hæreſis (quæ qualis fuerit, ignoratur) condemnata ac ſimul cum auctore extincta: in Arabia quoque, contra Beryllum Epiſcopum, *in neganda Divinitate Chriſti*, Artemonis ſectatorem, Synodus coacta, ipſeque ab Origene meliora edoctus eſt, qui quendam Ambroſium etiam, Valentinianorum deliria ſecutum, in viam reduxit, circa ann. Ch. 238. Sub Gordiano III. pax continuata, Miſitheo ſocero ejus accurante: Carthagine tamen hoſtium calumniis Helconida virgo oppreſſa eſt, d. 28. MaI, an. C. 242. Nec turbatum ſub Philippo, quem ex fama, ſed inani, Chriſtianiſmum amplexum tradit Euſebius, uti videre eſt apud Suerium *ad an. C. 245.* plurimique Viri inſignes in vinea Domini ſtrenuè & ingenti ſucceſſu laborârunt paſſim: inter quos Origenes, ſexagenario jam major, auditoribus ſuis tum primùm, quæ publicè Cæſareæ prælegeret, excipiendi veniam dedit, ann. Ch. 246. At ſub Decio nova tempeſtas, prioribusque omnibus atrocior incubuit, quam ſub initium anni C. 249. vel finem præcedentis, Alexandriæ motæ à Mago quodam

turbæ

turbæ & hinc acris Chriſtianorum in ea Eccleſia exagitatio præceſſerat. VIII. itaque *Perſecutio Oecum.* ab Imperatore excitata eſt, anno eod. cui anſam dedere Chriſtianorum, qui hactenus maxima incrementa ſumpſerant, in fide nævi, gliſcentes ſenſim, in cultu tepor, in moribus, quos graphicè depingit Cyprianus *de Lapſis Serm. 5.* depravatio. Ergo ut Deus jacentem fidem & penè dormientem cenſurâ cœleſti erigeret, paſſus eſt à Decio, Trajani aliàs virtutum æmulo, è veterno illam excuti, ſemel tamen atque iterum in viſione præmonitam, Idem *Epiſt. ad Cler. de Deprecando Deo.* Vide quoque eum *lib. 4. Epiſt. 4.* Ad martyrium rapti innumeri, in quorum primis (t) Fabianus, conſtantiæ ſingularis exemplo gregi ſuo præivit, capite truncatus, d. 20. Januar. ann. C. 250. Epiſcopatus ſui ann. 14. Decii 1. poſtquam quinis vicibus creâſſet XXII. Presbyteros, VII. Diaconos & XII. Epiſcopos: plura apud Euſebium *Hiſt. Eccl. l. 6. c. 28.* Nicephorum *l. 5. c. 26.* Adonem Vienn. *ad ann. C. 241.* Oroſium *l. 7.* Platinam & Anaſtaſ. *Vitis Pontificum*, Alios. (u) Vacavit ſedes annum integrum ob hoſtium rabiem, quę interea Romæ & in provinciis, Alexandrię pręſertim, Carthagine, Hieroſolymis, & Antiochiæ, acerrimè deſæviit. Romæ quidem, martyrum eminentiores, Calocerus Imperatori à Cubiculi cura, Secundianusq;, urbis ſub-præfectus, extitere. *Antiochiæ*, ubi Zebino defuncto Babylas ſucceſſerat an. C. 239. hic jam nonagenarius, Decio tum Antiochiæ præſente, unà cum tribus filiis, ſupplicio afficiẽdus, *Ecce ego*, inquit, *& pueri mei, quos dedit mihi Dominus*: ac cum cęteris ſuis, ut petierat, ſepultus eſt, an. C. 250. ſucceſſore Fabio. *Alexandriæ*, ubi Heraclam excepit Dionyſius, a. C. 247. Gentiles, non ſolùm decreto

Imperatoris, ſed & ab impoſtore, quem antea indigitavimus, incitati, *ſolum Dæmonum cultum & noſtri occiſionem*, inquit Euſebius, *pietatem eſſe putabant*, ann. Ch. 249. & 250. *Hieroſolymis*, Alexander Episc. in carcere necatus, ſucceſſorem nactus eſt Merabenem, anno eod. Carthagine porrò, ubi Cyprianus Agrippino ſurrogatus fuerat, anno C. 248. tantus perſecutorum fuit furor, ut non contenti conſuetis mortis generibus excogitarent, quibus atrociora ne Buſiris quidem olim nec Phalaris ullus: imò ut, tarda ad mortem ſupplicia conquerentes, *animas cuperent jugulare, non corpora, & volentibus mori non permitteretur occidi*, ut Cyprianus ait: alia omitto, Origenem inprimis graviſſima paſſum, eodem anno 250. Verùm, ſicuti olim, ortâ poſt obitum Stephani Protomartyris, perſecutione adversùs Eccleſiam Hieroſolym. fideles diſperſi, per regiones Judææ & Samariæ, Evangelium latiùs propagârunt, planè ita ſub Decio factum: ſub quo Epiſcoporum nonnulli aliquantiſper ſeceſſere, ut Cyprianus Carthagine, Gregoriusq; Thaumaturgus Neo-Cæſareâ, poſtmodum ad greges ſuos, vel etiam cum ſuis gregibus, reverſi; alii aliorſum delati novas illic Eccleſias fundârunt, ut inter alia in Gallia factum, ubi, cùm præter Viennenſem ac Lugdunenſem nullæ hactenus Eccleſiæ eſſent, complures aliæ, Decianæ perſecutionis tempore, erectæ ſunt, Turonibus, Arelati, Narbone, Toloſæ, Pariſiis, in Arvernia & Lemovicibus, teſte Gregorio Turon. *Hiſtor. lib. 1. c. 28.* quidam etiam in eremum penitùs ſe abdiderunt, ut Paulus Thebæus, ann. C. 251. unde *Eremiticæ*, hincque *Monaſticæ* vitæ occaſio, de qua infrà plura. Poſt Decii, (qui, ope Chriſtiani cujuſdam Ducis contra Perſas victor, nihilo tamen mitior factus, fideles perſe-

perſequi non ceſſavit) mortem, pax Chriſtianis affulſit, ſub Gallo; ſed occaſione *Sacrificatorum* & *Thurificatorum*, *Libellaticorum* item, quorum duo rurſus genera; cùm in gremium Eccleſiæ recipi deſiderarent, novæ lites ortæ, &, quia pœnitentiæ Eccl. quibuſdam rigor nimius viſus, *pax Martyrum* implorata, quibus omnibus occurrit prudentia Cypriani, adhuc tum exulis, qui literis ad Clerum gregemque ſuum, Confeſſores item ac Martyres: Clerum porrò Rom. tum præſide adhuc deſtitutum, datis, rem in præſens compoſuit, donec Synodus convocari poſſet, ann. eod. C. 251. *Placuitque Libellaticos*, poſt aliquot annorum pœnitentiam *admitti*, *Sacrificatis in exitu ſubvenire*, Epiſt. 2. *l*. 4. *ad Antonian.* Hæretici in Arabia, præter errorem Berylli, exorti, *qui animas cum corporibus mori*, & *cum iiſdem reſurrecturas*, aſſeverabant, Synodo Alberæ coactâ condemnati, & magna ex parte ab Origene ad frugem reducti ſunt. Sed & Helceſaitæ, quos cum Sampſæis Epiphanius eoſdem facit, iterum lacertos moverunt, ann. C. 247. Fabiani 12. Valeſiani item. Inter ipſos fideles, circa *Panem Euchariſticum* & *Calicem Dominicum* irrepere quædam, præter inſtitutionem Domini, cœpiſſe, ac opinionem *de Sanctorum poſt mortem interceſſione apud Deum pro nobis*, incrementa ſumpſiſſe, obſervat Lætus, ex Cypriano *Sermone* 6. *de Orat. Dom.* plura hanc in rem, vide apud Joh. le Sueur *in Fabiano*, ubi inter alia, occaſione Heraclæ & Dionyſii Epiſcoporum Alexandrin. de regimine hujus Eccleſiæ diſſerens, ordinem à S. Marco in illa inſtitutum, quo *Presbyteri ex numero ſuo unum ſelectum in celſiori gradu collocârunt*, futurum ſc. *προεστὼς τῶν πρεσβυτέρων*, *Presbyterorum præſidem*; uſque ad præfatos Epiſcopos duraſſe, docet ex Hiero-

nymo *Epiſt. ad Evagrium.* Vide quoque Eutychium *Annal. Eccleſ.* qui morem adhuc ann. C.318. ibidem obtinuiſſe refert.

XXI. CORNELIUS (x).

Sævit adhuc (y) *Decius, ſedem conſcendo* (z) *vacantem,* *(tamen;*
Pax (a) *ſequitur, parvi temporis* (b) *illa*
Me Novus (c) *impugnat fruſtra, paſſim agmina creſcunt*
Sanctorum (d), *at Galli* (e) *me necat ira Ducis* (f).

ENARRATIO.

(*x*) ROmanus, fil. Caſtini, durante adhuc, ut nonnulli volunt, (*y*) Deciano furore, (*z*) dignitatem Romani Paſtoratûs, obitu Fabiani, vacantem, & perſequutionis rigore, annum integrum & menſes aliquot, præſide deſtitutam, tantùm non invitus admiſit, electus ann. Ch. 251. quo Decio occiſo, Vibius Gallus Imperium rapuit: eruditione, zelo, pro cauſa Dei, ac humilitate nulli ſecundus. Eccleſiam tum, quidquid contra eam hoſtes molirentur, numeroſam admodum, Romæ inprimis fuiſſe, ipſe hic Cornelius docet *in Epiſt.* ubi XLVI. Presbyteros, VII. Diaconos, totidem Subdiaconos, XLII. Acoluthos, LII. Exorciſtas Lectoresque cum Oſtiariis, ac magnam egenorum afflictorumque multitudinem, curæ ſuæ ſubeſſe memorat, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.6. c. 43.* &

(*a*) pax

(*a*) pax adſpirabat, ut diximus, quamprimum Decius eſſe deſiit: (*b*) ſed ævum non latura, ut mox videbimus. In ipſa enim Eccleſia, (*c*) Novatianus Presbyter, vir eloquens & Philoſophus, Cornelium in Epiſcopatu ſibi prælatum indignatus, adjuvante Novato presbytero Carthaginenſi, & Feliciſſimo contra Cyprianum ſchiſmatis auctore ſocio, qui iſthoc tempore Romam venerat, rem eò perduxit, ut à nonnullis Præſulibus contra Cornelium Epiſcopus ordinaretur: ſicque *Schiſmati L.* in Eccleſia Rom. anſam dedit. Inde literis ad Fabium Antioch. Dionyſium Alexandr. Cyprianum Carthag. alioſque Epiſcopos expeditis, in Cornelium variè invectus, ſui electionem ratam haberi petiit, ſed ab omnibus rejectus, Cornelius pro legitimo Paſtore agnitus, & miſſi à Novatiano, Synodo Carthagine habitâ, communione excluſi ſunt. Quâ repulsâ incenſus, *poſt Baptiſmum in peccatum lapſos non eſſe in Eccleſiam, ne pœnitentes quidem, recipiendos*, publicè docere cœpit, *Novatianorum* ſic auctor, qui *Catharos* ſe, i. puros, inſolenter appellabant. Acceſſit mox Novatiano Novatus, qui Româ reverſus Carthaginem eundem ibi errorem diſſeminare conatus eſt. Sed variis Synodis paſſim habitis, Romæ inprimis unâ à Cornelio LX. Epiſcoporum convocatâ, damnatus uterque, ac ſtatutum unanimi conſenſu eſt, in delictum qualecunque lapſos, ſi reſipuerint, in Eccleſiam, certis tamen pœnitentiæ gradibus & annorum interjectâ morâ, recipiendos eſſe. Vide Dionyſium Alexandr. *Epiſt. ad Novatianum*, & Cornelium *Epiſt. ad Fabium Antiochenum*, apud Euſebium *Hiſt. Eccl. l.6. cap.43.* Cyprianum item, *lib.1. Epiſt.3. ad Cornelium Epiſcopum Rom. lib.2. Epiſt. 7. ad Cyprian. à Presbyt. Rom. & l.2. Epiſt.8. ad Cornel. eund.* in quâ poſtremâ

 Nova-

Novatum vivis pingit coloribus. Hinc ergo grave in Eccleſia ſchiſma, quod auctorum contumaciâ propagatum in Donatiſmum tandem abiit. Contrarii tamen dogmatis eodem tempore, in Eccleſia Africana, Feliciſſimus fuit auctor, Presbyter Carthagin. qui contra Cyprianum inſurgens Novatum primò, ut diximus, aſſeclam habuit, poſtmodum Romæ Novatiani errorem amplexum. Hic Feliciſſimus, alterum extremum tuitus, *omnes peccatores, citra ullam pœnitentiam, recipiendos eſſe*, contendit, damnatus Synodo Carthagine coactâ, unà cum Novatiani deputatis, de quibus dictum. Poſt quæ ſeceſſione à Privato, quòd quâdam Synodo non receptus eſſet, factâ, & hujus ope Fortunato contra Cyprianum electo, Feliciſſimus ab his turbonibus Romam miſſus, Cornelio impoſuit euſque, ut is Cyprianum paulò acriùs hac de re compellaret, qui Cornelio modeſtè increpito, quòd tam pronas hoſtibus ſuis, in cauſa ſua adeò juſta, præbuiſſet aures, ſicque *tranſmarinas appellationes recepiſſet*, rem compoſuit, ac Synodo auctoritatem aſſeruit, vide Cyprianum *Epiſt.* 38. 39. 40. 55. 68. Dum verò ita inteſtinis motibus concutitur Eccleſia, recrudeſcit perſecutio anno 2. Galli Imp. qui Romæ, conventibus Chriſtianorum ſublatis, quòd Cornelii conſtantiam nullo terrore expugnare poſſet, Centumcellas eum relegavit, ubi exul hic plurimos Chriſtianos exules cùm deprehendiſſet, (*d*) illos in fide ac conſtantia quotidiano alloquio exemploque ſuo confirmatiores reddidit, veri Paſtoris munere etiam in exilio functus. (*e*) Retractus ergo Romam, & novarum rerum contra Cæſarem religionemque Deorum accuſatus, quia idolis ſacrificare nolebat, martyrium ſubiit, d. 14. Sept. ann. C. 252. Epiſcopatûs

tûs ſui anno 1. & m. aliquot. Vide Hieronymum *de Auctor. Eccleſ. c.66.* Epiphanium *Hær. 59.* Euſebium porrò, *Hiſt. Eccleſ. l.7. c.2. & in Chron. n. 2269.* Anaſtaſium & Platinam *in eo*, Alios. (*f*) Sedente Romæ Cornelio, quid in cæteris Eccleſiis actum, jam attigimus. Addo, poſt Fabium *Antiochenum*, de Synodi Rom. contra Novatianum ſententia à Cornelio monitum, accitu Helenii Tarſenſis, Dionyſium *Alexandr.* Firmilianum Cappad. Theoctiſtum Cæſareæ Palæſt. Demetrianum Antiochiæ, alioſque Epiſcopos Orientales, conveniſſe, idemque dogma atro lapillo notâſſe, anno quo dictum: quibus etiam Cyprianum & Afros adſtipulatos vidimus. At Vibius Gallus, novam perſecutionem orſus, an, ut alii volunt, à Decio motam, ſed aliquandiu interquieſcentem, continuavit. De Schiſmaticis Hæreticiſque ſat dictum.

XXII. LUCIUS (*g*) I.

Cæſi compono (h) *cineres, mox Paſtor* (i) *& exul* (k),
Exilii comites hortor (l) *ad aſtra mei.*
Inde redux (m), *clarus doctrinâ, & lumine vitæ* (n),
Mucroni objicior, Valeriane (o), *tuo* (p).

Enarratio.

(*g*) Romanus gente, exilii Centumcellani Cornelio comes, martyrio cum defunctum, in catacumba Calliſti (*h*) honeſtè ſepeliit, ac ejus in locum

(*i*)Eccleſiæ præpoſitus eſt, d. 19. Octobr. ann. C. 252. mox (*k*) denuo exul ac à grege ſuo longè remotus, munere ſuo, quod domi obire non poterat, (*l*) in exilio, erga ſocios adiſſtionis, egregiè functus eſt; ac viciſſim, literas conſolationis plenas à Cypriano accepit: qui & brevi pòſt (*m*) Eccleſiæ ſuæ reddito iteratis eſt gratulatus, ut videre eſt apud ipſum *Epiſt. 59.* factum id ann. Chr. 253. quo ipſo, præter alia mala, peſtis atrox Imperio incubuit. Quum enim Gallus negligenter Imperium adminiſtraret, graſſareturque etiam in Chriſtianos, vota pro ipſo facientes quotidie, divinam irritavit manum. Irruperant paſſim in provincias Scythæ, Gothi, Perſæ: nec minùs bello lues, ex Æthiopibus orta, quidquid erat humani generis reliquum, depaſcebatur, totos 10. vel ſecundùm alios 15. annos ſæviens, & Romæ præcipuè dicto anno graſſata, ut & Alexandriæ, unde Cypriano *de Mortalitate* librum edendi data occaſio. Mox occiſo cum filio Voluſiano, collegâ Gallo, qui Decii impietati, imperio & exitio ſucceſſerat; Æmilianoque itidem, qui eum excepit, interfecto: Valerianus Imperator creatus eſt, anno eod. ſub cujus initia Lucius, (*n*) poſtquam ſanâ doctrinâ & morum ſanctitate cœtui ſuo egregiè præluxiſſet, (*o*) morte ſuâ Servatorem glorificavit, capite truncatus, d. 5. Mart. ann. Chr. 254 Valeriani & Gallieni primo, Epiſcopatus ſui ann. 1. m. 4. d. 12. Ordinaviſſe IV. Presbyteros, IV. Diaconos, & V. Epiſcopos, ſimulque inſtituiſſe dicitur, *ut Epiſcopo ſemper duo Presbyteri, ac tres Diaconi adeſſent, comites individui ac vitæ ejus teſtes*, Novatiani forſan in Cornelium calumniis motus: plura vide apud Euſebium *Hiſtor.* & *Chron.* Platinam, cœterosque

qui

qui *Pontificum Vitas* condidere. (p) Ejus tempore, in Eccleſia *Antiochena*, Fabio Epiſcopo ſucceſſit Demetrianus, ann. Ch. 253. *Alexandrinam* Dionyſius adhuc rexit, ut & *Hieroſolymitanam* Merabenes. Neocæſareæ Gregorius Thaumaturgus, ut peſtem Deus averteret, precibus effecit, unde tota ferme civitas ad fidem converſa eſt, quo factum, ut, cùm in eam primò delatus non niſi XVII. Chriſtianos ibi inveniſſet, defunctus poſtea, vix totidem idololatras reliquerit. In Africa, Cyprianus floruit, qui, dum peſtis cauſas ſcrutatur, inter alia viſionis meminit & vocis cœlitus auditæ, *Pati timetis: exire non vultis, quid faciam vobis? lib. de Mortal.* Idem ad Demetrianum à modò dicto longè diverſum Africæ Proconſ. & mediis in his malis Chriſtianorum, tanquam eorum auctores eſſent, acerrimum perſecutorem, inſigni *Epiſtolâ* ſcriptâ, innocentiam tutatus eſt. Hæreſis tunc nova Scriptoribus nulla memoratur.

XXIII. STEPHANUS (q) I.

Juſſus eum excipio (r), *nimiùm verò acer in*
Afros (ſ),
Inque Aſiæ (t) *fratres non ſatis æquus*
eram.
Aſt ſocias cædes (u) *oculis interritus hauſi,*
Nec timui (x) *pro te, maxime* CHRISTE, *mori* (y).

ENAR-

Enarratio.

(q) Ex eadem gente, cùm præcipuus eſſet Diaconorum Lucii, hujus martyrio vicini voto ſucceſſor deſignatus, ut ajunt, (r) ei ſurrogatus eſt, d. 9. April. ann. C. 254. præfato. Et primò quidem tranquillitas fuit, poſt Imperatoris Romam adventum, qui Chriſtianos, quantâ nemo ante eum Cæſarum, benignitate complectebatur, domumque illis refertam habebat. Verùm hac durante in ſeipſos Chriſti cultores verſi, & inter Africanam Romanamque Eccleſiam ingens lis de quæſtione, *an ab Hæreticis baptizati rebaptizandi eſſent*, orta eſt, ann. C. 255. in qua Stephanus acriùs, quàm decebat, in diſſentientes invectus, non modò *Pſeudo-Chriſtum, Pſeudapoſtolum, & doloſum operarium* Cyprianum appellavit, ſed & (ſ) Africanas primò, mox etiam (t) Orientales Eccleſias reliquas iis adhærentes, à communione ſua amputavit; ab his, *quòd lenitatem & humilitatem Apoſtolicam non ſervaverit*, acerbè perſtrictus, ut videre eſt in Orientalium *ad Cyprianum Epiſtola*, quæ Pamelianæ editionis 75. eſt. Idem dein Baſilidem Aſturicenſem & Martialem Emeritanum, Hiſpanum utrumque, quòd Libellatici eſſent, munere privatos in fidem recepit, &, *jus appellationis Eccleſiæ ſuæ aſſerendo*, Hiſpanos offendit, multùm reclamante eodem Cypriano *Epiſt.* 18. & *libr. de Vnitate Eccleſ.* cujus etiam arbitrio re ab Hiſpanicis Eccleſiis commiſſâ, lis in favorem harum deciſa, & Sabini, quamvis contrà nitente Stephano, electio confirmata eſt, ann. C. 256. Quo verò ipſo *Perſecutio VIII. Oecum.* cruentiſſima in Chriſtianos ſævire cœpit, Valeriano, quem princeps quidam Magorum Ægyptius, & ærarii præfectus Macrianus

in

in transverſum egerant, variis illos exagitante ſuppliciis, ad Decianæ planè impietatis normam: ſed hunc ſuorum ſanguinem mox quoque Deo ultore excipient, te, nam ſimul bellum & lues, quæ aliquantulum remiſerant, orbi rurſum incubuere, eod. Inter primos, Stephanus ad ſupplicium raptus eſt: qui, procellam ingruere ſentiens, Eccleſiam primò ſuam Clerumque ad conſtantiam hortatus, in unam catacumbarum, ubi ad ſacra conveniri ſolebat, ſe contulit, ibique ultra centum recèns converſos baptizavit, ac ſacra illis myſteria diſpenſavit; dein, curâ Eccleſiæ Clero commendatâ, inde extractus & primum Nemeſium Tribun. ac Olympium Judicem, cum XII. Clericis Eccl. Romanæ, excruciatos (*u*) videre coactus, ipſe dein, (*x*) cùm fruſtra his terroribus conſtantiam ejus quati ſentiret hoſtis, capite plexus, vel ut alii, de ſtipite infami ſuſpenſus eſt, d. 2. Aug. ann. Ch. 257. Epiſcopatûs ſui ann. 3. m. 4. d. 24. Valeriani & Gallieni ann. 4. Vicibus binis ordinâſſe dicitur VI. Epiſcopos, totidem Presbyteros & V. Diaconos: plura de illo vide apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 2. 3. 4.* & *Chron.* Cyprianum *Epiſt. 55. 68. 73.* & *ſeqq.* Auguſtinum, Optatum, Nicephorum, & *Vitarum* Scriptores ſuprà jam ſæpius memoratos. (*y*) Ejus ætate, Eccleſias Orientis, *Antiochenam, Alexandrinam* & *Hieroſolymitanam* iidem adhuc Præſules rexere. Cæſareæ Cappad. Firmilianus maximè nitebatur contra Stephani ſententiam, atque plurimos Ciliciæ, Galatiæ, vicinarumque provinciarum Epiſcopos aſſentientes habebat, qui omnes à Stephani communione amputati, ut dictum: vel, mitiùs cum Euſebio *Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 4.* iis à Stephano indicatum, *nolle ſibi cum iis quidquam commune eſſe, quòd à veteri conſuetu-*

dine:

dine receſſiſſent. Ipſi Stephanum pacem rupiſſe, *modò cum Orientalibus – modò cum iis qui in Meridie – quorum legatos Epiſcopos – nec ad ſermonem quidem colloquii communis admiſerit. Adhuc inſuper præceperit, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur,* ſcribunt *Epiſt. ad Cyprianum ſuprà cit.* In Gallia, Fauſtinus cœterìque Præſules, miſſis ad Stephanum ac Cyprianum literis, de Martiano Novatianorum partes amplexo, poſt acceptum ab iis reſponſum, Synodo convocatâ, eum depoſuerunt, alio in vicem ejus ſurrogato, ann. C. 256. At Origenes, doctor omnium ſui ſeculi clariſſimus, in Deciana perſequutione graviſſima paſſus, Tyri obiit annorum duodeſeptuaginta, ann. C. 254. plurimis poſt ſe ſcriptis relictis, in quibus *acerbas poſteritati & ſpinoſas quæſtiones, peſtilentiumque opinionum ova diſcipulis excludenda transmiſit. Nam nec de Filii Dei æqualitate cum Patre, nec de regno ejus, ſanorum verborum formam ſervavit,* Joh. Cluverus *in Vib. Gallo, & Voluſ.* aliis benigniùs de eo judicantibus. *Ejus certè nulla extant, aut ſaltem nulla proſtant publicè monumenta, eâ linguâ, quâ uſus eſt, edita,* Andr. Rivetus *Critico Sacr. lib. 2. cap. 12.* quem vide etiam *cap. ſeq.* ubi de Origenis ſcriptis fusè & accuratè. Hoſtes Eccleſiæ quod attinet, perſecutionem acerrimam excitâſſe Valerianum jam diximus, cujus initium fecit Edicto atroci per totum Imperium publicato, quo Epiſcopos cœteroſque Sacrorum Miniſtros citra moram ad ſupplicium rapi; Senatores, Equites, atque alios in dignitate conſtitutos, muneribus ſuis ac gradibus privari, bona publicari, ac, ſi pergerent Chriſtum profiteri, morte tandem

dem affici, uxoribus verò eorum aquâ & igni interdici juſſit, ann. C. 256. præf. De inteſtinis diſſidiis ſat etiam dictum. Addo ſaltem, fuiſſe circa hæc tempora, qui in S. Euchariſtia *aquâ utebantur, ne vini odore proderentur*, quos refutat Cyprianus *Epiſt. 63.* etiam, qui *infantes ante 8. diem baptizandos non eſſe*, contendebant, quorum opinionem Synodo LXVI. Epiſc. rejectam, idem docet *Epiſt. 81.* Vide Joh. le Sueur *ad ann. C. 254.*

XXIV. SIXTUS (z) II.

Cum grege me catacumba (a) *tenet, ſacraq́ latebra,*
Heic ubi paſcentem (b) *mox vocat hora necis.*
Proſilio (c), *teq́ AGNE ſequor, tu proximus* (d) *eſto*
Laurenti (e), *præeo non tibi jure ſenex* (f)?

ENARRATIO.

(z) Athenis oriundus, poſt Stephanum Eccleſiæ Rom. clavo admotus eſt, ann. eod. C. 257. Valeriani & Gallieni 4. & (*a*) in cœmeterio Calliſti, ubi & Stephanus tumulatus, more ſeculi illius, cui neceſſitatem fecerat hoſtium furor, (*b*) cœtum ſuum docuit & ſacra peregit. Cùm enim edicto præfato non vetitum ſolùm Chriſtianæ religionis exercitium, ſed & præmia, qui Chriſtianos detuliſſent, eſſent propoſita, tanta eorum ubique ſtrages facta eſt, *ut per omnem Romani Regni latitudinem fundere-*

funderetur Sanctorum ſanguis, teſte P. Oroſio *l.7. c.15.* Antiochiæ præſertim, ubi tum Valerianus, difficili cum Perſis bello implicitus, frequenter verſabatur: in Ægypto, à cujus Præſide Æmiliano Dionyſius Alexandriæ Epiſcop. vehementiſſimè, ut Chriſti fidem ejuraret, exagitabatur, in ſolitudines Libyæ tandem cum Maximo Presb. & nonnullis Diaconis, relegatus: in Africa, ubi ſimili rigore contra Cyprianum Aſpaſius Paternus Procoſ. uſus eſt: & Romæ, ubi (*c*) Sixtus, poſtquam Laurentium Diac. verbis, (*d*) *tu quoque poſt triduum ſequêris me*, ſolatus eſſet, capite plexus, al. cruci affixus eſt, d. 6. Aug. ann. C. 258. Valer. & Gall. 5. cùm vix annum præfuiſſet. Ordinavit VII. Diaconos, & II. Epiſcopos, quorum alterum, Sixtum itidem dictum, Remenſem in Gallia Eccleſiam Cathedr. fundâſſe, auctor eſt Hincmarus Rem. Unà cum Sixto Feliciſſimus & Agapetus Diaconi, ac IV. Subdiaconi: triduo verò poſt (*e*) Laurentius martyrii coronam accepit, crate ad ignem toſtus. (*f*) Imperii interea ſtatus indies miſerior, tantis undique cladibus ſævientibus, ut iratum DEUM profaniſſimæ etiam gentes intelligerent. Scythæ denuo in Bithyniam irruptione factâ in ſe Valerianum avertêrunt, qui cùm Antiochiâ egreſſus contra eos iret, peſte præpeditus, mox à Sapore in Orientem redire coactus, Cyriadis quoque defectione debilitatus eſt, ann. Ch. præſ. Sequuta fatalis ei clades, quâ proditus Sapori à Macriano, qui eum in Chriſtianos armaverat, ignobili ſervitute conſenuit, victori, quoties equum conſcenſurus erat, ſcabelli vice inſervire adactus, an. Ch. 259. quo ipſo plurimi iterum Martyres, Fructuoſus Epiſc. Tarracon. Florentius Viennenſis variique alii Galliæ & Numidiæ Præſu-

les

les, pro Chriſto mortem oppetierunt. Romæ quoque perſecutione eouſque graſſante, ut Eccleſia Præſide carere cogeretur, uſque ad d.22. Julii, ut videbimus. Plura de Sixto, vide apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.7.c.7.* & *8.* Ambroſium *de Off. c.* 41. Pap. Maſſonium, Duchenium, Baleum, Alios.

XXV. DIONYSIUS (*g*).

Hoſtilis deſævit (h) *hyems, vocor* (i), *inſtruo cœtum* (k),
Dum Triginta (l) *inſtant, pax* (m) *ſatis apta piis.*
At turbas Claudi (n), *Deciiq; è ſanguine natum* (o),
Atque alios (p) *mecum* (q), *ſanguinolente, necas* (r).

Enarratio.

(*g*) GRæcus gente, (*h*) remittente ſenſim per obitum Valeriani perſecutionis æſtu, ſedi, quæ annum ferme à Sixti martyrio vacaverat, (*i*) impoſitus, d. 22. Julii ann. C. 259. Gallieni, quo ſolus imperare cœpit 1, (*k*) magnâ curâ, in fidei myſteriis & mundi mortiſque contemtu, erudiendo cœtui incubuit. Gallienus enim, cœtera Imperii negligens, in Chriſtianos tamen mitiſſimus, mox ut ſolus imperium ſe tenere vidit, latè per omnes provincias publico Edicto pacem iis promulgavit, & cœmeteria agendis conventibus reddi præcepit, ann. C.260.

C. 260. Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 7. c. 13.* cujus rei cauſâ diuturnius ei Imperium dari à Deo, quàm prædeceſſoribus, palàm teſtabatur Dionyſius Alexandr. edicti hujus beneficio cùm aliis Epiſcopis, ad gregem ſuum reverſus. Certè, Gallienus, XXX. tum Tyrannis per Imperii provincias paſſim obortis, benignitatis hujus mox præmium tulit, Macriano, quem Valeriano perſequendi fideles auctorem fuiſſe diximus, ab Aureoli Duce Domitiano; Æmiliano verò, qui poſt plurimos Chriſtianorum per Ægyptum excarnificatos, operâ Transthebaitanorum militum, Imperium arripuerat, à Theodoto interfectis, an. C. 261. Interim paſſim ira Dei fervebat, &, præter alias clades, Gothi Macedoniam vaſtabant, ac ſervile latronum bellum premebat Siciliam, peſtis ſæviebat tantà, ut Romæ, ac in Achaicis urbibus, uno die aliquot hominum millia pari morbo interirent, Gallieno interim luxuriæ litante, ann. C. 262. Quare Germani porrò, duce Chroco, ſedibus ſuis egreſſi in Hiſpaniam uſque penetrârunt ac Tarraconem expugnârunt, dum Aſiam Scythæ depopulantur: (*m*) mediis in turbis quieſcente Eccleſiâ, quâ proin pace ſubnixi Sancti, faciliùs omnia orbis mala perferebant, & plurimi contagioſâ lue conflictantes, quos ſui deſerebant, Chriſtianorum refovebantur operâ: qua in re Dionyſii Alexandrin. charitas ac conſtantia fuit eximia. Lapſi quoque ſuperioribus certaminibus, cùm ſupplices veniam peterent, redibant ad Eccleſiam, Novatianorum rigore exploſo. Cùm verò de Hæreticis rebaptizandis nondum deferbuiſſet contentio, Dionyſius rectè, *ſemel in Eccleſia baptizatis ſufficere baptiſmum, quem ſuſceperant: ſed baptizatos ab hæreticis, quibus integra Trinitatis fides deeſſet,* (quales

tum

tum plerique Hæretici fuere) *vero baptiſmo non privandos*, cenſebat: quod etiam Concilio I. Arelat. ſancitum. At moribus hoc pacis ſudo in pejus labentibus, novi Canones gradusque Pœnitentiæ, auctore Gregorio Thaumaturgo, conditi, atque accuratiùs diſtincti ſunt, in *Πρόσκλαυσιν, Ἀκρόασιν, Ὑπόπτωσιν* & *Σύστασιν*, ſi liber, ubi de iis agit, ejus omnino eſt, de quo ſunt qui dubitent. Unde & publica tum ſacris uſibus, permiſſu Gallieni, ædificia Chriſtianos exſtruere cœpiſſe, colligas, Joh. le Sueur *ad ann. Ch. 263.* quem quoque de vett. Pœnitentia ad annum 213. ſi libeat, vide. Manſere mala, ſimulque quies Eccleſiæ, dum vixit Gallienus, eoque etiam interfecto, ſub Claudio II. aliquandiu, quem, licèt Chriſtianos odiſſet quàm maximè, bella tamen, quæ Imperii, quod adiit, anno Chr. 268. initia difficilia reddebant, utcunque ab iis exagitandis, retinuere. At, Aureolo profligato, victaque immani barbarorum, Scytharum, Gothorum, Auſtrogothorum, Celtarum, Herulorum, Trutungorum, Wirtingorum, Sigipedarum, aliorumq; turba, (*n*) in Chriſtianos demum converſus, Edicto Chriſtum profiteri vetuit, (*o*) Cyrillam nobilem virginem, quòd idolis ſacrificare nollet, jugulari ac inſepultam abjici, idemq; (*p*) in 46. milites Prætorianos, quòd ad Gentiliſmum redire nollent, ſtatui juſſit: quos tamen omnes Juſtinus Presbyter tumulo mandavit. Sequutum (*q*) ipſius Epiſcopi martyrium, d. 26. Dec. ann. C. 269. ſedis ann 10. m. 5. d. 4. Claudii anno 2. Creavit XII. Presbyteros, VI. Diaconos, & VII. Epiſcopos, quos inter Zama, Bononienſis in Picardia Eccleſiæ fundator. Scripſit contra Sabellium, qui liber intercidit: plura de eo, V. apud Platinam, alioſque. (*r*) Illo Ro-

mæ

mæ res ſacras curante, in Eccl. *Antiochena*, Demetriano defunctо, ſucceſſit Paulus, Samoſàta Syriæ ad Euphratem urbe oriundus, homo arrogans, factioſus & teterrimæ hæreſeos auctor, ann. C. 264. Cùm enim Zenobia Palmyrenorum regina, quæ tum Antiochiæ degebat, Judaicis priùs imbuta ſacris, ut Athanaſius docet, Chriſtianæ religionis addiſcendæ flagraret deſiderio, Paulus, ab ea conſultus, doctrinâ de Meſſiâ, ad Judæorum opiniones translatâ, *veramq; Chriſti divinitatem* negante, eam imbuit, pejor Sabellio infrà memorando, cujus veneno dudum jam fuerat contaminatus. Synodo itaque Antiochiæ coactâ, etſi velut anguis in varios gyros ſe torqueret, deprehenſus, convictus & ad palinodiam adactus, quamvis occultè zizania ſua ſerere non ceſſaret, in ſede tum, favore inprimis Zenobiæ, relictus eſt, ann. C. 265. *Alexandriæ*, Dionyſius, cùm Synodo modò dictæ ob ætatem jam grandem intereſſe non poſſet, excellenti ad Patres *Epiſtolâ* ſcriptâ, fortiſſimis argumentis Pauli hæreſin retudit, mox defunctus, ſucceſſore Maximo, ſ. Maximiano, ad quem Dionyſii Epiſc. Rom. literas ſuprà tetigimus, anno eod. *Hieroſolymis* Merabenem, al. Mazabanem, ad meliores translatum, excepit Hymenæus, ann. Ch 264. qui juxta Firmilianum Cæſareæ Cappad. Gregorium Thaumat. Neocæſareæ, Athenodorum Ponti, Helenium Tarſi, Nicomam Iconii, Theotecnum Cæſareæ Palæſt. & Maximum Boſtræ in Phœnicia Epiſcopos, eidem contra Paulum Synodo interfuit, anno d. In Africa Cyprianus adhuc præfuit, ſed mox ſub Dionyſii initia, ſæviente adhuc perſecutionis procellâ, à Galerio Paterni ſucceſſore ex latebris retractus, cumque juſſus palinodiam canere & de-

liberare

liberare quid faceret, *in re tam ſanctâ non opus eſt deliberatione*, reſpondiſſet, ad ſupplicium ductus, comitante, ac clamante populo, *moriamur ſimul cum ſancto Epiſcopo*, & capite plexus eſt, poſtquam paulò antè *pacem venturam* ab Angelo monitus eſſet, d. 14. Sept. ann. C. 259. de cujus ſcriptis, in quibus pauci iique leviores quidam nævi, ut & de dubiis ac ſuppoſititiis ei attributis, vide Rivetum *Critico ſacro lib. 2. c. 14.* & *15.* & Joh. le Sueur *ad ann. d.* ubi & de Zenonis martyris ſcriptis. De pace, ſub Gallieno, ac in Oriente ſub Zenobia: recrudeſcente item perſecutione ſub Claudio Dalmata, nil addi opus. Hæreticorum verò tum rabies ingens: Sabellius enim Afer, Pentapoli Cyrenaicâ ortus, hæreſis hinc *Pentapolitanæ* dictæ auctor extitit, ac Praxeam, à quo Patripaſſiani, & Noëtum magiſtrum ſecutus, *unam eſſe divinæ Eſſentiæ perſonam, tribus ſolùm nominibus diſtinctam*, deliravit, refutatus confeſtim à Dionyſio Alexandr. qui in ſuo ſcripto cùm duriùs alicubi loqui, & in alterum extremum, *de tribus Eſſentiis*, impingere videretur, defenſus eſt à Dionyſio Rom. quem & ipſum contra eandem hæreſin ſcripſiſſe diximus, vide le Sueur *ad ann. C. 261.* Poſt Sabellium, Nepos Epiſc. Ægyptius, dogma *Chiliaſticum*, cujus primus, poſt Sibyllinorum carminum auctorem, Papias perhibetur inventor, reſuſcitavit, ann. C. 262. ab eodem Alexandriæ Epiſcopo, prudenter ac moderatè, retuſus, Euſeb. *Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 19. 20.* His peſtilentior hæreſis Pauli Samoſateni præfati, qui *omnem penitùs Divinitatem Ieſu Chriſto detraxit, nudum eum faciens hominem, ſingulari quidem juſtitiâ præditum*, prorupit, ann. Ch. 265. uti vidimus: in primis initiis non Dionyſio ſolùm eidem, ſed & Gregorio Thaumaturgo confutata, Euſebius *ib. capp. 26. & 27.*

F Vide

Vide quoque ſæpius laudatum Joh. le Sueur *in Hiſtoria Dionyſii*, ubi, præter alia, *de Baptiſmo vett. Chriſtianorum*, iisque, quæ progreſſu temporis, præter Chriſti inſtitutionem, ei acceſſerunt, prolixè & accuratè agit, *ad ann. C. 266. 267. 268. & 269.*

XXVI. FELIX (ſ) I.

Sufficior (t) *functo, nec me veſtigia* (u) *terrent,*
Finibus Hæreticos (x) *arceo, firmo Fidem* (y).
Undique diffundo ſuavem pietatis (z) *odorem,*
Martyrii (a) *quam mox ſigno cruore* (*mei* (b).

Enarratio.

(*ſ*) Gente Romanus, Conſtantii filius, (*t*) ultimo anni Ch. 269. die, ſurrogatus Dionyſio martyri, divinæ vocationi, illo licèt (*u*) tempore, quo Præſulibus inprimis inſidiari Fidei hoſtes videbat, intrepidè paruit, Claudii II. Imp. anno 2. Ingraveſcebat enim perſecutio, plurimique in vincula conjecti & variè diſcruciati, cùm ad Ethnicam idolomaniam redire nollent, occiſi ſunt. Uno die 262. Chriſtiani, in Amphitheatro, militum rabie interiere: memoranturque inter Martyrum ſub Claudio illuſtriores, Marius & Martha Perſæ, Quirinus item, Julianus & Cæſarius; ſed brevi pòſt Imperator Sirmii periit, ann. Chr. 270. quo ipſo, Antiochiæ alterâ Synodo contra Paulum

lum Samoſ. qui hæreſin ſuam diſſeminare non ceſſabat, congregatâ, ejus fraudes à Malchione præſertim, Scholæ Antiochenæ rectore, deprehenſæ, atque hinc ille denuo damnatus, communione excluſus, ac ſede Epiſc. deturbatus, ſuffecto in ejus locum Domno Demetriani Epiſc. filio: & quia Eccleſiâ cedere nolebat, decreto Aureliani Imp. qui Claudium exceperat, pulſus eſt, anno ſequ. Et quidem Synodi Patres, literis *ad Dionyſium*, (quem adhuc in vivis eſſe rebantur) *Maximum, cæteroſque ſuos collegas, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos per totum Orbem ſparſos*, miſſis, rem uti geſta erat, mox ſignificârunt. Imperator verò Domnum admitti juſſit, ſi *Epiſcoporum Italiæ & (x) urbis Rom. literis* eſſet commendatus, uti legere eſt apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib 7. cap. 3.* Hactenus Aurelianus Chriſtianis æquior, at in progreſſu adverſùm eos incitatus, dum ſubſcribere cruento Edicto parat, enervatis ſubitò brachiorum commiſſuris repreſſus eſt, patefactumque cœleſti indicio, nihil facultatis eſſe Principibus mundi contra Chriſti Eccleſiam, niſi quantum Deus permittat, Idem *lib. eod. c 24.* varii nihilominus Sancti, Epiſcopi inprimis in Oriente, Mamas Cæſareæ Cappadociæ, Athenodorus Ponti, Heliodorus, Philomenes, aliiq;, eo imperante, pro Chriſto mortem oppetiere, Joh. le Sueur *ad ann. C. 272.* qui & variorum in Gallia martyrum, *ad annum Ch. 273.* Romæ item *ad annum Ch. 274.* meminit, quos inter Felix (y) poſt confirmatam contra Sabellium & Paul. Samoſatenum, ſcriptâ *ad Maximum Epiſtolâ*, veritatem, vitæque ſanctitatem (z) charitate in Martyres cumulatam, quorum *trecentos quadraginta duos propriis manibus ſepeliiſſe* fertur,

 (a) illuſtre

(*a*) illuſtre martyrium ſubiit, d. 29. Jun. ann. C. 274. ſedis ann. 4. m. 6. Aureliani 5. ſepultus in cœmeterio ſibi cognomine, ubi & domum ſacris conventibus habendis extruxiſſe dicitur. Binis vicibus ordinavit IX. Presbyteros, V. Diaconos, & V. Epiſcopos, plura apud Anaſtaſium, alioſque qui *Vitas Pontificum* edidere: Joh. inſuper le Sueur *in illo*, ubi inter alia, *de Epiſcopi Rom. prærogativa, Depoſitione ac Receptione Epiſcoporum Synodisque illorum temporum*, varia non protrita habet, *ad ann. C. 271.* (*b*) De cæteris Eccleſiis, præter dicta, non plura adjiciam: niſi quòd Firmilianus obiit ann. C. 270. Quis ſtatus ſub Claudio & Aureliano Eccleſiæ, vidimus itidem. Inter Hæreticos, Ἀνυπόστατοι dicti, qui Paulum Samoſ. ſectabantur, quòd *Filium Dei propriam habuiſſe hypoſtaſin, antequam è Virgine natus eſſet*, negarent: ipſe verò, ob hæreſin ac crimina atrocia, ambitionem intolerabilem, luxuriam nefandam, & cum idololatris contra Chriſtianos Præſules, à quibus reprehenſus fuerat, conſpirationem, damnatus eſt, ut dictum. Interim gentes, quas in præcedd. in Romanum ſolum irruiſſe indigitavimus, eâ occaſione fidem quoque Chriſtianam addidiciſſe, ſicque ex ipſis imperii Ethnici cladibus Chriſti regnum auctum eſſe, notat Joh. Cluverus.

XXVII. EUTY-

XXVII. EUTYCHIANUS (c).

Fiſſuram implevi (d) *promtus, piaq́ agmina* (e) *pavi,*
Quæ Probus immenſùm creſcere (f) *paſſus erat.*
Ortus at ex Orco Manes (g), *Carusq́* (h) *ſequutus*
Martyribus cumulum me (i) *dedit eſſe piis* (k).

ENARRATIO.

(c) Lunâ oriundus, Tuſciæ urbe, Felicem (*d*) excepit, electus d. 15. Jul. ann. C. 274. Aureliani 5. perſecutionis æſtù adhuc fervente, quâ Syneſius Lector Eccleſiæ Rom. capite truncatus, d. 12. Dec. & Agapetus 15. annorum juvenis, Præneſte oriundus, eodem ſupplicio affectus eſt, poſtquam ad fidem adduxiſſet Anaſtaſium, magnæ dignitatis virum, qui paulò pòſt eadem viâ cœlum petiit, ann. eod. Quies inde aliqua, uſque ad an. 276. quo, contra Perſas iturus, Imperator, Edicto adversùs Fideles jamjam promulgando fere ſubſcripſerat, cùm inter Heracleam & Byzantium, malitiâ Notarii ſui Mneſthei, & manu Mucaporis interceptus eſt, paulò antè de ira Dei monitus, fulmine ante ipſum menſæ tum accumbentem dejecto, P. Oroſius *l.* 7. *c.* 16. Succeſſit Claud. Tacitus, qui, abolitis contra Chriſtianos edictis, iis pacem dedit, anno eod. quæ ſub Probo quoque, ejus ſucceſſore, quantum per o-

dium Magiſtratuum idololatricorum licebat, duravit, ann. 277. & 278. ad quem tamen, Trophimum & Sabbatium, Antiochenos, quòd à cultu Apollinis Daphnæi cives ſuos avertere laborarent; ipſumque loci Epiſcopum Timæum, cui Cyrillus ſucceſſit; Dorymedonta porrò Senatorem ejuſdem urbis, martyrio coronatos: dum in Gallia, poſt obitum Poſthumii, à Germanis Chriſtiani gravia paterentur, notat Joh. le Sueur. Publicè ſaltem quies, quamdiu Probus vixit, quâ Eccleſiarum Paſtores, atque inter hos (e) Eutychianus, bene uſi, cum cura ſibi commiſſos, recens inprimis ad Chriſtianiſmum converſos, paſcebant. (f) Paſſim enim ſe Chriſti fides in immenſum hoc temporis ſereno diffudit, præfecturas etiam provincialium & honores militares conſequentibus Chriſtianis, ut Dorotheo, Gorgonio, & ſimilibus, narrante Euſebio, qui circa hæc vixit, *Hiſtor. Eccl. l. 8. cap. 1.* Nec ſufficiebant ampliùs priſcarum domorum ſpatia conventibus agendis, ſed laxiora ædificia è fundamentis ſtruebantur, ſuccreſcente interim cum rebus ſecundis ambitione & diſcordia, fictaque ſpecie ſanctitatis, quæ multorum faſtum & malitiam obtegebat. Nec verò hæc ſolùm labes illam tranquillitatis faciem maculavit, ſed primo ſtatim Probi anno, à N. C. 277. (g) Manichæorum ex Orco prodiit hæreſis, quæ per Africam, Arabiam & Ægyptum ſparſa, 200. ab hinc annos & ultra graſſata eſt. Primus ejus auctor Scythianus quidam Saracenus fuiſſe perhibetur, qui Pythagoræ & Empedoclis dogmata cum Chriſtiana fide permiſcuit. Ejus diſcipulus Buddas, doctrinam nefariam ſcriptis complexus, omnia poſt obitum reliquit Cubrico cuidam, qui *Manetem* ſe ſeu

Mani-

Manichæum vocans, Paracletus haberi voluit, & duodecim diſcipulos inſaniæ propagandæ emiſit. Multos autem errores, *de duobus principiis, de phantaſmate carnis humanæ in Chriſto, de corporis humani origine mala*, & his ſimiles in unum confertos, de Perſide in reliquum Orbem ſparſit: in ea ipſa tandem Perſia, ob deceptum vanis promiſſionibus, de filio ejus curando, Regem, excoriatus. Refutârunt illum, eodem hoc ſeculo Archelaus Meſopotamiæ Epiſcopus, Titus Boſtrenſis, Diodorus & Serapion: ſequentibus, Athanaſius, Georgius Laodic. Euſebius Cæſar. & Apollinaris: omnium autem optimè Auguſtinus, qui, cùm ipſe primùm huic impietati deditus fuiſſet, converſus poſtmodum, tantâ eruditione ac dexteritate immanem eam hæreſin profligavit, ut paucæ ejus reliquiæ in mundo remanſerint. Sequutus Probum (*h*) Carus, ann. Ch. 282. cum fil. Carino & Numeriano, quorum nominibus abuſi Gentiles Magiſtratus in Chriſtianos paſſim compreſſi aliquandiu furoris frena laxare cœperunt, Romæ præcipuè, ubi plurimi fideles, atque inter hos (*i*) eorum fidiſſimus Paſtor, martyrium ſubiit, d. 13. Dec. ann. C. 283. Epiſcopatus ſui ann. 9. m. 6. Cari Imper. 1. Creavit XIV. Presbyteros, V. Diaconos, & IX. Epiſcopos: Idem *fabas, poma, uvas in altari conſecrari priùs quàm ederentur*, ut Maneti, horum uſum rejicienti, contrarium figeret pedem; *corpora item Martyrum purpuræ involvi*, juſſiſſe ipſeq; eorum 340. id honoris exhibuiſſe, quod poſtea in Epiſcopis quoq; uſurpatum abolevit Gregorius M. dicitur: ſed in puriore antiquitate nihil iſtiuſmodi ſtatutum deprehendimus. Plura apud Euſebium *in Chron.* & *Hiſtor. Eccl. lib. 7. c. 26.*

F 4 Nice-

Nicephorum *Lib. 6. c. 34.* Gregorium M. *lib. 4. Epiſt.* 44. Alios. (*k*) Eo Rom. Eccleſiam adminiſtrante, *Antiochenæ*, poſt Domni obitum, præeſſe cœpit Timæus, ann. C. 275. cui martyrium paſſo, ſucceſſit Cyrillus, ann. C. 278. ut vidimus. *Alexandrinam* & *Hieroſolymitanam*, adhuc Maximus & Hymenæus regebant. De apertis opertisque Eccleſiæ hoſtibus dictum: quorum hi Manichæi præcipuè, ſub Eutychiano, emerſere, totumque Chriſtianum Orbem veneno ſuo tantùm non ubique infecere, ne quidem poſt Auctorem ſuum, à Sapore excruciatum, extincti. Inter Gentiles, circa hæc tempora floruit Longinus (Plotini defuncti ann. C. 270. diſcipulus) qui libro ſuo *de Sublimi genere dicendi*, Moſis cum honore meminit, & verba ejus, *Dixit ac factum eſt*, magnificè laudat, ipſe tantâ eruditionis gloriâ florens, ut *Bibliotheca viva* & *Muſæum ambulans*, communiter adpellaretur. Inter diſcipulos ejus Porphyrius fuit, de quo infrà *in Gajo*: plura verò hanc in rem Joh. le Sueur, qui inter alia, *de Ordinatione Miniſtrorum, ad annum Ch.* 279. & 280. *de diſcrimine Epiſcopi & Metropolitæ, Ibid. de titulis Archiepiſcopi, Primatis & Exarchi, ad annum* 281. *de Cleri denique & Populi, in negotiis Eccleſiæ, partibus, ad annum Ch.* 282. ex antiquitate ſolidè & prolixè diſſerit.

XXVIII. CA-

XXVIII. CAJUS, ſeu GAJUS (l).

Dalmata (m) *gente, fide* (n) *clarus, pietate* (o) *celébris.*
Zelo (p) *ardens, Domini plenus amore* (q) *mei.*
Ultima cùm rabies (r) *hoſtili inſtaret ab ira,* (*meo* (t).
Dogmata firmavi ſanguine (ſ) *ſacra*

ENARRATIO.

(*l*) Eütychiani in locum electus, d. 22. Dec. ann. præfati, (*m*) gente Dalmata, Diocletiani Imp. ex Maximo ſeu Maximino fratre nepos, uti quidem Damaſus tradit aliique citerioris ævi Scriptores, qui & de fratre Gaji Gabinio & filia ejus Suſanna ſupplicio, in perſecutione Diocletianea, de qua infrà, affectis, ac Serena Imperatrice varia addunt, altum de his omnibus illius temporis, ut & ſeqq. aliquot ſeculorum Hiſtoricis, ipſo quoque Euſebio ſilente, qui, de Cajo loquens, (*n*) celebrem eâ ætate Præſulem fuiſſe refert, de ſtirpe verò & cognatione illius nihil habet; *Hiſtor. Eccleſ lib.* 7. *c. ult.* Medio in perſequutionis æſtu Eccleſiam ſuam, magna cum (*o*) pietatis ac (*p*) zeli laude rexit: continuatus enim in Chriſtianos rigor, variis in provinciis, Ægypto præſertim, ubi Victorinus, Victor, Nicephorus, Claudianus, Dioſcorus Presbyter, Serapion & Papias: Romæ item, ubi Marinus & Chryſanthus Senatores, quorum hic Dariam Ve-

ſtalem ad fidem perduxerat, martyrio affecti leguntur, ann. Ch. 284. quo ipſo Carus cum fil. Numeriano periit, & Diocletianus Imperator proclamatus eſt, à quo *Æra Diocletianea*, ali *Copica*, quòd ab Ægyptiis eſſet adinventa, it. *Martyrum* dicta, an quòd hoc anno frequens Martyrum fuſus ſanguis eſt, ut vidimus: an quia ſub Imperatore hoc ingens eorum numerus extitit, nomen habet, incipiens à d. 29. Auguſt. anni prædicti, ut videre eſt in *Chron. Alexandrino*, & apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 3: Certè ſub uno illo plus pii cruoris, quàm ſub deceſſoribus ejus omnibus ſimul ſumptis, eff uſum eſt; & quidem prioribus Imperii annis quaſi tentatione præluſit conatibus truculentioribus poſtea ſequuturis; quò cum, præter inſitam animi ferociam ac fundendi ſanguinis cupidinem, ab una parte impellebant Sacerdotes Ethnici, Philoſophique ac Oratores, Maximiano Herculeo, quem Imperii collegam ſumpſerat, in omnibus auſterioribus illi obſequente: ab altera parte, per ſat diuturnam illam ab hoſtibus externis pacem, ſumma jam tum in moribus, in vita ac fide etiam non levis Chriſtianorum corruptio fuit, quæ maximè Clerum infecerat, uti pluribus videre eſt apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. *cap.* 1. & *ſeqq.* tanto igitur ulceri ac tam putrido ferrum atq; ignem admoveri voluit Deus: interfectique in Cilicia, crudelitate Lyſiæ Proconſ. Claudius, Aſterius & Neon fratres, Theonilla vidua, Coſmusque & Damianus Arabes, fratres ac Medici, ann. C. 285. Sebaſtianus, principis cohortis prætorianæ Centurio, fortitudine ac gratiâ apud Imperatorem priùs inclytus, ann. C. 286. cum plurimis aliis. Sequutum contra Manichæos

Edictum,

Edictum, quo quia ſimul cavebatur, *ne vetus religio detrimentum caperet*, Chriſtiani quoque haud obſcurè petebantur, ann. Ch. 287. ut Baronio viſum, quod tamen alii ad ann. C. 294. referre malunt. Alio edicto iidem periti, quo vendendi emendique, molendinis item ac fontibus publicis utendi jus negabatur iis, qui non priùs thuris granum in foculos, ad pedes ſimulachrorum, diſpoſitos conjeciſſent, ann. C. 289. inde in Tharacum, Probum & Andronicum, milites Chriſtianos, Tarſi ſævitum, ann. C. 290. ut & in tribunum militum Andream, qui bello contra Perſas magnam fortitudinis laudem reportaverat, Anyſiam item virginem Theſſalonicenſem, ann. C. 294. quibus Cajus acceſſit, qui, poſt (q) fidem Servatori præſtitam & difficillimo hoc tempore ingenti cum zelo gubernatam Eccleſiæ ſuæ afflictæ cymbam, (r) è crypta, ubi ſuos docebat, extractus, (ſ) martyrii coronam impetravit, d. 22. April. ann. C. 296. Epiſc. ſui 12. m. 4. Diocletiani 12. Quaternis vicibus creâſſe XXV. Presbyteros, VIII. Diaconos, & V. Epiſcopos: atq; inſuper, *ut nemo Epiſcopus fieret, niſi priùs Oſtiarius, dein Lector, porrò Exorciſta, & ſic conſequenter Acoluthus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter fuiſſet*, ordinâſſe dicitur. Plura apud Euſebium *Chron. & Hiſtor. Eccl. lib. 7. cap. 26.* Nicephorum *l. 6. c. 34.* Platinam, Genebrardum, Onuphrium, Balæum *in Cajo*, Baronium *Annal. ad ann. 281. 296.* Alios. (t) Illius ætate, *Antiochiæ* Cyrillus adhuc præfuit. *Alexandriæ*, mortuo circa initia Caji Maximo ſucceſſit Theonas, an. C. 283. ſub quo Achilles & Petrus Presbyteri Scholam rexere; quorum hic præcipuè diſertus, eruditus, in diſputando acer, Pamphilum Martyrem inter diſcipulos ſuos habuit. Quo pacto hucusq;, imò

& diu pòſt, ſingulari Dei beneficio, Eccleſia hæc ſanctitate & eruditione præſtantiſſimis Doctoribus Præſulibusque ſemper gaviſa eſt. Meminitque Anatolii Alexandrini, Oratoris, Mathematici & Philoſophi in eadem primùm ſchola inſignis, pòſt Laodiceæ in Epiſcopatu Euſebii Alexandrini ſucceſſoris, Euſebius ubi ſuprà *c.32. Hieroſolymitanam Eccl.* Hymenæus adhuc rexit. Eodem tempore floruit Dorotheus Antioch. Presbyter eruditus, & in linguis, Hebræa præſertim, probè verſatus, quem baphii Præfectum Tyri conſtituerat Carus. Meletius item Ponti Epiſc. ob gratiam oris *mellis Attici* elogio honoratus, Alii. Vide Joh. le Sueur *ad an. C.* 283. De ſtatu Eccleſiæ ſub Impp. Caro & filiis, Diocletiano it. & Maximiano, hactenus vidimus, Conſtantinus verò acerrimus mox Fidei vindex futurus, primùm inclaruit, prælio contra Baſtarnas, Carpos & Sarmatas, ann. C. 293. Hæretici interea non defuerunt, Manichæi præſertim, qui & *Atingani* Cedreno ac Zonaræ, & *Pauliciani*, eidem Cedreno & Nicephoro, à Paulo Samoſateno (alio à priori) Callinices mulieris Manicheæ filio, Manetis privigno noñullis, ſectæ inſtauratore. Præter quos Hierax ortus eſt, *Abſtinentium* auctor, quòd *à vino variisq; ciborum generibus, conjugio item ſuos abſtinere voluerit*, dictorum, ann. C. 288. Sed & Gentiles, ut ruentem idololatriam quoquo modo fulcirent, ſublatâ Deorum multitudine unius Dei cultum introduxere non pauci, ac contra Chriſtianos, hoc ſeculo, ad cujus finem jam prope acceſſimus, acerrimè ſcripſere: quos omnes ingenii ſubtilitate ſuperavit Porphyrius, Longini diſcipulus, qui è Chriſtiano hoſtis Chriſtianorum maledicis eos laceravit ſcriptis floruitque ab ann. C. 260. uſque ad ſequ. ſeculi initium: à Me-

à Methodio Tyri, Euſebio Cæſareæ, Epiſcopis aliiſque, refutatus, V. Hieronymum *Catal.* Euſebium *num.2345.* & *Præpar. l.4. c.4.* &c.

XXIX. MARCELLINUS (u).

Chriſtiadûm inviſum Diocles dum extinguere (x) nomen
Tentat, & innocuo cuncta (y) cruore replet:
Intrepidus (z) perſto, nec thura adolere (a) Deaſtris
Permoveor, potior Cæſare martyr (b) ovo (c).

ENARRATIO.

(*u*) PAtriâ Romanus, Cajo ſurrogatus eſt, d.3. MaI, ann.Ch.296. Diocletiani 12. ingraveſcente indies perſequutionis rigore: cujus acerbitatem integra legio Thebæa, quæ Hieroſolymis à Zambda Presbytero ad Chriſtianismum perducta, pòſt Romam ex Oriente accerſita, in fide à Marcellino confirmata, inde cum Maximiano in Galliam miſſa, quum ſacrificare detrectaret, ab hoc ſemel atque iterum decimata, tandem immiſſo exercitu penitùs, cum duce Mauritio, eſt conciſa, ſenſit ann. Ch.297. teſte Gregorio Turon. *de Gloria Martyr. c.76.* cujus tamen ſimplicitatem in variis perſtringit Baronius *ad annum Ch. 109. ſect.49.* ſanè qui Gregorio antiquiores, hiſtoriam hanc omittunt, ſe-

quuntur verò cum Ado Viennenſis, & Trevir. Uſuardus item aliique. Hoc certum, in milites inprimis, exauctoratis qui idolis immolare nollent, multis etiam occiſis, ſævitum eſſe, tum à Maximiano Herculeo, ann. d. tum à Diocletiano, anno Ch. 298. quo Marcelli inprimis in Mauritania ducis martyrium memorabile fuit. In Thermis dein, quas Romæ Diocletianus, Mediolani & Carthagine Maximianus, ſumptuoſiſſimas, miniſterio præcipuè militum Chriſtianorum ad id laboris damnatorum, extruxerunt, innumeri eorum extincti ſunt, unà cum Siſinnio & Cyriaco Diaconis, Smaragdo item & Largo, per quos vir quidam opulentus Thraſo laborantibus eleemoſynas diſtribui curaverat, ann. Ch. 299. & 300. in eoſdem continuata ſævitia, ann. C. 301. quo terra circa Tyrum Sidonemque horrendum in modum intremuit. In Theatro dein Nicomediæ Galerius, (quem Diocletianus, ſicut Conſtantium Chlorum Maximianus adoptaverat jam anno C. 291.) ſeditione contra Chriſtianos excitatâ, ſubito tonitruum fragore & grandinis fulminumque jactu abſterritus eſt: Glycerium tamen Presbyterum illius Eccleſiæ, vivum comburi, ac domum ejus, in quo ſacri conventus habebantur, ſuppoſito igne unà cum toto cœtu ibi congregato cremari juſſit, an. C. 302. Et ſic quidem præludebatur hactenus ad atrociores conatus: ſequuta tandem *Perſecutio X. Oecumenica*, Edictisque publicè propoſitis, vetiti eſſe, Chriſtiani, atque imperatum, ut ædes ſacris hactenus deſtinatas diruerent Præſides, quod factum ipſo Paſchatis die, 28. Martii, nonnullis in locis, in reliquis 18. April. illud quippe Chriſtianis diverſimodè adhuc celebrantibus,

Paſchatis controverſiâ nondum ſopitâ. Aliis mox Edictis, libri omnes ſacri, præprimis Bibliorum codices, dari flammis juſſi, Eccleſiarum præſides in vincula conjecti, honoribus fungentes Chriſtiani ad ſtatum privatum, privati in ſervitutem redacti, cumque id maxima pars pateretur lubens, ſancitum, ut omnes, qui CHRISTI profiterentur nomen, *aut idolorum cultum, aut ſupplicium*, eligerent. Poſt quæ, initio Nicomediæ (ubi Impp. quoties in Oriente degebant, eo tempore, ut plurimùm, Diocletianus præcipuè verſabatur) facto, 20. m. in ſacra congregatione combuſta, Anthimo Epiſc. capite plexo & viro illuſtri, qui præſentibus in urbe Diocletiano & Galerio concerpere ſanguinarium edictum auſus eſt, crudeliſſimè excarnificato: quem ſequuti de familia Principum, geſtis honoribus clari, Petrus, Dorotheus, Gorgonius, Alii. Nec infantibus parcitum; quorum duo, qui fandi adhuc non ſatis potentes ſeductoribus conſtantiſſimè renitebantur, in ferventem aquam conjecti ſunt, in rei memoriam Oratorio poſtmodum, quod *Martyrii infantum* nomen gerebat, in urbe exſtructo. Tranſiit in Syriam rabies, ubi Sacrorum miniſtri, ſeditionis onerati calumniâ, in carceres primùm conjecti, mox variis ſuppliciorum generibus enecti ſunt. In Palæſtina & Phœnicia, tantus numerus feris objectus, ut ipſæ beſtiæ parcerent Sanctis & in perſecutores converterentur. Tyri præcipuè, Sidone & Gazæ, quarum Epiſcopi Tyrannio, Zenobius & Sylvanus, gregibus ſuis conſtantiæ ac martyrii illuſtri exemplo præluxere: ut de iis, quæ contigere Antiochiæ, in Meſopotamia, Cappadocia, Ponto, Thracia, Phrygia, Arabia, Arme-

Armenia, Ægypto, totaque adeò Africa, Mauritania præcipuè, in inſ. item Lesbo, Samo, Sicilia inprimis, nil addam. Nec mitiùs cum Occidente actum, Romæque, ubi tum Maximianus erat, poſtquam ferventibus Circenſium ludis duodecies populus *ad necem Chriſtianos* popoſciſſet, reſpondiſſetque Imperator, (y) *nullos ampliùs extare*, edicto mox à Senatu publicato, quidquid Chriſtiani nominis ſupereſſet, tolli juſſum eſt. Tum, præter complures alios, Petrus Exorciſta & Artemius carceris, in quo is detentus fuerat, cuſtos, cum tota ſua familia; Presbyteri Marcellinus & Maximus, Diaconi Petrus & Siſinnius (è quibus Maximus & Siſinnius ad fidem converterant virum Conſularem Pinianum cum uxore Lucina, charitate poſtmodum erga confeſſores illuſtri) morte conſtantiſſimè obitâ, Servatorem ſuum glorificârunt. Ipſum verò Epiſc. Marcellinum, *pœnarum metu, thuris granum idolis adoleviſſe*, moxque Synodo CCC. Epiſcoporum Sinueſſæ habitâ, tres Presbyteros, ac duos Diaconos, qui cum illo idem fecerint, condemnatos, ipſo, ut in quem ſententiam ferre auſi non fuerint, intacto relicto, legitur *in Breviario Rom. ad 26. April.* Sed Acta hujus Synodi nemini non ſuſpecta eſſe notum, nec perſequutionis tam atrocis tamque univerſalis rigor tot Præſules unum in locum convenire fuiſſet paſſus, unde & ipſa de Marcellini lapſu hiſtoria diu demum pòſt excogitata meritò videtur. Certè nec de lapſu, nec de Synodo apud Scriptores ejus ævi, ut & 2. inſequentium ſeculorum, reperitur quidquam, primus Nicolaus I. judicari ſe à poteſtate ſeculari renuens, Marcellini exemplo, quem Synodus præfata non auſa fuerit judicio ſuo ſubjicere, ſe tuitus eſt, ſec. IX. unde paulò antè inventam eſſe hanc fabulam, ſuſpican-

ſpicantur eruditi. Quid Euſebius, quid Theodoretus, de Marcellini conſtantia poſteris tradiderint, in ſeqq. videbimus. Diffudit ſe hoſtium ſævitia inde in reliquas quoque Italiæ urbes, fuereque Bononiæ Agricola & Vitalis, Aquilejæ Felix & Fortunatus, Mediolani Victor, inter martyres inclyti. In Hungaria, Victorinus Epiſc. Petavionenſis; in Gallia, Firminus Ambianenſis & Quintinus Veromanduorum Epiſcopi, Vincentius item, Orontius & Victor, Ferreolus quoque legionis Tribunus, alii: in Hiſpania, Vincentius Diaconus, aliique, ſimili purpurâ terram tinxere: Oſius verò Epiſc. Cordubenſis gravia paſſus eſt. In ipſa toto orbe diviſa Britannia, omnes fuere Chriſtiani exciſi, quos inter celeberrimus Martyr Albanus memoratur. Uti verò (*y*) innumerabilis occiſorum multitudo, ſic non ullum crudelitatis genus fuit, quod piæ & devotæ Chriſto animæ illo tempore non pertulerint. Quidam crucibus ſuffixi, quidam cremati vivi, alii lentis ignibus aſſati, nonnulli inflexis arborum ramis diſcerpti: fame necati quidam, plures gladiis, plurimi à beſtiis laniati, cutis detracta aliquibus; alii flagris ferreis per ſingulas corporis partes cæſi ad mortem, quidam poſt tormenta reducti in carceres, ut lentitudine tormentorum deficerent. Mulieres uno pede ſuſpenſæ nudæ, aduſtæ quibuſdam mammæ; nulli ſexui, nulli ætati, nulli honori venia data. Quo factum, ut, ſicut plurimi conſtantiſſimè pro CHRISTO omnia pertulerunt, ita non pauci, etiam in Eccleſia procerum, deficerent; quorum catalogum omiſit Euſebius, quòd ipſe inter eos fuiſſet, annotante Epiphanio *Hær. 68. Sed quis Caucaſus, quæ India, quæ Hyrcania, tam immanes, tam ſanguinarias unquam beſtias aluit?* Lactantius, qui tum Nicomediæ Rhetoricam docebat,

docebat, *l.5.c.11.* Atque ita finiit annus Ch. 303. Sequentis non lætior facies, Philoſophis & Oratoribus frigidam ſuffundentibus, & Edicti *de abolendis ſacris codicibus* rigore in Africa inprimis ſæviente, ubi Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi omni tormentorum genere adigebantur ad tradendos illos, quod qui fecerunt, inde Παραδόται, *Traditores* appellati ſunt: Felice Epiſc. Afro martyrium potiùs quàm id faceret paſſo. Interea ex ipſis Gentilibus veritatis ſuæ vindices excitavit Deus, quos inter Arnobius Rhetor, alloquiis & conſtantiâ Martyrum de Fidei puritate convictus, Chriſto nomen dedit, ſeptemque libris Chriſtianorum innocentiam teſtatus eſt. Secutus eum diſcipulus Lactantius Firmianus, paulò antè laudatus, qui ſimiliter egregiis ſcriptis pro veritate editis inclaruit. Martyribus verò cumulus acceſſit Marcellinus Romæ Epiſc. qui, inter tot minas pœnasq; (z) intrepidus, & ad idola honoranda (*a*) inflexilis, tandem ſalutarem doctrinam, quam hactenus cum zelo docuerat, (*b*) ſanguine quoque ſignavit ſuo: *ἐν τῷ διωγμῷ διαπρέψας, in perſecutione perſeveranter & cum gloria verſatus*, ut ait Theodoretus *Hiſt. Eccl. l.1.c.3.* Vid. quoque Euſebium *l.7.c.32.* idq; die 21. Martii, ann. C. 304. Epiſc. ſui ann. 7. m. 10. d. 18. Diocletiani anno ult. cum tribus Diaconis, Claudio, Quirino & Antonio, capite truncatus. Corpus ejus inſepultum jacuit dies 36. donec Marcellus Presbyter noctu illud ſublatum tumulavit in cœmeterio Lucillæ. Ordinavit binis vicibus V. Epiſcopos & IV. Presbyteros: manſitque ſedes per aliquod tempus vacans, ut infrà dicemus: plura apud Platinam, Balæum, Jo. le Sueur *in Marcellino*, Alios. (*c*) Dum verò illa Eccleſiam ſuam rexit, *Alexandriæ*, Theonam Petrus excepit, an. C. 302. qui, cum Didio, Ammonio

&

& Fauſto Presbyteris martyrium novennio pòſt ſubiit, vincula exiliumque paſſus ſub Diocletiano, an. C. 303. quo ipſo Philoromus procurator in ea urbe Cæſaris, Phileas item Thmuitarum Epiſcopus, aliiq; paſſim in Ægypto illuſtres ſupplicio affecti ſunt. Ut in *Antiochena* Cyrillum ſequutus fuerat Tyrannus, a. C. 297. *Hieroſolymis*, poſt Hymenæum, præeſſe cœpit Zambdas, an. C. 298. quem legionem Thebæam ad fidem perduxiſſe ferunt, ut vidimus: ei mortuo Hermon ſucceſſit. Perſecutio quanta fuerit, diximus utcunque: adeò certè in Chriſtianos toto orbe ſub Impp. prædictis ſævitum, ut nomen quoque eorum extinctum crederetur. Unde paſſim in provinciis columnæ erectæ, nummi quoque à Diocletiano cuſi, cum Inſcr. CHRISTIANORUM NOMINE DELETO, an. C. 304. Sed hoc ipſo invaſus is fœdo morbo ac mente motus, ut ad ſe rediit, inteſtinas clades dixit & fragorem impendere ſtatus Romani, novoq; prorſus & inaudito exemplo, curam abjecit Reipublicæ, adhuc valentior: auctorque Herculio fuit, ut pariter in privatam vitam concederet. Quo facto Conſtantius & Galerius Auguſti creati, quorum hic in Chriſtianos ſævire perrexit, ille collegæ deteſtatus ſævitiam, per provincias ſibi ſubjectas pacem iis conceſſit, unde in Gallia præſertim Eccleſiæ tum admodum florentes, uti docet Jo. le Sucur *ad an. C. 300.* Cauſæ conſilii Diocletiano variæ fuiſſe leguntur, præcipua, quòd in irritum videret contra Eccleſiam cadere ſua molimina, omnibus licèt Imperii viribus oppugnatam. Verſæ igitur in capita perſequutorum vices, & qui Chriſtum Imperio excuſſum ivere, ipſi ſuo exciderunt. Vid. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 8. c. 13. 26.* Hæretici interea novi non oborti: quin & Manichæi Imperatorio edicto coërciti ſunt. Vide ſuprà.

XXX. MAR-

XXX. MARCELLUS (d) I.

Hujus ego cineres (e) *condo, ſuffectus* (f) *eidem;*
Fervere in Libya: ſchiſmata bina (g) *queror:*
Triſtia dum pergens Maxentius (h) *auſa priorum;*
Me premit intrepidum ſordibus (i), *atq; necat* (k).

ENARRATIO.

(*d*) EX eadem gente, (*e*) Marcellini cadaver, quod ſepeliri vetuerat Tyrannus, quum ultra menſem ſub dio jacuiſſet, terræ mandavit, atque (*f*) in illius locum, poſtquam ſedes aliquandiu vacâſſet, ſucceſſit, ann. C. 305. Conſtantii I. Chlori & C. Galerii Maximiani 2. quorum hic, moribus odioque in Chriſtianos draco, acriorem in eos, quàm prędeceſſorum quiſquam, perſecutionem movit, quâ inter alios Victor Maurus Mediolani ſublatus eſt, à Materno urbis Epiſc. terræ mandatus, anno eod. Iſte verò Chriſtianis æquior & animo à plèriſque Gentilium Diis averſo, præter alia hoc integritatis ſpecimen edidit. Simulatâ conſpiratione cum collega, Chriſtianos aula pellit, ut ſinceros quos cognoviſſet revocet. Nam remanentes apud ſe, tanquam Deo ſuo infidos, ac multò minùs ſibi fidem ſervaturos abjecit, contrà Dei amorem præponentes Principi, magno in honore habuit. Hinc in Hiſpania, Gallia & Britannia quies: in Africa item, ubi proin Cirthæ Numi-

Numidiæ urbe Synodus coacta, contra Traditores, verùm quia plerique ejus Patres non hujus ſolùm, ſed & aliorum criminum, rei erant deprehenſi, nihil actum, inſuperque Cirthenſi Eccleſiæ Paulus præpoſitus eſt, qui cum Presbyteris Diaconiſque ſuis codices & vaſa ſacra ſimiliter in manus Pontificis idololatræ tradiderat, Auguſtinus *c. Creſcentium c. 26.* & Optatus *c. Parmen. l. 1.* initium ſumpſit Synodus d. 7. Maī. anni præf. At (*g*) geminum mox in eadem Africa ſchiſma, Donatiſtarum prius, idque pernicioſius, & longiori temporis ſpatio ſæviens; alterum, quod Meletio auctore ortum. Cùm enim Cæcilianus, in Menſurii Carthagin. Epiſcopi locum ſurrogatus eſſet, Botrus & Celeſius Presbyteri, eum ſibi prælatum indignati, adſcitis in conſortium, penès quos *codices & vaſa ſacra* erant abſcondita, Patribusque Cirthenſibus, ſeceſſionem fecerunt, atque contra Cæcilianum, quaſi vitio creatum, Majorinum Lucillæ (quæ à Cæciliano, quòd martyris cujuſdam oſſa, antequam ad ſacram communionem accederet, oſculari conſueverat, reprehenſa illi ſuccenſebat, Optat. *lib. 1.*) domeſticum, Præſulem conſtituerunt. Ei ſucceſſit Donatus, doctus, eloquens & ſanctitatis opinione apud ſuos celebris, unde ſectatoribus nomen. Vid. præter Optatum *c. Parm. l. 1.* & 2. Auguſtinum *de Hær. c. 69.* alibique paſſim. Poſt quæ Meletius Epiſc. Lycopolitanus in Ægypto, quòd idolis ſacrificâſſet, aliisque ſe obſtrinxiſſet criminibus, Synodo à Petro Alexandrino convocata depoſitus, altero ſchiſmate Eccleſiam turbavit, Fidelium, Petri præcipuè, perſecutor factus & Maximiano Galerio auctor etiam in Afros, ſicuti hactenus in Oriente fecerat, ſæviendi, a. C. 306. quo ipſo, ob idem *de Lapſis recipiendis* negotium, Eliberi-

Eliberitana ſynodus XIX. Epiſcoporum (quorum præcipui Oſius fuere & Valerius Cordub. ac Cæſaraug. Epiſcopi) habita, nimio in eos rigore innotuit, *Cœlibatum Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum* prima ſanxit, *can. 33. cereos de die accendi* vetuit, *can. 34.* & *37. picturas è templis* eliminavit, *can. 36.* &c. Quæ dum fiunt, Galerius, Conſtantio in Britannia procul agente, Cæſares duos creavit, Severum per Italiam, Maximinum per Orientem: Conſtantinum verò Conſtantii ex Helena fil. religionis ſpecie ad vicem obſidis tenebat, qui clam elapſus in Britanniam pervenit, ibidemque, patre non ſine luce Chriſti placidè mortuo, Imperium cepit. Idem mox Romæ (*h*) Maxentius fecit, Maximiani Herculei fil. à Prætoriano milite adjutus, anno eod. contra quem miſſus à Galerio Severus dolo interemptus eſt, in ejus locum Licinio Cæſare creato. Maxentius ſic rerum potitus, Romæ pro lubitu agebat, &, quia Conſtantinum noverat Chriſtianis favere, idem primò ſimulabat. Loca ergo, Chriſtianis quæ priùs erepta fuerant, ad Melchiadis Diaconi preces reddita, & in *XXV. titulos ſeu paræcias* (alii XV. ſolùm numerant) *Rom. Eccleſia diviſa* à Marcello eſt, qui etiam à Priſcilla & Lucilla, matronis opulentis, ut altera Cœmeterium exſtrueret, altera bona ſua Eccleſiæ legaret, obtinuit. Sed non diuturna hæc quies: Maxentius enim, ut ſe ſat firmum ratus eſt, acriùs, quàm unquam factum hactenus, in confeſſores Romæ graſſari cœpit, dum in Oriente & Africa Maximianus Galerius, omni ſævitiæ genere in eoſdem utebatur. Januarius inter alios Epiſc. Beneventi celebris Martyr fuit, ann. C. 307. Apphianus juvenis, nobili loco apud Pagas Lyciæ natus, Cæſa-

rea

reæ Palæſt. frater ejus Ædeſius, Alexandriæ: Tyri, Ulpianus quidam, juvenis itidem, alibi alii, quos inter Pamphilus non omittendus Cæſareæ Epiſcopus, Chriſtum morte ſuâ glorificârunt, ann. 308. Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 8. c. 21.* Victoriis poſt hæc in Italia Africaque obtentis ferocior Maxentius nihil omiſit eorum, quæ ad Fidem in provinciis ſuis funditus delendam facere videbantur: Romæ inprimis, ubi Marcellum præ aliis, pollicitationibus primò, inde minis adortus, cùm invicto fidei robore conſtare indignaretur, fuſtibus cæſum urbe expulit, mox retractum (*i*) ad ſordida officia veredosque equos curandos damnavit; inde poſt 9. menſes ægrè liberatum, cùm in ædibus Lucillæ illuſtris fœminæ cœtus ſacros habere non deſineret, domo hac in equile conversâ, longo pædore (*k*) enecuit, qui ſic illuſtrem martyrii coronam nactus eſt, d. 16. Januar. ann. Ch. 310. Conſtantini quinto, Epiſc. ſui ann. 5. in Priſcillæ tumulo, operâ præfatæ Lucillæ, ſepultus. Ordinavit XXV. Presbyteros in urbe, & XXI. Epiſcopos, in varia loca, ubi Præſules perſecutionis ſævitiâ ſublati erant, dimiſſos: plura apud Joh. le Sueur *Hiſtor. Eccl.* in *10*, cæterosque, qui *Vitas Pontificum* edidere. In Eccleſiis Orientis celebrioribus iidem tum Præſules: de hoſtibus quoque tum externis ſeu perſecutoribus, tum inteſtinis ſ. Schiſmaticis ſat dictum: quos ſchiſma hæreſi cumulâſſe videbimus in ſeqq.

XXXI. EU-

XXXI. EUSEBIUS (l).

Relliquiæ parte hac (m) *priſci dum damna furoris*
Spargunt, parte aliâ (n) *mitior aura ſubit,*
Poſt ſævi inprimis horrentia fata Galerî (o);
Me placido (p) *ad ſuperos mors vehit acta gradu* (q).

Enarratio.

(*l*) GRæcus gente, patre Medico genitus, poſt Marcellum præfuit, electus d. 6. Febr. ann. C. 310. Conſtantini 5. ſeu poſt X. Diocletiani 2. quo tempore, perſecutio (*m*) continuabatur, ſub Galerio, Maximiano & Maxentio, impietate ac Chriſtianorum odio inter ſe certantibus. Tentata utrique inprimis virginum & matronarum pudicitia, fugas quaſque & mortes Chriſti amori ſuoque pudori poſthabentium. Quas inter, illuſtres maximè, Theodoſia Tyria, Pelagia Antiochena, & Potamiena Alexandrina, virgines: Pelagiæ mater, aliæque. Sed & virorum non pauci paſſim martyrio coronati: in Pannonia Quirinus Siſciæ Epiſc. quem è ponte in fluvium præcipitem dari juſſit Galerius: Sylvanus Epiſc. Emiſſenus, feris objectus: Lucianus Presbyter Antioch. (novæ verſionis V. Teſt. auctor) fame necatus: alii alio ſupplicii genere ſublati, *certatim glorioſa in certamina ruentibus Chriſtianis, multoque avidiùs tum martyria — quàm poſtea Epiſcopatus appetentibus*, Euſeb. Itaque laſſatis Judicum oculis, feſſis-

feſſisque carnificum manibus, metuentes ſolitudinem urbium tyranni, oculum effodere, & crus alterum ſuffringere confeſſoribus metallaque iis eruenda imponere cœperunt. (*n*) Mitiùs in Gallia, Britannia illisq; provinciis, quæ ſub Conſtantino, actum, eo ipſo anno 310, perſecutionis X. octavo. Poſt quæ Galerius, Maxentium oppreſſurus, Romam obſedit, ſed fruſtra cùm eſſet, Italiâ deceſſit, pauloque pòſt vulnere peſtilenti conſumtis genitalibus & verminante toto corpore defecit. Ubi monitus à Medicis, incurabile malum eſſe, quo propter Chriſtianorum ſupplicia torqueretur, (*o*) retractavit Edicta, reddidit Chriſtianis libertatem, ſuamque eorum precibus ſalutem commendavit, Sed nihil profuit cruciatibus extorta pœnitentia, periit igitur anno Ch. 311. Diviſâ hinc in IV. Imperatores Rep. Conſtantinum & Maxentium filios Auguſtorum, Licinium & Maximinum (qui hactenus Cæſares ſolùm erant) novos homines, ubique aliqua Chriſtianis quies erat, ſed ſemeſtris tantùm, triſtiore mox clade interverſa. Jovius enim Maximinus, ſucceſſor Galerii, extremum Satanæ virus in Eccleſiam profudit, inſtauratisque fanis ac templis Deorum, proſcripſit Chriſtianorum ſacra. Imò, inciſis in æreas columnas Edictis, Chriſtianiſmo imputavit peſtes, ſterilitates, bella, omniaque ſuperiorum temporum mala, ſuum prædicans felix fortunatumque Imperium, quia undique illum profligaret. Idem Licinius in ſuis provinciis. Sed, ut eſt vindex opportunus nominis ſui Deus, ingruunt ſubitò morbi, non cadunt ex more imbres, ſiccitate aduruntur ſata, fames affligit provincias, deſerta à ſuis, abjectaque per vias cadavera hoſtium ſuorum ſepeliunt Chriſtiani, *bonusque audit Deus ille, quem adeò boni*

 colunt,

colunt, Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. 9. cap. 6. 7.* Inter quæ (*p*) placidè in Servatore ſuo obdormit Euſebius, d. 26. Septemb. anno eod. C. 311. Epiſcop. ſui ann. 1. m. 7. d. 20. Conſtantini ann. 6. in cœmeterio Calliſti tumulatus. Creavit XIII. Presbyteros, III. Diaconos & XIV. Epiſcopos. Vide præter Euſebium ubi ſuprà, Auguſtinum *Epiſt. 165.* Optatum *c. Parmen. lib. 2.* Platinam, cœteroſque qui *de Pontificibus* ſcripſere. (*q*) Eo Eccleſiam ſuam paſcente, *Antiochiæ* & *Hieroſolymis*, iidem Epiſcopi fuere qui priùs. In *Alexandrina* verò, Petrus ſub Maximino, poſt exilii carceriſque longa tædia, tortus, cumque conſtantiſſimè pro CHRISTO omnia toleraret, capite plexus eſt, inter illius Eccleſiæ Epiſcopos Martyrum poſtremus, ann. Ch. 311. poſtquam Arium, non quidem ob hæreſin ejus, ut quæ tum nondum eruperat, ſed quòd Meletio ſchiſmatis auctori adhæreret, communione arcuiſſet. Ei ſucceſſit Achillas, qui, contra Deceſſoris monitum, Ario pœnitentiam ſimulanti nimiùm credulus, eum non recepit ſolùm in Eccleſiam, ſed Presbyteri quoque dignitate ornavit. In Perſia quis Eccleſiæ hactenus fuerit ſtatus, non adeò certum: id liquet, innumerum hominum omnis ætatis, ſexûs, conditioniſque numerum, ſub Sapore II. pro Chriſti nomine, ſanguinem ſuum profudiſſe, circa ann. C. 310. ex Sozomeno *Hiſt. Eccl. l. 2. c. 8. & ſeqq.* At Armenii, libertatem exercendi Chriſtianiſmi armis vindicaturi, clade affecerunt Maximinum, circa an. C. 311. Hæreticos quod attinet, Arius, peſtilentiſſimæ hæreſeos auctor futurus, ſub Euſebio primùm innotuit, ut vidimus. Quòd verò Lucianus Presbyter ſuprà itidem memoratus, dum contra Sabellianos ſtrenuè rem gerit, quædam paulò liberiùs locutus eſt,

eſt, quæ poſtea Arianæ hæreſi favere viſa ſunt, non defuere, qui iſtam ſectati *Lucianiſtæ* appellari voluerunt, inſignis hujus ſervi Dei nomine ſeſe tegentes, ſed Athanaſius injuriam viro ab iis fieri, ὀρθοδοξία illius luculenter demonſtratâ, pluribus docuit. Vide Joh. le Sueur, *ad ann. C. 211.*

XXXII. MELCHIADES (r).

Diſpulſis tandem nebulis (ſ) *pax aurea* (t) *fulget,*
Irritus ac mordet jam ſua vincla draco (u).
Vincit in Hoc, *labarumq; ſuo* CHI *Cæſar* (x) *adornat,*
Fermento (y) *fratrum pectora ſancta li-go* (z).

Enarratio.

(*r*) SEu *Miltiades*, Eccl. Romanæ Presbyter, cujus *in Marcello I.* meminimus, gente Afer, unanimi Cleri conſenſu, Euſebio ſuffectus eſt, anno Ch. 311. Conſtantini I. 6. quo, ſævitiâ & libidine Maxentii oppreſſi Romani, literis clam ad (*ſ*) Conſtantinum Treviris tum agentem datis, eum Romam ad vindictam de tyranno ſumendam invitârunt. Paruit is ac contra Maxentium movit, cumque de ſucceſſu anxius, non ad Deos Gentilium (quorum cultores tyrannos præcedentes ita interiſſe viderat, ut ne veſtigium quidem ſtirpis eorum ſupereſſet) ſed ad Deum patris ſui Conſtantii precando confugeret, oblatum ei in cœlo oſtentum figuram hanc ☧ vel ☧ referens,

ferens, cum literis, Ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vince*, quo territo exercitu (ipſo enim meridie id lucidiſſimum ſignum viſebatur) defixoque in profundas cogitationes Cæſari, apparuit ſequente nocte Chriſtus (cujus nomen literæ hæ duæ incipiunt) mandavitque Conſtantino, ut eâ, quam conſpexerat, figurâ pro labaro ſeu ſigno in hoſtem uteretur. Quare, cum variis Epiſcopis, Rheticio inprimis Epiſc. Auguſtodunenſi, re communicatâ, in præcipuis Chriſtianæ fidei capitibus ſe iis inſtruendum commiſit, ac, idololatriâ priſtinâ longè faceſſere juſsâ, Conſtantinus, primus Impp. Chriſti fidem amplexus eſt. Poſt quæ variis Maxentii Ducibus, inter quos Ruricius eminebat, ſuperatis, ipſum tandem (*t*) Maxentium ingenti prælio devicit, qui, dum fugiens ſemet Romam recipit, & in pontem navigiis compoſitum ab latere ingredi feſtinat, lapſu equi in profundum demerſus eſt, voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum, d. 24. Sept. Victor Conſtantinus incredibili Romanorum lætitiâ urbem ingreſſus, à S. P. Q. R. arcu marmoreo ornatus eſt, cum inſcr. *Liberator urbis & fundator quietis.* Mox variis in locis crucis erecto ſigno, notati ſunt abhinc ignominiâ & ſuppliciis affecti hoſtes ſanctorum, ac, conculcato (*u*) dracone, *regna mundi & poteſtas omnis Chriſti facta eſt ac ſanctorum ejus*, ſicque, poſt decennales perſequutionum tenebras, tranquillitatis lux amica emicuit, apparuitque *nullum unquam majorem triumphum fuiſſe, quàm cùm X. annorum ſtragibus vinci non potuere Chriſti cultores*, Sulpicius Sev. *lib.* 2. Inſtaurata itaque à fundamentis CHRISTI (quem à monogrammate præfato (*x*) *Chi* Antiochenos appellâſſe, dicentes, X. & K. *nihil injuriæ intulerunt civitati*, in dicteriis illorum recen-

recenſet Julianus *Miſopogone*) templa, ſoluti oneribus impenſiſque civilibus ac publicis Clerici, ut expeditiores ad doctrinam & preces eſſent, gratiæque Deo publicè ab omnibus ingenti cum jubilo magniſque pompis actæ. Maximinus tamen & Licinius, ubi rerum potiebantur, nihilo in Chriſtianos mitiores facti, urgentibus inprimis Theoteeno Antiochiæ procuratore & alio Damaſci præſide: à quibus ſubornatæ civitatum legiones, requiſita dæmonum oracula (Jovis Philii præſertim) Chriſtianos exſcindi poſtulantium, conficta Pilati & Chriſti acta, perque omnes provincias & Scholas Orbis circummiſſa, ſuppoſitæ mulieres impuræ, Chriſtianas ſe olim fuiſſe mentientes & inceſtarum Chriſtianiſmi conſuetudinum conſcientiâ pollutas, ſicque perſecutio de novo excitata eſt, anno C. 312. quo ipſo *Indictio Cæſarea* cœpit, d. 24. Sept. præf. victoriâ de Maxentio reportatâ inſigni. Sequuta quies aliquantilla à Licinio, quem per nuptias Conſtantiæ ſororis ſibi Conſtantinus devinxerat: ad quas vocatus Diocletianus, cùm per ſenectam, quò minùs intereſſe valeret, ſe excuſaviſſet, reſcriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio faviſſe & Maximino favere, ſuſpectans necem dedecoroſam, venenum dicitur hauſiſſe. Durantibus Mediolani (ibi enim agebantur) nuptiis, Conſtantinus & Licinius, pacem promulgant Chriſtianis, monituſque de eadem re ab Impp. Maximinus, jam ſibi metuens, vexandos quidem ulteriùs per Orientem Chriſtianos negat, conventus tamen nondum indulget. Sed cum Licinius, quem provinciis ſuis exutum ibat, mox redegit in ordinem, victumque prælio non uno, Tharſoque incluſum urbe, cùm jam Chriſtianis ſerò ſatis libertatem agendi con-

ventus redderet, & ſuaſores belli interficeret, obſidione urſit. Sic plena ubique pax Chriſtianis affulſit: quam tamen mox Donatiſtæ turbare cœperunt, qui, poſt Majorini obitum, electo Donato in locum ejus, anno hoc C. 313. ad Imperatorem Arelate tunc agentem legatos miſerunt. Hic Judices, cauſam cognituros, pro ſua auctoritate, Epiſcopos dedit, Maternum Colonienſem, Rheticium Auguſtoduni; & Marinum Arelatenſem; quibus pòſt ejuſdem diplomate adjunctus etiam Miltiades eſt Epiſc. Romanus. Ab his Romæ congregatis die 2. Octobr. damnatus Donatus, Cæcilianus verò à criminibus ſibi impactis liber pronuntiatus eſt: quâ tamen ſententiâ minimè acquieſcentes Schiſmatici, porrò turbas dedere. Mors Melchiadis ſeu Miltiadis ſequuta, d. 10. Decembr. ejuſdem anni 313. Epiſc. ſui ann. 2. & quod excurrit, Conſtantini M. ann. 8. Damaſus tamen in ſeq. annum obitum ejus differt. Martyrem facit, Turſellinus: in quo proin etiam Epiſcoporum Rom. qui Martyres fuere, ſeriem claudimus, verbis Florim. Ræmundi, *Prioribus illis ſeculis & multorum annorum fluxu Pontifices martyrii ſacri laureâ contentos fuiſſe, quam omni diademate & ſceptro potiorem habebant, reliquisque ornamentis ducebant ſuperiorem, nemo ignorat, in Fab. Ioh. cap. 20.* Ordinavit VI. Presbyteros, V. Diaconos, & XI. Epiſcopos; inſuper, *ne diebus Dominicis & Iovis jejunarent fideles*, ſicque Ethnicos imitari pergerent; porrò *(y) ut fermentum demum poſt conſecrationem, per parœcias, ab Epiſcopis ad Presbyteros, in ſignum unionis mutuæ mitteretur* (qui ritus qualis fuerit, doctè Sirmondus explicat *libr. de Azymo*) inſtituiſſe dicitur: plura apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l. 10. c. 5.* Auguſtinum *Epiſt. 65.* Joh. le Sueur *Hiſt. Eccl.*

Eccl. Platinam, Baleum, Alios. (z) Eo Romæ res ſacras curante, in Eccleſia *Alexandrina*, Achillæ extincto, ſucceſſit Alexander, ann. Ch. 312. de quibus duobus Petrus martyrio proximus in viſione monitus fuerat. Cùm enim Dominum videns ſciſsâ veſte, quis feciſſet, ſciſcitatus eſſet, reſponſum accepit: *Arius mihi ſcidit, ſed cave omnino, ne eum in communionem recipias, quin potiùs jubeto Achillam & Alexandrum Presbyteros, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam, ne illum recipiant*, P. Oroſius *l.7.c.18.* Perſecutorum unus ſuperfuit Licinius, de cujus fine mox videbimus. Ritus etiam Gentilium celebriores ſenſim ſublati, & *Ludi* quidem *Seculares*, ann. C. 313. De Hæreticis nil addam.

XXXIV. EPISCOPI ROM. USQUE AD BONIFACIUM III.

I. SYLVESTER (*a*) I.

Una ſuper Licinî (*b*) *nubes, ſed & hac quoq; pulſa* (c) *eſt,*
Damnati Hæretici (d), *limite ſepta* (e) *Fides.*
Divitiis verùm aucta (f) *eadem, translataq; Roma* (g),
Senſim ſtraverunt ad nova fata viam (h).

ENARRATIO.

(*a*) ROmanus gente, ejuſdemque Eccleſiæ Presbyter, Miltiadi ſurrogatus, d. 1. Februar. ann. Ch. 314. Conſtantini I. 9. cùm aliquandiu in Soracte monte latitâſſet, ceſſante ſub hoc Imperatore tyrannorum ſævitiâ, Romam rediit. Et quidem tunc primùm Rom. Epiſcopi in tuto eſſe cœpere, paſſimque donati ſunt libertatibus honoribusque magnis Epiſcopi & Doctores Eccleſiarum, præſertim contumelias pro Chriſto paſſi, è quibus ſupererant Oſius Epiſc. Cordubæ, Amphio Epiphaniæ in Cilicia, Maximus Hieroſolymæ, Paphnutius Ægypti, qui & miraculis claruit, ac unà cum Maximo dextrum oculum effoſſum & crus dextrum fractum habuit. Ut tamen ſecularibus negotiis ſe neutiquam immiſcerent, cavit Imperator. Interea Maximinus, fœdo morbo conſumptus eſt Tarſi, omnesque ejus ſævitiæ miniſtri ad ſupplicium rapti: Theotecnus quoque miſerè Antiochiæ periit, ann. eod. quo porrò, Donatiſtis Romanorum Patrum judicio non acquieſcentibus, Conſtantinus Arelatenſem Synodum, cui ipſemet præſedit, (Marinum loci Epiſc. alii præſediſſe volunt) Judicem conſtituit, ad quam miſſi ſunt à Sylveſtro Claudius & Vitus Presbyteri, cum Diaconis Eugenio & Cyriaco. In hac Cæcilianus denuo abſolutus, Donatiſtæ damnati: inſuper confirmati Canones, *de Paſchate Dominicâ die celebrando*, conſtituti ann. Ch. 190. lis *de rebaptizandis Hæreticis*, diſtinctione illorum factâ, & Stephani Papæ decreto abolito, prudenter deciſa, ac de Synodi ſententia Sylveſter à Fratribus Arelati congregatis monitus eſt. Quod dum Arelati fit, variæ aliæ per provincias ſynodi,

Ancy-

Ancyræ, ubi Vitalis Epiſc. Antiochenus, & Neocæſareæ præſertim, eodem moderante, habitæ ſunt, Vid. Joh. le Sueur *ad annum Chr. 314.* ubi occaſione harum ſynodorum, *de Conciliis Synodisque* vett. Chriſtianorum eruditè agit. Mox Arii prorupit ſcelus, hominis διαλεκτικωτάτου ac inprimis ambitioſi, qui, Epiſcopatum Alexandrinum invidens Alexandro, dum quamvis turbandi occaſionem quærit, Alexandrum de SS. Trinitate curioſiùs diſſerentem fortè audiens, ejus doctrinæ mox ſe opponere, & *Filium eſſe Deum minorem Patre, etiam quoad Deitatem creatum, ſed ex μὴ ὄντων, ante omnium rerum primordia -- aliamque eſſe Filii eſſentiam ab Eſſentia Patris,* docere cœpit: quæ Alexandriæ diſſenſionis ſuſcitata ſcintilla, primùm Ægyptum, Thebaidem, Libyam, deinde totum orbem, peſtiferæ opinionis incendio, complexa eſt. Monitus ea de re à Meletio Thebaidos Metropolita Alexander, Synodum C. Epiſcoporum ex Ægypto & Libya convocavit, quâ Arius, cum ſectatoribus ſuis, Epiſcopis Presbyteriſque, damnatus, depoſitus & communione excluſus eſt, ann. C. 315. quo lite inter Licinium (qui Valentem Cæſarem creaverat) & Conſtantinum, de provinciis Maximini obortâ, ille gemino prælio fractus pacem petiit, quæ inter alia eâ conditione concluſa, ut Criſpus & Conſtantinus, victoris filii, Liciniusque Licinianus, victo genitus, Cæſares crearentur, è quibus Criſpo Lactantius Firmianus cuſtos ac magiſter additus eſt. Poſt quæ Alexandro Judæo, Chriſtianam fidem amplexo, templa erigendi Tiberiade, Scythopoli & Diocæſareæ, facultatem dedit Imperator, ſimulque Judæos, qui in ſuæ gentis homines, ad Eccleſiam accedentes, ſævirent, ut & Chriſtianos, qui ſe circumcidi paterentur,

 ad

ad ignem damnandos ſtatuit, *Cod. Theod. lib. 16. t. 6.* & *l.* 1. *Cod. de Pœnis*. Eodem anno *Donatio* Sylveſtro facta dicitur, quam *Conſtantini* vocant, in Jus Canonicum à Gratiano, Yvone, Anshelmo, Deusdedit ipſoque etiam Gregorio XIII. relata, idque occaſione lepræ Conſtantini & balnei, quod ex infantum ſanguine ſibi parare à Sacerdotibus Capitolinis juſſus fuerit. Verùm bene Ludovicus Vives, *dolendum eſſe*, dicit, *in res ſacras talem licentiam mentiendi irrepſiſſe, ut quæ de lepra Conſtantini traduntur, & balneo ſanguinis puerilis*. Ipſeque Johannes Diaconus, cognom. *Digitorum*, qui Donationem iſtam aureis literis ſcripſit, in Vaticana Bibliotheca aſſervatam, addit, *quam fabulam longi temporis mendacia finxit*. Vide Diploma Ottonis III. quod etiamnum Aſſiſii inter cimelia & archiva Pontificum adſervatur, & à Marqu. Frehero editum ac *Notis* illuſtratum eſt. Sunt & qui in Legenda Sylveſtri tradunt, illo die, quo Donatio hæc facta, auditam cœlitus vocem, *Hodie venenum eſt effuſum in Eccleſiam*. Sequuta perſecutio (*b*) Licinii, qui, cedere Conſtantino indignatus, incitatus inſuper à Magis & præſtigiatoribus, occultè primùm, mox apertè Chriſtianos vexare cœpit. Principiò Epiſcopos inter ſe convenire vetuit, dein mulieres publicis excluſit ſacris, tandem clauſis templis ſub dio convenire præcepit omnes, militiâ & palatio motis, qui ſacrificare Diis abnuerent. Nec his contentus gladios ſtrinxit in Epiſcoporum aliquos, Amaſenam Eccleſiam in Ponto ſubvertit, confeſſoresque quoſdam fruſtillatim conciſos mari merſit. Celebres tum martyres fuere, Paulus Epiſcop. Neocæſareæ, Amundus

Diaco-

Diaconus Heracl. Auxentius, Theodorus militum Dux, Epiſcopi duo ejuſdem nominis Tyri & Pergæ, aliique, per 8. vel 9. annos, quibus ea rabies duravit: dum interea Conſtantinus Donatiſtas, à Synodo Arelat. ad ſuum tribunal provocantes, Mediolani denuo damnavit, tandemque, ut contumaciam eorum inexpugnabilem animadvertit, in exilium ire juſſit. Alexandriæ verò alterâ Synodo coactâ iterum condemnatus Arius, ad Euſebium Epiſcopum Nicomediæ perfugium habuit, eumque acrem mox defenſorem nactus eſt, ann.C. 316. Quia verò, Licinio in Chriſtianos ſæviente, plurimi in deſerta loca ſe abdiderunt, in hæc tempora *Monachatus* originem Sozomenus refert *lib. 1. cap.* 13. ſaltem ſub Licinio, innoteſcere mundo primùm Monachi cœpere, quod vitæ genus Paulum Thebæum orſum vidimus ſuprà, *in Fabiano*: qui, Decianæ perſecutionis æſtu in eremum compulſus, hac ceſſante, neceſſitatem in voluntatem vertit, & ad 6. vel 7. annum uſque Conſtantii Imp. per 90. fere annos *ætatem in orationibus ac ſolitudine duxit.* Sequutus eum Antonius Ægyptius, ſub finem præc. ſeculi, magno apud Conſtantium in pretio, ſub quo Monachorum agmina, per Thebaidem primò, ſparſa, de quorum inſtitutis & diſciplina, vide Joh. le Sueur *ad annum Ch.* 317. Arius poſt hæc, in Oriente & Meridie ſæviente Licinio, ipſe per omnes mundi partes peſtilentiſſimam ſuam hæreſin diffundere cœpit, plurimis Eccleſiarum Præſulibus in partes ſuas pertractis, è quibus duo Euſebii, alter Epiſc. Nicomediæ præfatus apud Imperatorem gratiâ validus, alter (ut volunt nonnulli), Epiſcop. Cæſareæ, ad Alexandrum Epiſc. Alexandriæ literis datis, eum tueri, conati

conati ſunt. Verùm hic, blaſphemiis illius in apricum productis, maſculè reſpondit, literiſque quamplurimis ad varios Epiſcopos, interque hos Sylveſtrum Rom. promtè circummiſſis, de Arii molіminibus ipſos monuit: quo factum, ut ab omnibus deſereretur Arius, unico adhuc ei pertinaciter adhærente Euſebio Nicomedienſi; à quo ſeducta Conſtantia Licinii uxor movit Imperatorem, ut, Alexandri rigore improbato, & utrique parti ſilentio impoſito, per Oſium Epiſc. Cordub. literis ad Epiſcopos miſſis, hortaretur omnes, *ne ob quæſtionum litis, quàm pietatis, feraciorum, temeritatem, Eccleſiam Chriſti ſcinderent*, ann. C. 318. Habita mox Synodus tertia Alexandriæ, ſed malum non ſublatum. Eâdem tamen Colluthus Presbyter, qui è Sabellii lacunis errore hauſto *Deum malorum creatorem eſſe* negaverat, condemnatus eſt: cujus ſectatores Arianis Meletianiſque ſeſe junxerunt; ann. C. 319. Variis dein in Politia & Eccleſia prudenter conſtitutis Imperator, *Aruſpicinam* tamen, certis quidem legibus circumſcriptam, tolerare ſibi permiſit, & *Pontificis* quoque *Maximi* titulum, ut ſub quo multum auctoritatis & potentiæ lateret, à Gentilibus ad ſe tranſtulit, ann. C. 320. Inde à Donatiſtis ſe exorari paſſus, eos ab exilio revocavit, templorum verò & exercitii publici uſu negato: qui proin, quòd in montibus convenire cogerentur, *Montenſes* dicti, Circumcelliones brevi ex ſe dederunt, ann. C. 321. Fame poſtea immani Romæ obortâ, *ne parentes porrò liberos ſuos venderent*, conſtituit, juſſis ex fiſco paſci, quibus alimenta deficerent. Hinc (c) contra Licinium, pacis ruptorem, accinctus, ann. Ch. 322. qui Martinianum Officiorum Magiſtrum Cæſarem dixit, omni acie potior, adegit illum, pactâ ſalute, indu-

indumentum regium offerre uxoris manu: à quo Reſp. unius Conſtantini arbitrio geri cœpta, de Chriſtianis contrariæ tyrannicis iſtis leges latæ, exules revocati, ſpoliatis bona reddita, pleriſque provinciis Chriſtiani rectores impoſiti, & ſi qui Chriſtiani eſſe nollent, idolis tamen ſacrificare prohibiti admonitiq; omnes ſunt ad Fidem induendam, propoſitis diplomatis, quibus tamen Imp. *moleſtus nemini ob mentis errorem fuit, certamen, pro immortalitate ſponte ſuſcipiendum, cogi non poſſe, dictitans*, Euſebius *Vitâ Conſtantini l. 2.* atque tum *Draconis antiqui contriti* imago in regia appenſa, ann. C. 323. 324. Aſt hanc Principis totiusque Eccleſiæ felicitatem obnubilavit Arius; ſupererat quoque ob Paſchatis diem non parùm litis: igitur, ut malo obviàm iretur, conſilio Oſii Cordub. & Alexandri Alexandr. convocare, ex univerſo Imperio, conſtituit Imperator, qui de hiſce ſimilibusque cauſis ſacris cognoſcerent, eaque de re per omnes provincias literas dimiſit, an. C. 324. præf. Licinium dein, quem Theſſalonicam relegaverat, cùm nova denuo moliretur, pauloque pòſt Martinianum, jugulari mandavit: quo pacto Licinius, anno dominationis 15. vitæ 60. fuſum Chriſtianorum ſanguinem proprio ſuo piavit. Inde Nicæam Bithyniæ ſe contulit ibique *Concilium I. Oecum.* CCCXVIII. Epiſcoporum, Presbyterorum inſuper & Diaconorum innumerorum, celebravit, auſpicatus illud d. 22. Maj, ann. C. 325. Conſedit in medio Imperator ſedili deaurato, poſt eum Epiſcopi, dextrique ordinis primus (is fuit Euſtachius Antiochenus) à veneratione Numinis initium fecit. Sylveſter Epiſc. Rom. non ipſe intererat, ſed per legatos ſuos, Vitum & Vincentium Presbyteros. Ibi audita Arianorum dogmata, collatusque ſententiis (*d*) damnata, *Chri-*

ſius Patri ὁμοούσιος declaratus, Arius cum factione ſuâ in exilium actus: vetus porrò *de Paſchate* controverſia ſublata, utque primâ illud poſt plenilunium æquinoctiale Dominicâ celebraretur, conſtitutum, *Numero aureo* eum in finem excogitato: ulteriùs *Schiſmata Meletianorum* & *Novatianorum* abolita: cohibitique Paphnutii auctoritate, qui *Cœlibatum Epiſcoporum* urgebant, & *aſſertus matrimonio ſuus apud omnes ordines honor*: retuſa etiam *Dialecticorum argutia*, Spiridionis Epiſc. Tremithuntis in Cypro, uxorati, ſimplici oratione: conditum denique (*e*) *Symbolum Nicænum* & *XX. Canones*; confirmata item Alexandrini Epiſcopi, exemplo Romani, ἐξουσία, cautum quin etiam, *ne Epiſcopus fieret, præter ſententiam Metropolitani*, ac allaboratum, *ne in civitate una plures uno Epiſcopi eſſent*, ſicque Epiſcopalis dignitas & poteſtas aucta eſt, *ut Romani tamen ſupra reliquos prærogativa nulla hactenus emicuerit, quin ipſe potiùs, Conciliari decreto, ad curiam parium relegatus, ejusque conatus ſufflaminati fuerint*, Cl. Heideggerus *Eccl. Rom. Periodo II.* de quo vide Beveregium *Animadverſionibus in Concilium Nicænum, Canonem inprimis VI.* & plura hanc in rem apud Jo. le Sueur *ad ann. præf.* ubi *Religionis Chriſtianæ, qualis à primis ſuis incunabulis in vet. Eccleſia viguit*, epitomen ſub finem exhibet, atque juxta hanc normam, conciliationem Religionum hodie diſſidentium optimè inſtitui poſſe, non malè cenſet. Sic velut novo de hoſtibus Eccleſiæ triumpho potitus Conſtantinus Vicennalia celebravit, Epiſcopos convivio excepit, muneribus affecit, Paphnutiique & Spiridionis præfatorum *accepta pro Chriſto ſtigmata exoſculatus eſt*, Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 5.* & Sozomenus *lib. 1. cap. 16. 17.* (*f*) Mox verò Meletiani, Johanne

Johanne in locum Meletii extincti ſurrogato, ſchiſma continuârunt: Euſebiusque Nicomed. & Theognis Nicænus Epiſcopi, qui Arii acerrimi hyperaſpiſtæ fuerant, ad vomitum redeuntes, denuo turbas dederunt, in Gallias proin ab Imperatore relegati. Sed & Athanaſio ad Alexandriæ paſtoratum, poſt Alexandri obitum, evecto, oppoſuerunt ſeſe Meletiani, atque tum primùm Arianis juncti ſunt. Ipſe quoque Imperator, qui hactenus omnia cum laude egerat, jam provectior ætate, ſenio an facilitate naturæ, à mulierculis ſe agi paſſus, Criſpum filium excelſæ indolis juvenem, jamque Cæſarem declaratum, ad novercæ Fauſtæ criminationes, moxque, ſed ſerò nimis calumniâ cognitâ, ipſam etiam occidi juſſit: in Licinii quoque filium, Cæſarem itidem, alioſque parili rigore graſſatus. Cujus verò ſeriò pœnitens, zeli pro religione nova edidit ſpecimina, variis in locis ædes ſacras, ſeu Baſilicas, aut Martyria, uti tum vocabantur, paulo poſt hæc exſtruendo, inter quæ Hieroſolymæ in loco ſepulchri Chriſti *Martyrium Reſurrectionis* eminuit, amplè deſcriptum Euſebio *de Vita Conſtantini l. 3. c. 27. & ſeqq.* Æmulata filii pietatem Helena mater, regni uſa viribus, Baſilicas duas circa antrum nativitatis Domini, aſcenſionisq; ejus locum conſtituit: ubi quidem calcati Deo pulveris perenne monumentum fertur, ut *veſtigia impreſſa* cernantur, nec ulla temporum damna ſentiant; additur *inventa & exaltata Dominica crux.* Sed Euſebius, vitæ Conſtantini diligentiſſimus ſcriptor, de utroque altùm ſilet: nec Socrates, Theodoretus, Sozomenus, atque ipſe fabularum pater Nicephorus, hujus quidquam refert. Vide Gelaſio Pontifici hanc in rem dicta, Concilio ſub illo habito, ann. C. 494. & Salmaſium *Epiſt. de Cruce*: adde

adde Joh. le Sueur *ad ann. C. 326.* ubi & nonnulla *de clavis S. crucis* ab Helena repertis, & ad ornatum capitis ſui, freniſque aſturconis, quo vehebatur, adhibitis, ex Socrate, Theodoreto, Aliis, *adorationeque hinc Crucis tum nondum uſitatâ*, adjicit. Tum autem Sepulchrum Chriſti, ac loca, ubi, dum has terras inviſeret, verſatus erat, frequentari cœpta, ipſa verò Helena, liberalitatis in Sanctos exemplar, deceſſit octogenaria, ann. C. 327. Eodem Conſtantia, Licinii vidua, & ſoror Imperatoris, quam ab Euſebio Nicomed. ad Arianismum ſeductam diximus, quòd in Ethniciſmo idolis aſſueta eſſet, imagines quoque in Chriſtiana, quam amplexa eſt, religione ſibi utiles fore rata, imaginem D. N. Jeſu Chriſti ſibi mitti petiit ab Euſebio Epiſc. Cæſar. qui egregiè reſpondit, ut videre eſt in *Actis* Concilii Nicæni II. habiti ann. C. 787. illamque docuit, quod peteret, nec licitum eſſe, imò nec poſſibile; Jeſum Chriſtum enim, neque quoad divinitatem, neque quoad humanam ſuam naturam, coloribus poſſe exprimi. Ejuſdem Conſtantiæ precibus delinitus Imperator, Euſebium Nicom. & Theognidem Nicænum, qui ſe Concilii ann. 325. celebrati decretis parituros profitebantur, ab exilio revocavit, atque, Amphione & Chreſto pulſis, ſedibus ſuis reddidit. Sed hi brevi, longè acriùs, quàm hactenus fecerant, Arianam hæreſin propugnârunt, propagaruntque, ſtrenuum antagoniſtam nacti Euſtachium Antiochenum, qui initiò ſtatim ſe iis oppoſuit, inſuperque contra Patrophilum Scythopolis & Paulinum Tyri Epiſcopos, Euſebium item Cæſar. quòd à fide Nicæna reſiliret, ſcripta edidit: unde perſecutioni in illum occaſio. Poſtquam enim Meletiani in Athanaſio, qui conventicula illorum Alexandriæ diſturbaverat,

baverat, apud Imperatorem accuſando non fruſtra ſolùm fuiſſent, ſed & publico edicto, unà cum Hæreticis, Novatianis, Valentinianis, Marcionitis, Paulianiſtis & Cataphrygibus, qui fidem Nicænam amplecti renuebant, eſſent coërciti, ann. C. 328. Ariani, qui & *Euſebiani*, ab Euſebio Nicomed. præcipuo hæreſeos fautore dicti, Euſtachium ficta adulterii culpâ ſubvertunt, haud ſine maximo totius civitatis & penè exitiabili tumultu. Miſſus igitur in exilium Euſtachius, an Trajanopolim Thraciæ, an Philippos Macedoniæ, ejusque in locum Eulalius, à factione Euſebiana, ſuffectus eſt: at mox mulieris confeſſione dira fraus patuit. Gazenſis Epiſc. Aſclepas, idem paulò pòſt ab iiſdem paſſus, Quintianum ſucceſſorem habuit, in Concilio Sardic. anno C. 347. pro lupo ovile Domini ingreſſo habitum. Nec mitiùs actum cum Eutropio Epiſc. Adrianopol. quem iidem hæretici per Baſilinam, Juliani Apoſtatæ matrem, ſimiliter Eccleſiâ ſuâ pepulerunt. Interea Conſtantinus, ut erat laudis avidus & ſuperſtitionis Rom. oſor, (g) Byzantium de integro ſtruens, *Romam novam*, urbemque ſui nominis appellavit, quam translatis eò pluribus nobilium Romanorum familiis, collectisque ex toto Orbe opibus, ſubitò ad tantum faſtigium evexit, ut Romæ æmulam faceret, ann. C. 329. Certè ab idolis repurgatam, templis ornavit auguſtiſſimis, urbemque *Martyrum Deo* dedicavit, d. 10. & 11. Mai, quam in rem vide Euſebium *Vitâ Conſtantini lib. 3. cap. 47.* & 48. Socratem item *Hiſtor. Eccleſ. l. 1. c. 16.* omnibusque ritè conſtitutis, Epiſcopis Miniſtrisque Eccleſiarum ſacrorum curam ſolicitè commendavit, *tanquam Epiſcopis intra Eccleſiam, ipſe Epiſcopus extra Eccleſiam, à Deo conſtitutus*. Cruenta *Gladiatorum* ſpectacula ſuſtulit,

tulit, militesque *ſolum Deum* precibus ſuis adire docuit: felix imperio, ſi aures deceptoribus clauſiſſet, & ſycophantis, à quorum veneno vix ulla ſatis tuta ſanctitas. Cùm namque Euſebius Nicom. contra Euſtachium aliosque nonnullos Præſules orthodoxos, conatus ſuos proſperè ceſſiſſe videret, majora audere cœpit, & ipſius quoque Arii reſtitutionem tentare; operâ inprimis uſus Presbyteri cujuſdam Ariani: quem cùm morti vicina Conſtantia fratri tenerrimè commendâſſet, hic eum recepit, charum habuit, ejusque ſuaſu Arium, (cui injuriam factam Presbyter Imperatori perſuaſerat) poſt 5. annorum exilium, revocavit, *cumque ille verbis orthodoxis ſimillima, ſenſu abſtruſo diſſimillima,* unà cum Euzojo Diacono quondam Alexandr. comite ſuo, profeſſus eſſet, ann. C. 330. Alexandriam remiſit. Hìc verò Athanaſio loci Epiſcopo, cum Meletianis & Euſebianis, difficile ob Arium certamen ortum, quem cùm is recipere nollet, variis hinc calumniis petitus, atque gravium criminum apud Imperatorem accuſatus, ei innocentiam ſuam abunde probavit: dum interea Imperator duos primariæ auctoritatis viros circummiſit per Orbis provincias, à quibus detectâ dæmonum fraude, protractisque & ludibrio expoſitis ſtatuis, pleræque gentium abolevere priſci erroris contagia & relictis idolis unum Deum creatorem coluerunt. Sic exſtirpati Dii famoſiſſimi, Apollo Pythius, Sminthius, Muſæ Heliconiæ, Venus Libani & Heliopolitana, Æſculapius Cilicum & id genus alii. Usque Judæos quoque ad fidem perduceret, blandum ſe illis, Patriarchisque eorum, præbuit, ann. C. 331. Sequuta homicidii calumnia, contra Athanaſium, quam *ille ſiſtendo vivum Arſenium* feliciter abſterſit, an. C. 332. celebratæ ergo Arianorum

Arianorum impulſu Synodi, Cæſareæ, cui ſe ſiſtere noluit Athanaſius, ann. C.333. & Tyri, cui ſe ſtitit, comitatus Epiſcopis 49. inter quos Paphnutius Confeſſor, ſed, licèt ſolidè refutâſſet ingeſta crimina, tamen quòd non expectatâ ſententiâ abſceſſiſſet, condemnatus eſt, Paphnutio & Maximo Hieroſolym. præter alios nonnullos, ſubſcribere renuentibus. Dedicatum dein Hieroſolymis templum *τῦ Σωτῆρι ἀναςάσεως Μαρτύριον*, aliqu. ſimpliciter *Μαρτύριον*, item *μέγα Μαρτύριον*, appellatum, cujus ſuprà meminimus, Vide Euſebium *Vitâ Conſtantini l.* 3. & 4. quo peracto, Epiſcopis reliquis ad ſua digreſſis, Euſebiani remanentes, Conciliabulo habito, Arium & Euzojum in communionem receperunt, obtentisque per inſignem fraudem ab Imperatore literis, eos Alexandrinæ Eccleſiæ commendârunt, anno C.335. cujus noviſſimo die obiit(*h*) Sylveſter, Epiſc. ſui anno 22. m. 10. Conſtantini anno 30. Ordinavit XLII. Presbyteros, XXVI. Diaconos & XXXVI. (alii habent LXV.) Epiſc. cæterùm in Conſtantini hiſtoria mentio ejus non frequens. Vide Damaſum, Anaſtaſium, Platinam *in eo*, Sabellicum *Ennead.* 7. *l.* 8. Nicephorum *l.* 7. *c.* 32. & *ſeqq.* Alios. Dum verò ille Rom. Eccleſiam curat, in *Alexandrina* Alexandrum Athanaſius excepit, an. C.326. *Antiochenam* rexit, poſt Paulinum, cogn. *Philogonium*, qui obiit an. C.324. Euſtachius, fruſtra Euſebium Cæſ. promotum euntibus Arianis: qui tamen poſtmodum, eo pulſo, Eulalium ſuæ factionis hominem, Eccleſiæ illi præpoſuerunt, *Hieroſolymitanæ*, decreto Concilii præfati proximus poſt Alexandrinam & Antioch. locus conceſſus eaq; ſic (ſine tamen præjudicio Cæſareæ Pal.) *Metropolitana*, non minùs ac tres præfatæ, eſt effecta: cui poſt Macarium, extinctum an. 331. præfuit Maximus Con-

feſſor,

feſſor, V. de Præſulibus his varia jam ſuprà. Byzantii, in Metrophanis locum, ſubſtitutus eſt Alexander, ann. Ch. 315. Porrò, per Edeſium & Frumentium Indi converſi, hicque poſterior primus Epiſcopus Auxumenſis, in Æthiopia, ab Athanaſio ordinatus eſt, ann. C. 327. Athanaſius *Apolog. 1.* Iberi itidem, quorum tradux Georgiani hodierni, captivæ mulieris ope: In Armenia quoque, Eccleſia, à Bartholomæo olim Apoſt. plantata, jam Tiridatis R. Chriſtiani curâ, mirè creſcere cœpit, circa ann. C. 328. Sozomenus *l. 2. c. 7.* Juvencus, Poëta Chriſtianus, circa eadem tempora floruit, Hieron. *Chron. Euſeb. ad ann. C. 332.* & *Catal. c. 84.* De perſecutoribus in Imperio, Tyrannis Hæreticiſque ſat diximus. In Perſia, Sapores II. Conſtantini literis nihil mitior factus eſt. Addi poſſent Magi, præſtigiatoresque, quorum opera contra Fidem magni, ſed irriti tandem, moliminis fuit. Non verò omittendus Sopater Syrus, vir eruditus & eloquens, qui, de ruina Gentiliſmi auſus conqueri apud Imperatorem, nihil quidem in gratiam ejus obtinuit, ab Imp. tamen magni habitus & in aula retentus eſt, an. C. 331. &c. Vide Joh. le Sueur *in Sylveſtro I.* ubi, præter alia, *de ſilentio in Sacris* à tempore Syn. Nicænæ obſervari ſolito, deque *pompa Sacrorum* ſenſim in Eccleſiam irrepente, differit *ad annum C. 333.*

II. MAR-

II. MARCUS (i).

Lucem Evangelii partes dum ſpargit in omnes,
Separat & Magnus ritè profana ſacris:
Romanam (k) *moderer, quæ Chriſto eſt ſubdita, turbam,*
Atq; brevi (l) *fideî præmia carpo mea* (m).

ENARRATIO.

(*i*) NAtione Romanus, (*k*) in Sylveſtri locum, ſucceſſit d. 15. Januar. ann. C. 336. Conſtantini 31. qui dum præeſt, tantum apud Imperatorem valuere Euſebianorum calumniæ, ut Athanaſius ad Treviros exulatum mitteretur, quò etiam pervenit, menſe Februar. anni ſequ. à Conſtantino Jun. & Maximino gentis Epiſcopo humaniter exceptus. Marcellus dein Ancyræ Epiſcop. Synodo CPoli coactâ, velut Sabellianiſmi reus, condemnatus depoſituſque eſt. Cumque Ario Alexandriam reverſo, in partes iret populus, graviora veritus Imperator CPolim illum revocavit, qui, denuo fidei confeſſionem edere juſſus, juravit in fidem Nicænam, ſub axilla gerens aliam, ut dicere poſſet, *juráſſe ſe ut ſcripſiſſet*. Quo pacto deluſus à veteratore Princeps mandat Alexandro Epiſc. CP. ut recipiat publicè Arium: ille in preces totam noctem verſus, exorat Deum, ut ſequenti luce Arius, dum ingenti ſuorum pompa in templum deducitur, torminibus ſubitò correptus, *fœdam animam cum viſceribus fœdo in loco profuderit, documentum omnibus, perjuriis falli homines*

homines poſſe, Deum vindicem non poſſe. Socrates *l.1. cap.38.* Poſt quæ, Sopater etiam præfatus, magicis artibus frumentariarum navium appulſum remorari accuſatus, unde immanis annonæ caritas orta, capite plexus eſt, ſupplicium ventorum ſecundo afflatu, naves provehentium, & magnâ in urbe rerum omnium affluentiâ mox ſequutâ. Inter quæ (*l*) obiit Marcus d. 7. Octobr. ejuſd. anni, Epiſcop. ſui m. 8. d. 21. (*m*) Ordinâſſe fertur, *ut poſt lectum diebus Dominicis Evangelium, ſymbolum Nicænum cantaretur,* Balæus *in eo.* Idem *Univerſalis Epiſcopi* titulum ſibi arrogans & Eccleſiæ ſuæ jura magnificè extollens introducitur, *in Epiſt. ad Athanaſium & Ægypti Epiſcopos* ei tributâ, ſed ſuppoſititiam illam eſſe, vel ex eo colligitur, quòd d. 23. Octobr. ſcripta dicitur, cùm 16. diebus priùs jam obdormierit. Nec magis vero conſonum, quòd Epiſcopo Oſtienſi *Pallium* miſiſſe fertur, docet Joh. le Sueur *in illo,* quem vide, cœteroſque, qui *Pontificum Vitas* poſteritati reliquerunt.

III. JULIUS (n) I.

Diviſo (o) *Imperio, caput extulit hæreſis* (p) *Arî,*
Pulſoq́ innocuo Præſule (q) *læta fuit.*
Hunc ſum cum Patribus (r) *tuitus, verùm obſtitit error,*
Impoſuitque cohors Euſebiana (ſ) *mihi* (t).

ENAR-

Enarratio.

(*n*) Civis Romanus, Marco ſurrogatus eſt, die 27. Octobr. ann. Ch. 336. Conſtantini M. 31. vel, juxta alios, qui ſedem poſt Marci obitum vacâſſe volunt aliquandiu, demum m. Februario, ann. Ch. 337. quo, regimen Eccleſiæ ſuæ vix auſpicato, Conſtantinus pace Sapori, qui præterito anno in Meſopotamiam irruptionem fecerat, datâ, Baſilicam XII. Apoſtolorum Conſtantinopoli, atque in ea tumulum ſibi ſtruxit, translatis eò reliquiis (ut nonnulli volunt) S. Andreæ, S. Lucæ, & S. Timothei, qui tamen mos tunc nondum in uſu: unde nec Euſebius, in deſcriptione hujus ædis, quidquam ea de re habet: Hieronymus quoque in *Chron.* Theodorus Lector, *Chronicon* Alexandr. Philoſtorgius, Calliſtus, Alii, demum ſub Conſtantio Imp. Ariano, translationem illam factam narrant. Inde morbo implicitus, ac ſumma cum lętitia baptizatus in ſuburbio Nicomediæ, piè & placidè obiit. Poſt mortem Patris, inter tres filios (*o*) diviſum Imperium eſt, (*p*) Arianusque ille Presbyter, qui apud Conſtantiam primò, dein Conſtantinum ipſum, tantopere gratiâ florebat, inviolato Imperatoris teſtamento in manus Conſtantii tradito, ſibiq. hac re conciliato, mox per ſe & Euſebium Nicomed. tum Imperatricem, tum ipſum, cum aula totaq; urbe regia, Arianum reddidit: unde brevi perſecutio, & proximorum cædes, ann. C. 337. Bellum ſequutum contra Perſas infelix, niſi quòd ad Niſibin, precibus Jacobi Epiſcopi, agmina hoſtilia per inſecta, & virum quendam divinæ ſpeciei, victa, exclamante Sapore, *Deus propugnat Romanos*, Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 36.* Athanaſius dein, à Conſtantino II. reſtitutus, ann. Ch. 338. ut decretum

tùm à patre ejus fuerat. Verùm, quòd hic fere ſolus incredibili conſtantia, fervore ac magnitudine animi omnium Arianorum telis ac ipſius Imperatoris iracundiæ hactenus ſe oppoſuiſſet, hi ſuperſtite eo fruſtraneas fore omnes ſuas ſpes rati, novis ipſum calumniis, apud Conſtantinum & Conſtantium, Julium quoque Epiſc. Rom. onerare mox cœperunt. Cædes, adulteria, furta, quidquid atrox confingi poterat, ſancto viro objiciebantur: unum verò ingens crimen, quòd ὁμοούσιον vocem defenderet. Sed cùm hactenus fruſtra eſſent, litis arbitrium Julio detulere, qui Synodo Romæ convocata partes eò invitat. Interim Gangrenſi in Paphlagoniâ concilio habito Euſtathii Monachi errores damnati, inter quos, *abſtinentiam à carne ad ſalutem neceſſariam, cælibatum conjugio præferendum, in ſingulari veſtitus genere ſanctimoniam poſitam, inque honorem Dei virgines radi licitum* eſſe, ann. C. 336. Poſt quæ, Cæſareæ Palæſtinæ Euſebio Pamphilo auctori *Hiſtoriæ Eccl.* Acacius ſucceſſit: CPoli verò Alexandrum, ſtrenuum veritatis aſſertorem, anno æt. 98. extinctum Paulus excepit, *ut ætate admodum juvenis, ita prudentiâ & conſilio planè ſenex:* quem tamen mox Euſebius Nicomed. artibus ſuis & Conſtantii favore pepulit. Interea Romam venit Athanaſius, coit Synodus L. Epiſcoporum Occidentis, exſpectantur hoſtes ejus, qui non ſolùm non comparent, ſed & miſſos ad ſe à Julio detinent, an. C. 337. Pergunt itaque Patres Romani, & Athanaſium abſolvunt: ſed Euſebiani Antiochiæ Synodum cogunt XCIX. Epiſcoporum, ac, Conſtantio Imp. præſente, novam fidei formam componunt, acta Nicæna abrogant, Athanaſium deponunt, & Gregorium quendam Arianum ſubſtituunt, eaque de re Julium literis ſatis

morda-

mordacibus monent, ann. C. 341. quo ipſo Antiochia urbs horrendo motu intremuit. Ut verò Gregorius ſede Alexandrinâ faciliùs potiretur, miſſa V.mill. manus, duce Syriano, quæ ipſo Paſchatis die immaniter in orthodoxos ſæviit, Potamone quoque celebri Confeſſore interempto: ſed Athanaſius, *obſeſſa Eccleſiâ, ſalvus in medio canentium exivit*, (*q*) ſecundò exulaturus, Romamque ad Julium ſe recepit, qui mox, Synodo denuo congregatâ, Epiſcopis Orientis, nomine Eccleſiæ Occidentalis, acriter reſpondit, innocentiam Athanaſii pluribus (*r*) tutatus. Euſebio inde, Arianæ factionis anteſignano, CPoli defuncto, Paulus à Catholicis reſumptus, ab Arianis Macedonius ordinatus eſt, cui cùm ſuffragaretur Imperator, Hermogeneque Duce miſſo Paulum pellere niteretur, orto tumultu Hermogenes occiſus, hujusque in pœnam civitati pars annonæ adempta, ac Paulus exilio multatus eſt, qui tamen poſtea, an Julii Epiſc. Rom. ut Socrates & Sozomenus volunt: an Maximini Epiſc. Trevir. ut alii contendunt, commendatione dignitatem recepit, Vide Sozomenum *l. 3. c. 10.* & Joh. le Sueur *ad ann. C. 342.* Poſt quæ novâ Synodo Antiochiæ inſtitutâ, cui omnes ferè Orientis Epiſcopi, non Ariani ſolùm, ſed & orthodoxi, interfuere, novum Symbolum, quod μακρόστιχον dixere, conditum. Sed ab Occidentis Epiſcopis, quòd ὁμοούσιος vox in illo non compareret, rejectum eſt, an.C. 344. Athanaſius *de Synodis*, Socrates *l. 2. c. 19.* & Sozomenus *d. l.* Coloniæ poſteà itidem coacti patres, inter quos Simplicius Epiſc. Auguſtodun. uxoratus erat, Athanaſio præſente, Euphratam Urbis Epiſcopum, quòd *divinitatem Filii* inficiaretur, depoſuerunt, V. *Concil. 1. tom.* innocentem poſtmodum judicatum Synodo

H Sardicen-

Sardicenſi brevi inſequutâ. Athanaſius enim, poſtquam triennium jam Romæ exulâſſet, delatus ad Conſtantem, Synodi cognitionem petiit, ann. Ch. 346. Itaque de Conſtantis voluntate ingens apud Sardicam conventus agitur, (CCC. Occidentalium, Orientales LXXX. confluxere) abſolvuntque Occidentales Athanaſium, Nicænamque confeſſionem confirmant, obnitentibus nequicquam Eois Epiſcopis, qui antiſynodo Philippopoli indictâ in alia omnia ivere. Patres Sardicenſes, quibus Oſius præſidebat, Julium pro more de re, uti geſta erat, certiorem fecere, literis ei *Dilecto Fratri ac Comminiſtro* inſcriptis: conditusque canon eſt, quo Epiſcopi depoſiti, bonæ cauſæ ſibi conſcii, ad eum remittuntur; qui ſic primus impetravit, ut Epiſcoporum in Oriente depoſitorum cauſam ſibi denuo cognoſcere liceret. Sed proteſtati contrà Orientales, ſe κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ, *legem ab eo accipere velle*, negârunt, apud Socratem *Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap.* 17. Inſuper verò ad omnes alios Epiſcopos Eccleſiasque literæ à Synodo miſſæ, ann. Ch. 347. Hinc ſchiſma, & perſecutio ab Arianis excitata, quâ X. præcipui viri Adrianopoli capite plexi, Lucius verò urbis Epiſc. in exilium pulſus eſt. At Conſtans apud fratrem tantum effecit, ut Athanaſius ſedi ſuæ redderetur, qui, literis à Julio ad Clerum & populum Alexandrinum inſtructus, eò reditum paravit, ann. Ch. 348 quo etiam, Synodo Mediolani convocatâ, Photiniani damnati ſunt, Urſacius verò Singidon. & Valens Murſæ Epiſcopi, à Synodi Sardic. Patribus moti, ut reſtituerentur, Arianiſmo ſe renuntiare ſimulârunt. Sed & Donatus cum ſectatoribus à Conſtante pulſus & Eccle-

ſia

ſia Carthaginenſis ab iis liberata eſt, ann. eodem Alexandriam reverſus Athanaſius, Synodum centum Epiſcoporum coëgit, & miſſis ad omnes Eccleſias literis juſtitiam ſuæ cauſæ probatam dedit, ann. Ch. 349. Sed Conſtante, Magnentii inſidiis perempto, totoque ſic Imperio ad unum Conſtantium devoluto, nacti occaſionem Ariani, ann. Ch. 350. conſpirant penitùs Sardicenſis Synodi decreta ſubvertere, revocantque in memoriam Conſtantio, qui milites Ethnicos exauctoratos in pagis circa ea tempora collocavit, (unde *Paganorum* nomen) periculum illi à fratre ipſi ob Athanaſium intentatum, clamantes injuſtè ibi pro Athanaſio judicatum, unde nova magno huic Præſuli tempeſtas imminere, de qua poſtea. Interea Urſacius & Valens, à Julio Rom. veniam erroris poſtulaturi, (*ſ*) ei impoſuerunt, uti diſcimus ex Sozomeno *l. 3. c. 22.* & Hilarii *Fragm.* ann. C. 351. quo Sirmii quoque Synodus contra Photinum habita eſt. Ulteriùs igitur apud Julium inſtantes Ariani, ab illo in communionem quoq; recipi petierunt, quo in negotio occupatus Julius vitâ excedit d. 12. April. ann. Ch. 352. Sedis ann. 15. m. 5. d. 17. Conſtantii Imp. ann. 16. Ternis vicibus ordinavit IX. Epiſcopos, XV. Presbyteros & III. Diaconos: duasque Baſilicas Romæ, alteram prope Forum, alteram in Via Flaminia, ut & 3. cœmeteria diverſis in locis, ſtruxit: plura vide apud Socratem *Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 15.* Gennadium de *Scriptor. Eccleſ.* Platinam, Joh. le Sueur, Alios. (*t*) Eo Romæ ſedente, *Alexandriæ*, adhuc præfuit Athanaſius, cujus hiſtoriam ſuprà dedimus. *Antiochenam* Eccleſiam, poſt Eulalium, Euphronius, Placentius & Stephanus rexere, quo ultimo ob vitia, de quibus Theodoretus *l. 2. c. 9.* remoto, ſucceſſit

Leontius, itidem Arianus, ann. C. 348 *Hieroſolymis*, Maximus præfuit. In CPolitana, Alexandrum excepit Euſebius, Arianorum promachus præcipuus, pulſo Paulo, qui, eo extincto ſedi redditus, mox æmulum Macedonium nactus eſt, non ſine civium 3000. ſanguine cathedrâ potitum, ann. C. 351. Treviris, Maximino Paulinus ſuffectus eſt, anno eod. Ad incrementum Eccleſiæ pertinet, quòd Edicto Impp. Conſtantis & Conſtantii, templa idololatrica intra urbium ſepta clauſa ſunt, ann. Ch. 349. Vide *Cod.* Theodoſ. *l.16. t.8. art.* 3.4. quodque Gallus, à Conſtantio Cæſar dictus, ingenti, initiò zelo in Ethniciſmum extirpandum incubuit, cujus ſpecimen oraculum Daphnæi Apollinis abolitum, ipſeque Conſtantius militiâ arcuit Gentiles, ut vidimus. Sed perſequutionem orthodoxi ab eodem, Arianisque paſſim: omnes verò Chriſtiani in Perſia, à Sapore II. paſſi graviſſimam, ann. C. 343. Julianus etiam Apoſtata 12. ætatis anno jam apparere cœpit, qui Euſebio primùm Nicomed. cujus ſuprà frequens mentio, dein Mardonio Scythâ Ethnico præceptoribus uſus, ab hoc prima Gentiliſmi ſemina hauſit: ſibi verò à Conſtantio timens longè alia profeſſus, Lectoris quoque in Eccleſia munus ſuſcepit, ann. C. 345. poſtea Jamblichi & Ædeſii Philoſophorum, Maximi inprimis magi, converſatione penitùs corruptus, poſt mortem Conſtantis & fratris ſui Galli evectionem, militare cœpit, non ſine fortitudinis multa laude, ann. C. 351. quo Judæorum ſeditio, qui Patricium nefariè in regni ſpecie ſuſtulerant, à Gallo oppreſſa eſt, multis occiſis, ac Diocæſarea, Tiberiade, aliisq; illorum urbibus exuſtis. Quoad Hæreticos, præter jam memoratos, Eccleſiam inſuper turbârunt, Audiani, ab Audio vel Audæo Syro di-

ćti, de quibus Jo. le Sueur *ad an. C.341.* Marcelliani, à Marcello Ancyræ Epiſc. nomen nacti: Photiniani porrò, à Photino Sirm. Epiſc. condemnati Synodo Antiochenâ, ann. C. 344. Mediolanenſi, ann. C. 348. Sirmienſi, ann. C. 350. quam in rem plura apud modò laudatum le Sueur *in Iulio I* ubi inter alia, & *de reliquiis & cadaverum translatione, ad ann. 337. de voce* Miſſa, *de communicantibus & Miſſa ſolitaria, Chorepiſcopis, aliisque,* ad ann. C. 341. non protrita adfert.

IV. LIBERIUS (u).

Primò acer (x) *nimiùm, mox mitior* (y): *exul* (z) *oberro,*
Quòd caſtæ retinens relligionis (a) *eram.*
Felice (b) *oppoſito labor* (c), *tandemque reſurgo* (d),
Atque Arî toto pectore damno (e) *ſcelus* (f).

ENARRATIO.

(*u*) PAtriâ Romanus, Julio ſuffectus, ann. C. 352. Conſtantii 16. de ſuo ſedisque ſuæ honore fore ratus, ſi arbitrium cauſæ contra Athanaſium, ab Arianis deceſſori delatum, ſibi ſumeret, mox ut dignitatem adeptus eſt, Athanaſium ad dicendam cauſam Romam vocavit, (*x*) non parenti anathema dixit, ut videre eſt in Hilarii *Fragm.* Verùm, audito Athanaſium in ſede ſua confirmatum, Synodo in Ægypto LXXV. vel LXXX. Epiſc. congre-

gatâ, (y) amicitiam ei, ut veteri amico, ſimulque confeſſionem fidei ſuæ, cui ſubſcriberet, obtulit: breviqúe pòſt Romæ Patribus in Synodum coactis, in communionem eum, rejectis Arianis, recepit, ann. C. 352. Poſt quæ, victo Magnentio, elarior Conſtantius (cujus indicium, quòd inter alia *Æternitatis ſuæ* titulum ſibi ſumſit, ſalsè Arianos ridente Athanaſio, *quòd Cæſari æternitatem tribuerent, quam Filio Dei negarent*) templa quidem idololatrica, quæ Magnentius reſeraverat, denuo obſerari juſſit, at Arianiſmum acriùs, quàm antea, propugnaturus, contra Athanaſium Arelati Synodum convocavit, ubi Vincentius Epiſcopus Capuanus, Liberii legatus, unà cum pluribus aliis Epiſcopis cœtera orthodoxis, minis Imperatoris, ab Urſacio & Valente inſtigati, territus, condemnationi innocentis ſubſcripſit: cœteris, inter quos Paulinus Trevir. in exilium miſſis, ann. Ch. 353. Quâ legati prævaricatione graviter commotus Liberius literis ad Conſtantium, tum bello Germanico occupatum, per Luciferum Calaritan. Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum miſſis, ut tanti momenti cauſa in libero Concilio diſceptaretur, ſubmiſsè petiit, ſimulque ad Euſebium Epiſc. Vercellenſem, ut ſe illis jungeret, ſcripſit: quibus Imperator annuit, in ſequentem annum Patres ſe convocaturum pollicitus, an. C. 354. Mediolani itaque coiit Synodus CCC. Epiſcoporum Occid. paucorum verò Orientis, in quâ, præſidente Conſtantio & pro Arianis unicè ſatagente, Euſebius præfatus, Paulinus Trevir. Dionyſius Mediolan. Lucifer Sardorum, Pancratius it. & Hilarius, legati Liberii, quòd conſentire erroribus & Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſarent, in exilium

lium ſunt pulſi: quos omnes Liberius per literas ſolatus eſt. Quia verò in hoc, utpote principis urbis Epiſcopo, magnum cauſæ momentum poſitum eſſe nóſſent, eum omni ratione in partes pertrahere niſi ſunt Ariani. Muneribus igitur eum aggreſſus Conſtantius, cùm fruſtra ſe eſſe videret, illum Româ accerſitum verbis terrere conatus, inter alia ad eum, *Quota*, inquit, *pars tu es orbis terrarum, qui ſolus facis cum homine ſcelerato?* Sed reſponſum tulit, *Non diminuitur ſolitudine meâ verbum fidei, nam & olim tres ſolùm inventi fuere, qui edicto reſiſterent.* Quare (z) Berœam Thraciæ, (a) ob fidem conſtanter defenſam, relegatus Liberius, ubi Patrophilus Arianus Eccleſiam regebat, eique (b) Felix Diaconus, qui in palatio Imperatoris, tribus Eunuchis præſentibus, à totidem Epiſcopis Arianis manuum impoſitionem accepit, ſurrogatus eſt, ann. Ch. 355. fruſtra pro Liberio, apud Conſtantium, dum Romæ eſſet, deprecantibus illuſtribus matronis, ann. C. 356. quo ipſo Athanaſius Alexandriâ denuo pulſus, & Oſius in exilium actus eſt, priori ſurrogato Georgio Cappadoce, homine truci, & *qui crudeliùs, quàm ulla fera beſtia, in ovile Domini graſſabatur*: ut mirari ſubeat, ut Sanctum hodie coli. Et hactenus quidem, quà vi quà fraude, magna etiam Occidentis Epiſcoporum pars Arianis acceſſit, Concilium illis deerat, quod doctrinam eorum adprobaret. Sirmium proin congregati Patres, qui maximam partem Ariani vel ſaltem Semiariani fuere, Photinum quidem, Artemonis errore renovato, *nullum Chriſti initium, niſi è virgine Maria humanum*, ducentem, denuo condemnârunt: cœtera Confeſſionem fidei ediderunt, eâ, quam ſexennio priùs publicaverant,

longè deteriorem, ut in quâ non ὁμοούσιον ſolùm, ſed ne ὁμοιούσιον quidem, Patri Filium agnoſcere ampliùs voluerunt, ἀνομοιότητα illi tribuentes, unde *Anomæi* dicti, quotquot huic formulæ ſubſcripſere: quales fuerunt omnes Epiſcopi præſentes, abſentiumque, quibus hoc Concilii velut univerſalis decretum per literas ſignificabatur, non pauci. Oſii hic præprimis miſerandus lapſus; & (*c*) Liberii, qui, exilii moleſtiis fractus, adverſariis tandem manus dedit, & condemnationem Athanaſii ac Sirmienſe Symbolum ſubſcriptione ſua ſignavit, literis hac de re ad Conſtantium, per Fortunatianum Epiſc. Aquilej. moxque ad omnes Orientis, Illyrici ac Italiæ Epiſcopos, quaquaverſum datis: ab Hilario Pictavienſi hinc diris devotus hiſce, *Hæc eſt perfidia Ariana! Anathema tibi à me dictum, Liberi & ſociis tuis! Iterum tibi anathema, & tertiò, prævaricator Liberi!* Nec his contentus, cum Epicteto porrò Epiſc. Centumcell. & Auxentio Mediol. Hæreticis peſſimis communicavit, ann. C. 357. quo ipſo Hilarius Epiſc. Pictav. in exilium actus, Dionyſius verò Mediol. & Paulinus Trevir. Epiſcopi, in eo defuncti, conſtantiæ immortale elogium retulerunt. Sed jam ipſi Ariani in diverſas ſententias ſectasque abierunt: adeò, cùm una ſit veritas, nunquam ſua mendaciis ratio conſtare poteſt. Quidam enim cum Ario, Filium ἐξ οὐκ ὄντων factum, ac Patri per omnia ἀνόμοιον, diſſimilem dicebant, ut Acacius Cæſareæ, Urſacius Tyri, Eudoxius CPolis, Aëtius Athenarum & Eunomius Cyzici Epiſcopi. Contrà alii anathema denuntiabant iis, qui Filium Patri diſſimilem aſſerebant: quorum illi *Exucontiani* aliisque nominibus ab Auctoribus acceptis, hi *Semi-Ariani* & *Eudoxiani* appellati ſunt. Certè non pauci, Sirmienſis

Syno-

Synodi decretis offenſi, de novo congregati Ancyræ, τὸ ὁμοιούσιον ſtabiliverunt, eoque permoverunt Imperatorem, ut, Sirmienſi formulâ abolitâ, Ancyranæ omnes ſubſcribere juſſerit, anno eod. Ad Liberium ut redeamus, literis Imperatoriis ad Senatum inſtructus Romam rediit, d. 2. Aug. ſed quòd à Presbyteris, Clero & populo non reciperetur, utpote qui Felici Nicænam fidem profeſſo arctè adhærerent, perſecutio Romæ non exigua orta, cujus furore pulſus Felix Cære confugit, ibique confoſſus eſt, d. 11. Nov. clam in Baſilica, quam in via Aureliana ſtruxerat, ſepultus, d. 20. menſis ejuſd. & inter Martyres poſtmodum relatus, uti ex *Martyrol.* patet. Nec hîc ceſſatum, ſed Euſebius Presbyter quoque in carcere fame enectus eſt. Quibus dum mirè res Romana turbatur, Liberius (*d*) ad ſe reverſus, primùm renuntiare Arianorum communioni, dein publicè hæreſin ejurare, amplecti contrà Felicis familiares cœpit, & quoſcunque ille ordinaverat, gratos habere, Joh. le Sueur *ad ann. C. 358.* Secuta Concilia Arimini & Seleuciæ, quorum illud primò pro Concilio Nicæno, hoc contrà, decrevit. In progreſſu verò, Ariani obtendentes palàm Eccleſiæ nomen ſpecioſum & ſæpe fallax, multos Occidentalium, non intelligentes vim vocis ὁμοούσιος, deceperunt. Itaque cùm Urſacius & Valens contenderent, *Obtineri facilè pacem poſſe, ſine ulla fidei mutatione, modò voces quædam tollerentur, quæ infirmis eſſent offendiculo,* ut οὐσία, ὁμοούσιος, ὑπόστασις, *præſertim cùm αὐτολεξεὶ in Scriptura non reperiantur,* accedentibus Imperatoris minis, maxima pars doloſæ Arianorum formulæ nomen dedit, tumque pulſis in exilium orthodoxis totius orbis Chriſtiani ſequuta eſt defectio, & *totus ingemuit Orbis, ac ſe*

Arianum eſſe miratus eſt. Hieronym. Liberius verò, ſeriâ priorum pœnitentiâ ductus, latere in cœmeteriis ſuburbanis, uſque ad mortem Conſtantii, (*e*) quàm formulam hanc admittere, maluit, ann. Ch. 359. 361. Defuncto Conſtantio, & Juliano ad Imperium evecto, Alexandrinæ ſedi, poſt occiſum ab idololatris Georgium, Athanaſius redditus, Alexandriæ Synodo actâ (cui Euſebius Vercell. ab exilio rediens interfuit) Concilii Nicæni fidem confirmavit, *Spiritum S. Patri & Filio ὁμοούσιον confeſſus, ac Trinitatem nominavit*, vide Socratem *l.* 3. *c.* 7. & 8. Sozomenum *l.* 5. *c.* 11. Alios. At mox, Juliani juſſu, quartùm exulare juſſus, populum, Præſulis diſceſſu mœſtum, *nebulæ hujus brevi tranſituræ* prædictione ſolatus eſt, ann. C. 362. nec defuit eventus. Juliano extincto, Jovianus de exilio Epiſcopos, hosque inter Athanaſium revocavit, exque ejus conſilio, poſtquam Synodum Alexandriæ convocâſſet, confirmato Nicæno Symbolo, Præſidibus & Epiſcopis imperavit, *divinum Numen ſtudioſè colerent, docerentque ſuos, ſolùm religionem Chriſtianam verum Dei cultum in ſe complecti*, Sozom. *l.* 6. *c.* 5. Habitâ quoque Antiochiæ Synodo Meletius τὸ ὁμοούσιον confirmavit, ann. Ch. 363. Verùm Jovianus, tantùm oſtenſus Eccleſiis, brevi deceſſit Valentiniano I. ſucceſſore, qui unà cum Valente fratre & collega, publico Edicto Religionum libertatem promulgavit: celebrataque ſub eo Synodus Laodicena, cujus decreta Concilio Conſtantinopolitano poſtmodum rata habita ſunt, ann. Ch. 364. Auxentio dein, Mediolani pro lubitu dominanti, oppoſuere ſe Euſebius Vercell. & Hilarius Pictav. hicque præſertim, ſed incaſsùm. Secuta Synodus Lampſacena, in qua Macedo-

cedoniani (ut & Semi-Arianorum nonnulli) ſe orthodoxis contra Arianos junxerunt, ſed ut fraude hac caput altiùs tollerent, ann. Ch. 365. Mox omnes Synodi hujus Patres à Valente Imperat. acriter impetiti, literis ad Valentinianum, & Præſules Eccleſiæ Occiduæ, Liberium inprimis, datis, protectionem ac communionem rogârunt, confeſſioneque ſua Liberio *comminiſtro*, Græc. Συλλειτουργῷ, inſcriptâ oblataque impetrârunt, inde à Siculis Præſulibus eadem humanitate recepti, ann. Ch. 366. Poſt quæ deceſſit Liberius, die 24. Sept. ann. Ch. 367. Epiſcopes ſuæ ann. 15. menſ. 4. Valentiniani & Valentis ann. 4. Binis vicibus ordinavit XIX. Epiſcopos, XVIII. Presbyteros & V. Diaconos: plura vide apud Athanaſium *Epiſt. ad Solitar. Apolog. I.* Epiphanium *Hær. 57. c. 2.* Baſilium *Epiſt. 74.* Theodoretum, Hieronymum *Chron. ad ann. 352.* & *de Script. Eccl. c. 97.* Hilarium *ad Conſtant.* Liberium ipſum *Epiſt. ad Orient.* apud Hilarium *in Fragm.* Damaſum *Vitâ Liberii*, Alios. (*f*) Eo Rom. Eccleſiam moderante, *Alexandriæ* adhuc Athanaſius Domini gregem paſcebat, ſed eâ rerum viciſſitudine, quam vidimus. In *Antiochena*, præfuere Eudoxius, hocque CPolim translato, Meletius, cui Ariani oppoſuere Euzoium, ann. Ch. 360. quo ſchiſmate in reditu ab exilio reperto, Lucifer Calarit. Paulinum tertium creavit, de quo vide le Sueur *ad an. C. 362. Hieroſolymis*, Maximo Cyrillus ſucceſſit, an. C. 353. CPoli Eudoxius Antiochiâ vocatus, ann. C. 357 &c. Cœterùm Auguſtinus naſcitur, an. C. 354. floretq; Firmicus circa idem tempus: Vulphilas Gothorum Epiſc. intereſt Synodo CP. ubi Arianâ hæreſi inficitur, an. C. 359. Baſilius, Monachorum caput circa a. 362. De perſecutione orthodoxorũ ſub Con-

 ſtantio

ſtantio diximus: poſt eum Julianus, qui factus Cæſar, ann. 355. (quo ipſo Athenis Philoſophos & Mathematicos præſtantiſſimos, ſed Ethnicos pleroſque, audivit) ab exercitu verò Auguſtus proclamatus eſt, ann. C. 360. mox Gentiliſmum palàm profiteri, templaque Deorum aperire cœpit, ann. Ch. 361. variis dein artibus Chriſtianam fidem exſcindere aggreſſus, immanem inſuper ſævitiam exercuit, Cæſareæ Cappad. inprimis, ut & in Galatia, Phrygia, alibique: porrò Antiochiæ, Gazæ, Aſcalone, Sebaſte, Heliopoli, Alexandriæ, &c. in Occidente non minùs paſſim, ann. C. 362. Sub Joviniano verò & Valentiniano I. lætior ubique facies, Hæretici, præter Arianos, Aëtius Macedonius, Eunomius, Euchitæ ſeu Meſſaliani, Luciferiani, aliique Eccleſiam turbârunt: de quibus omnibus vide Joh. le Sueur, qui etiam de *Solitariis*, *ad annum C. 353. de Reliquiis, ad ann. 358. & 359. de Chriſmate dupliciq́ue in Baptiſmo unctione*, *Agapis*, *invocatione Angelorum*, *Quadrageſima*, &c. *ad ann. C. 364.* de duplici porrò *Apollinari*, *ad ann. 362.* & *Serapione Eremita, ad ann. C. 365.* variis tandem Synodis, tempore Liberii paſſim habitis, eruditè diſſerit.

V. FELIX

V. FELIX (g) II.

Exulis (h) *eſſe loco voluit me Cæſaris* (i) *aura,*
Verùm averſata (k) *eſt me pia turba ſequi.*
Mox lapſi (l) *& reducis* (m) *contrà pertæſa Liberî*
Me (n) *probat: aſt pulſus* (o), *militis enſe necor* (p).

ENARRATIO.

(*g*) Diaconus Eccl. Rom. (*h*) pulſo in exilium Liberio ann. Ch. 355. Liberii 4. ab Arianis ſurrogatus, in palatio (*i*) Conſtantii Imp. à 3. Epiſcopis Hæreticis impoſitionem manuum accepit; quod *Schiſma II.* in Eccleſia Rom. fuit: (*k*) unde pro legitimo Paſtore à populo agnitus non eſt, quamvis aliàs Nicenæ fidei perpetuò adhæreret, neque alterius criminis, quàm quòd cum Arianis communicaret, & Epiſcopos Presbyteroſque eorum aliquos creaverit, argui poſſet. (*l*) Lapſu verò Liberii inſequuto, hocque armatâ manu (*m*) in ſedem reducto, Clerus populuſque averſati Liberium (*n*) arctiùs ſe Felici junxerunt, quòd contra Arianos fidem acriter defenderet. Unde gravis in urbe tumultus ortus (*o*) coactuſque cedere Felix Cære ſe recepit, ubi milites eum perſecuti è latebris extractum (*p*) interemerunt, d. 11. Nov. ann. C. 358. uti ſuprà diximus, in Martyrum hinc loco hodieque habitum. Sunt tamen, qui poſt fugam ex urbe

integrum octennium ſupervixiſſe, nec niſi d. 29. Novemb. ann. Ch. 365. obiiſſe tradant. Vide Socratem *Hiſtor. Eccleſ. lib. 2.* Sozomenum *lib. 4.* Theodoretum *lib. 2.* Hieronymum *de Script. in Acac.* Optatum Milevitanum, Alios: & de Liberii lapſu plura apud Larroquanum *Diſſertat. de Liberii Arianiſmo.* Ut verò ad ſe rediit Liberius, non ſolùm Felicis acta omnia habuit rata, ſed & Damaſum, Felici intimè familiarem, Vicarium ſuum conſtituit, de quo mox plura. Vide Joh. le Sueur præfatum *ad annum Ch. 358.* & quæ retro dicta in *Liberio.*

VI. DAMASUS (q) I.

Hæreticos (r) *Oriens, luxum* (ſ) *faſtumque* (t) *doloſq;* (u).
Occiduo (x) *queritur ſubdita terra polo.*
Vi ſedem expugnat (y) *Damaſus, ſacrâ æmulus* (z) *æde*
Pellitur, & multo ſanguine templa (a) *madent* (b).

ENARRATIO.

(q) GEnte Hiſpanus, gradu Diaconus, ætat. anno 62 Chriſti 367. Valentiniani & Valentis Impp. 4. Liberio, qui eum Vicarium ſuum conſtituerat, ſucceſſit: eo tempore, quo Orientales Eccleſiæ (r) cum Hæreticis varii generis conflictari neceſſe habebant, in Romana verò vitia

ex diutina pace oriri ſolita velut facto agmine prorupere. Certè Ammianus Marcellinus, ſuperſtitionis homo Ethnicæ, non abnuit, Epiſcopatus Romani cupidos omni conſentione laterum jurgari debuiſſe, cùm, inquit, adepti futuri ſint ita (*ſ*) ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut *eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterunt*, pergit, *beati revera, ſi, magnitudine urbis deſpectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtium quorundam provincialium viverent; quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuò Numini veriſque ejus cultoribus, ut puros, commendat & verecundos, lib.* 29. Unde Prætextatum Præf. urbis *B. Papæ Damaſo ludentem dicere* ſolitum eſſe, *Facite me Romæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus*, teſtis eſt Hieronymus *Epiſt.* 61. cui etiam (*t*) ambitio & faſtus horum Præſulum nauſeam ita movit, ut non obſcurè in illa Eccleſia Babylonem commonſtraverit, *Epiſt. ad Marcellam*, ubi Paulam & Euſtochium eam compellantes introducit; & liberiùs *Præfat. in libros Didymi, de Spiritu S.* & nota Baſilii illa Δυτικὴ ὀφρῦς, *Occidentale* illud *ſupercilium, Epiſt.* 10. qui etiam alibi de Eccleſia Romana, *Odi*, inquit, *faſtum illius Eccleſiæ*, obſervante Baronio *ad annum Ch.* 372. §. 32. (*u*) Porrò Cleri tum Rom. in emungendis hominibus ambiendisque ſeniorum virorum & fœminarum legatis artes turpiaque officia, graviter idem Hieronymus exagitat, *ad Euſtochium Epiſt.* 22. *ad Nepot.* 2. qua de re mox Legem videbimus Impp. Atque hic erat tum (*x*) Rom. Eccleſiæ, adde & Mediolanenſis,

ſtatus,

ſtatus, cùm Damaſus ſedem conſcendit. Quia enim ille de factione Felicis erat, diviſo in partes Clero populoque, Urſinus ſeu Urſicinus, Diaconus quoque, ei oppoſitus eſt: in quibus ambobus *portenti ſimilis ambitio enituit. Hi enim — ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis acerrimè depugnabant, ad uſque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriusque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Viventius Quæſitor Palatii, nec mollire, vi magnâ coactus ſeceſſit in ſuburbanum: &* (*y*) *in concertatione ſuperavit Damaſus, parte, quæ ei favebat, inſtante. Conſtatque in Baſilica Sicinini* (ubi Urſicinus ordinabatur ab Epiſc. Tiburtino) *uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum efferatamque diu plebem ægrè poſtea delinitam*, Joh. Cluverus *in Valentiniano & Val.* ex Socrate *l. 4. c. 24. 25.* Ruffino *l. 2. c. 10.* & Marcellino *l. 27.* Unde Liber *Pontificalis* in ſede collocatum Damaſum dicit, *quia fortior, & plurima cum eo multitudo erat.* Severiſſimæque proin de Laicis Clericisque à Magiſtratu Urbis quæſtiones habitæ, & (*z*) Urſicinus, cum omnibus ſuis, juſſu Imperatoris, urbe pulſus eſt: mox tamen ejus permiſſu in illam rediit; atque in ſuburbiis ſegrege cœtu inſtituto, *Schiſma* continuavit, an. C. 368. Sic itaq; vicit Damaſus, (*a*) poſtquam *humano ſanguine repleta fuerunt Orationum loca*, uti Ruffinus auctor coævus ſcribit *d. l.* (*b*) Quia verò Urſicinus turbare non deſiit, Valentinianus Olybrio urbis Præfecto, ut eum ad 20. m. p. urbe arceret, in mandatis dedit, qui ne ſic quidem coërceri ſe paſſus Damaſum adulterii inſimulavit, ſed abſolutum Synodo XLIV. Epiſcoporum, qui accuſatores, Caſtorium & Concordium Diaconos, communione excluſerunt: etiam Marcellino & Fauſtino Diaconis, qui

Damaſi famam ſcriptis lacerabant, in Schiſmaticorum cenſum relatis. In ſede verò confirmatus Damaſus, Synodo Romæ habitâ, Urſacium & Valentem, cum ſectatoribus ſuis, anathemate feriit: Auxentium non auſus, ut cui Valentinianum favere nôſſet. Quare ab Athanaſio monitus, alteram Synodum coëgit XC. Epiſcoporum, quâ *Auxentius nominatim damnatus & Nicæna Fides ſtabilita eſt*, Valentiniano Patrum decreta approbante, ann. C. 369. quo ipſo Illyrici Præſules congregati eadem cum Rom. Synodo ſancivere. A' Baſilio dein, qui Eccleſias Orientis, partim Valentis perſecutione diſſipatas, partim ſententiis in fide à ſe invicem diſſidentes, in meliorem ſtatum omni ope reducere annitebatur, compellatus Damaſus, ut vel nomine Diœceſeos Romanæ, vel, ſi Synodus cogi non poſſet, ſuo ſaltem nomine mitteret, qui Orientales viſerent Eccleſias, & præſentes ſtatum earum cognoſcerent, Baſilio reſponſum non dedit: an metu Valentis, ne ille Urſicino patrocinaretur: an ſenectutis tædio: an quòd Orientalibus, Baſilio inprimis, Meletii Antiocheni contra Paulinum Epiſc. cui Damaſus favebat, partes amplexo, eſſet ſubiratus. Sed & ſuſpectum Baſilium habebat Damaſus, quòd ille *tres hypoſtaſes* in Deitate admitteret, *tres eſſentias* eas interpretatus. Remiſit ergo illi literas ſuas, per eundem, qui attulerat, Evagrium, ſimulque formulam præſcripſit, quam Baſilius ſequeretur: cui cùm hic agendi modus paulò imperioſior videretur, Damaſo in poſterum ſcribere ſuperſedit, Athanaſium tamen, ut à Damaſo legatos obtineret, quos in uſum Eccleſiarum afflictarum petiverat, precatus. Vide *Epiſt. ejus 10. 57.* & *250.* querelarum plenas. Quia verò, ab Epiſcopis Galliarum, & VII. provinciarum,

ciarum ad diœceſin Italicam, oppoſitè ad Romanam, pertinentium, idem literis contenderat Baſilius, hi ei humaniter reſcripſerunt, Meletium ſe probare ſignificantes, eumque per literas ac Presbyterum Sanctiſſimum & Sabinum Diaconum, è numero ſuo deputatos, ſolati ſunt, ut videre eſt *in Epiſt. 58. 61.* & *69.* Sequuta Imppp. Valentiniani, Valentis & Gratiani Lex Damaſo inſcripta, quam in *Codice Theodoſ. l. 16. de Epiſcop. & Cler.* videre eſt. Cùm enim inſatiabilis jam videretur Clericorum avaritia, prohibent Imppp. *Ne Eccleſiaſtici, vel, qui volunt Continentium ſe nominibus nuncupari, viduarum ac pupillarum domos adeant. Ut nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu Religionis adjunxerunt, liberalitate quacunque, vel extremo judicio, poſſint adipiſci,* — *Quin*, ajunt, *ſi fortè poſt admonitionem legis noſtræ aliquid his de fœminis, vel donatione, vel extremo judicio, putaverint relinquendum, id fiſcus uſurpet. Lecta in Eccleſiis Romæ.* Unde mores & corruptio Cleri tum Rom. liquet, magis verò ex Hieronymi *Epiſtolâ ad Euſtochium* & *Nepot.* ubi ille hanc Legem citat commendatque: nec non ex *L. Imperatorum Valentiniani, Theodoſii & Arcadii, l. 27. de Epiſcopis & Clericis, in Codice Theod.* ubi priorem ingeminant eique novum robur addunt, lata autem illa eſt ann. Ch. 370. Hieronymus poſt hæc, ab Orientalibus ſolicitatus, ut in Deitate *tres Hypoſtaſes* (ſicut Synodo Alexandrinâ definitum erat) ſecum confiteretur, non annuit, ut qui tres quidem Perſonas agnoſceret, *Hypoſtaſin* verò Romanæ Eccleſiæ more *eſſentiam* interpretaretur, ſcripſitque ea de re ad Damaſum, *Epiſt. 57.* & *58.* qui tamen liti huic ſe miſcere noluit. Interea non ceſſavit Urſi-

cini

cini ſchiſma, qui permiſſu Imperatoris è Gallia, quò relegatus fuerat, in Italiam rediit, urbe tamen & ſuburbiis prohibitus, ann. Ch. 371. Cùm dein Apollinaris, novam hæreſin orſus, inter alia doceret, *in natura Chriſti humana loco animæ divinitatem eſſe*, eumque contra inſurgerent ſancti Patres, Athanaſius *Epiſt. ad Epictetum Corinth.* Baſilius *Epiſt. 59. 74. 79. 82. & 293.* Ephremus, Epiphanius, Alii: Damaſus, Synodo convocatâ Romæ, cui Petrus Alexandrinus interfuit, eundem Apollinarem, cum Timotheo, præcipuo diſcipulorum ejus, damnavit, ann. C. 373. Quia verò Urſicini factio nullam occaſionem Damaſo nocendi prætermittebat, idoneum conſiliis ſuis nacti Judæum quendam, Iſaaci nomine, per eum novis calumniis oneratum Damaſum ad Magiſtratus Rom. tribunal rapuerunt, ſed causâ ejus in Synodo, cui Ambroſius quoque præſens fuit, examinatâ, illoque innocente deprehenſo, Patres ſupplicârunt Imppp. ut accuſatorum licentiæ fibula imponeretur, cœterùm paratum eſſe Damaſum Judicio Imperatorio, ad exemplum Sylveſtri, & Apoſtolorum ipſorummet, ſe ſubmittere ſignificârunt, an. C. 378. Edicto poſtea contra Hæreticos publicato Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, ut omnes Imperio ſuo ſubjecti religionem unam, veram ſcil. illam, quam Petrus dederit Romanis, quamque *Damaſus & Petrus Alexandrinus, vir ſanctitatis Apoſtolicæ*, ſequantur, juxta doctrinam nempe Apoſtolicam & Evangelicam, ſibi curæ habeant ac profiteantur ſtatuére, uti pluribus legere eſt in *Cod. Theodoſ.* anno Chr. 380. Inde *Concilio II. Oecumenico Conſtantinopolitano I.* quod Theodoſius indixit, Nectarius verò Epiſcopus CP. mode-

moderatus eſt, Patres Synodi Nicænæ veſtigia relegerunt, provincias diſſidiis vitandis partiti ſunt, & Sedi CP. (quæ hactenus Heracleenſi Metropolitano ſubfuerat) *privilegia honoris poſt Romanum Epiſcopum*, eo argumento, quòd CPolis *nova Roma* eſſe, decreverunt, ut fuſiùs Socrates *Hiſtor. Eccl. l. 5. cap.8.* & Sozomenus *l.7. c.9.* narrant: quæ quidem πρεσβεῖα τιμῆς, *privilegia honoris*, non tam ad prærogativam *poteſtatis* (quæ demum Chalcedonenſi Synodo acceſſit) quàm *dignitatis* referenda eſſe, oſtendit Beveregius *Obſervat. ad can. 3.* Alia inſuper conſtituerunt, uti inter alia de Paulino Antiochiæ non recipiendo, quæ Damaſo placuere minùs, cujus ne Legatus quidem Concilio intervenerat, ann. C.381. Vide infrà quoque. Quare, cùm Paulinus Romam confugeret, maxima pars Præſulum Occidentis coierunt, Damaſus, Ambroſius, Britto, Valerianus, Aſcholius, Amenius, Baſilius aliique, qui cùm ab Orientalibus Epiſcopis impetrare non poſſent, ut Flavianus removeretur, manſit Paulinus Romæ, hoſpitio Paulæ uſus, quæ Hieronymi *Epiſtolis* inclaruit, ann. C. 382. Fame poſt hæc immani in Urbe graſſante, Symmachus urbis Præf. qui culpam ejus Valentiniano imputaverat, quòd Sacerdotes Ethnicos Virginesque Veſtales reditibus ſuis denudâſſet, ann. C.383. pro Ethniciſmo apud Imperatorem, intercedere auſus eſt, ſed ex conſilio Ambroſii fruſtra fuit, ann. C.383. quo ipſo Damaſus obiit m. Dec. Epiſcopatûs ſui anno ferme 18. Valentiniani II. anno 9. & Theodoſii I. 6. inter Scriptores Eccleſ. ab Hieronymo, qui ei à ſecretis fuit, relatus, cujus tamen nihil ſupereſt, præter Epiſtolas quaſdam, Hieronymianis interſertas, & Theodoreto memoratas *l. 2. c.22.* ac *l. 5. c. 10.* & 11. nec

nec non *Poëmata* nonnulla, quæ prodierunt Romæ an. C. 1639. *Hiſtoria* verò *Pontificum*, quæ nomen ejus præfert, auctorem longè eo recentiorem habet, ut inter Eruditos conſtat. Quinis vicibus creavit XXXI. Presbyteros, XII. Diaconos, & LX. Epiſcopos, templaque nonnulla ædesque alias magnificas condidit. Inſuper *in Occidentem pſalmodias introduxiſſe*, primusque *Alleluja* in Eccleſia cani juſſiſſe: porrò *Gloria Patri* in fine Pſalmorum addi voluiſſe, aliaque inſuper inſtituiſſe, legitur in *Decretalibus Epiſtolis*, ab Iſidoro Mercatore ſub illius nomine editis, ſed ſuppoſititias eas eſſe, vix eſt hodie qui inficias eat. Plura de rebus ejus, vide apud Marcell. *lib. de Schiſmate Damaſi & Urſicini*, apud Baronium *Annal. tom. 3. & 4. ad ann. 357 & 367.* & in Bibliotheca Venet. Ambroſium *Epiſt. 30.* Optatum *l. 2.* Auguſtinum *Epiſt. 164.* Ruffinum *l. 2. c. 10.* Socratem *lib. 4. c. 24.* Hieronymum *Chron. ad ann. 369.* Anaſtaſium, Luitprandum, Albonem Floriac. Platinam & Ciacconium *in Damaſo*, Voſſium *de Hiſtor. Lat. l. 2. c. 8.* Alios. Ejus ætate, in *Alexandrina*, Athanaſius quintùm, ſæviente in orthodoxos Valente, cedit, ſed mox ejuſdem mandato revocatur, ann. Ch. 370. & ad beatiores ſedes transfertur, ann. Ch. 371. poſtquam Eccleſiam illam rexiſſet annos 46. Suffectus ei Petrus, mox Valentis imperio inde cedere coactus eſt, qui proin ſe Romam recepit ad Damaſum, *ὡς πρὸς ὁμόδοξον*, ut Sozomenus ait *lib. 6. c. 19.* anno eod. ibique permanſit, donec ab eodem Valente reſtitutus eſt, ann. Ch. 377. obiit ann. C. 380. ſucceſſore Timotheo. *Antiochenam* Eccleſiam Meletius regebat adhuc, inde Valentis Imp. juſſu pulſus & in Armeniam relegatus, ann. C. 370. qui Imp. ut Euzojo Epiſc. Ariano in eadem urbe Dorotheus ejuſdem

dem ſectæ ſurrogaretur, dedit operam, ann. C. 376. Sed ſub Gratiano reverſus Meletius, ſedem tenuit uſque ad ann. C. 381. quo, extincto ei, ſucceſſit Flavianus. *Hieroſolymitanam* adhuc Cyrillus moderabatur. CPoli, in Eudoxii locum ab Arianis Demophilus, ab orthodoxis Evagrius ſubſtitutus eſt, ann. C. 370. Gregorius dein Nazianz. qui Eccleſiam illam denuo ordinavit, ann. C. 379. Concilii decreto ejus regimen ſuſcepit, moxque, cùm Timotheum Alexandr. alioſque nonnullos adverſarios nactus eſſet, ſponte ceſſit, eique Nectarius ſurrogatus eſt, an C. 381. Mediolani, cùm non minor eam Eccleſiam ac Romanam, ambitio afflâſſet, Ambroſius urbis Præf. ad comprimendam ſeditionem à Valentiniano deſtinatus, ſubitò omnium conſenſu Epiſcopus expetitus, initiatuſque Baptiſmo ſimul & myſteriorum diſpenſationi, frequentiſſimi populi curam ingenti famâ gerere cœpit, an. C. 374. Cœterùm Viri tum complures ſanctitate ac eruditione illuſtres fuere: è quibus, obiit Hilarius Pictav. Epiſc. uxoratus, an. C. 367. Hilarion, magni in deſertis Orientis nominis, Antonii diſcipulus, an. C. 373. Baſilius & Ephræmus, an. C. 378. Sub Imp. Eccleſiæ ſtatus varius, in Oriente Valens orthodoxos mirè exagitavit, ab an. C. 370. uſq; ad ann. 378. quo, illo occiſo, iis pacem dedit Gratianus. Concilio dein CPoli habito, Macedoniani & Apollinariſtæ condemnati, ac fides Concilii Nicæni ſtabilita eſt, ſub Theodoſio M. an. C. 381. Etiam ad Agarenos, qui obliterandæ ignobilitatis causâ *Saracenos* ſe dixere, doctrinæ Evang. lumen pervenit, Moſis Monachi miniſterio, an. C. 377. Hæreticos Schiſmaticoſque quod attinet, Donatiſtæ auctori ſuo Donato mortuo ſurrogârunt Carum, an. C. 368. Ariani, Gothos inficiunt, ann. C. 373. inſolentes admodum

ſunt,

ſunt, ac Juſtinam, Valentiniani Jun. matrem, fautricem habent, an. C. 380 præterquos pacem Eccleſię turbant Apollinaris, Paſſalorynchitæ, Autotyritæ, Aſcodrogitæ, Helvidius præcipuè Auxentii diſcip. Collyridiani, Hydroparaſtatæ, ſeu Aquatici, circa ann. C. 373. Priſcillianiſtæ, an. C. 381. quibus accenſendus Jovinianus, Hieronymo refutatus *lib. 2.* qui tamen in illum paulò acrior eſſe videtur, qua de re Joh. le Sueur *ad ann. C. 382.* qui etiam *de Altaribus in vet. Eccleſia, ad an. C. 368. de Adoratione SS. & Angelorum, honore item debito B. Virgini, ad an. 393. de Simeone Stylita, Imaginum in Eccleſia origine, feſtivalibus item epulis, ad an. C. 379. de Virgin. ac Conjugio, Hieronymique complures fœminas ad Monachatum pellicientis ſtudio, ad an. C. 382.* præclara habet.

VII. SYRICIUS (c).

Orbatæ admoto (d) *cathedræ, cum conjuge* (e) *vita*
Ad Sacra viſa mihi non ſatis apta fuit:
Hæreſis (f) *haud ſimplex alibi, vanusq; Deorum*
Eugenius (g) *cultor, dum nocuere piis* (h).

ENARRATIO.

(c) PResbyter, fil. Tiburtii civis Rom. poſt Damaſum, (*d*) ſedem conſcendit, Valentiniani ope, Urſicino nequicquam renitente, ann. Ch. 384. Valentiniani II. an. 9. Theodoſii I. ſeu Magni an. 6. In qua ut ſtabilitus eſt, Himerio Tarraconenſi Epiſc.

Epiſc. ad ſua quæſita, quæ paulò ante obitum Damaſo propoſuerat, reſpondit, miſſis ei per Baſtianum Presbyt. literis, in quibus ſtatuit, *Baptiſmum niſi feſto Paſchalis ac Pentecoſtes non adminiſtrandum; Apoſtatas ab Eccleſia abſcindendos; baptizatos ab Arianis non eſſe rebaptizandos, ſed prævia ſolùm manuum impoſitione recipiendos; Monachos & Moniales, ſi poſt conſecrationem nuptias contraxerint, è monaſteriis ſuis pellendos & peculiaribus cellulis, ubi continuis lachrymis delictum ſuum defleant, quò ante mortem in communionem recipi valeant, includendos: Epiſcopos & Presbyteros, qui eo prætextu, quòd Tabernaculi miniſtris conjugio non interdictum ſit, uxoribus ſuis cohabitent, dignitatibus ſuis privandos*, aliaque addit, *Clericos ad ſecunda vota tranſeuntes deponendos eſſe*, &c. Literis dein ad Eccleſiam Mediolan. datis *Iovinianum, ut Hæreticum, damnat*, eumque cum omnibus ſuis à communione abſcindi jubet. Tertiis, ad omnes orthodoxos directis, *neminem ad Epiſcopatum admitti indignum, neque Sacerdotium ignotis, neophytis, laicis conferri* mandat. Et quidem in prima ad Himerium Epiſt. decret. *Statuta*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum.* Rogat proin, *ut in omnium Coëpiſcoporum perferri faciat notionem, & non ſolùm eorum, qui in ſua ſint diœceſi conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, atque Boëticos, Luſitanicos, Gallicos* &c. ſic ad poteſtatem ampliorem viam ſibi ſtrenuè parans. Quòd verò Hieronymo minùs faveret, hic Româ Cyprum primò, ubi Epiphanii familiaritatem ſibi conciliavit, inde Antiochiam, tandem Hieroſolymam migravit, quò cum Paula, cum filia Euſtochio, brevi pòſt ſecuta eſt, ann. C. 385. Synodo dein Romæ habitâ LXXX. Epiſcoporum, Syricius

cius Epiſtolâ Præſulibus Afris, *Fratribus ac Coëpiſcopis* inſcriptâ, Cælibatûs negotium acriter urget, & fretus locis aliquot Paulinis, 1. Cor. 7. 5. & Tit. 1. 15. ſed minùs probè intellectis, *ſuadet, hortatur, monet, precatur,* ut *Sacerdotes ac Levitæ,* h. e. Presbyteri & Diaconi, à matrimonio abſtineant: additque ſub finem, *Si quis ſenſu carnis ſuæ inflatus deflexerit ab hac regula, ſciat ſe à noſtra communione amputatum & gehennæ pœnas paſſurum eſſe,* ann. C. 386. Sic (e) primus hic *Cælibatus Legem* inter Eccleſiaſticos ſanxit, quam paulò antè Synodus Nicæna, Epiſcopis conſentientibus, exploſerat: & primum quidem hanc legem Syricium tuliſſe, non *Gloſſa* tantùm Juris Canon. *Diſtinct. 84. c. 3.* innuit, ſed etiam Clichtovæus, Eſpenſæus, Caſſander, Alii, agnoſcunt. Certè Hieronymus in eam acriter invehitur *Epiſt. 65.* & ſerò admodum in Occidente, in Oriente nunquam, valuiſſe, conſtat. Poſt quæ Paulino Epiſc. Antiocheno (qui vivus adhuc Evagrium ſibi ſucceſſorem dixerat, ante quinquennium) mortuo, Syricius, ad imitationem Damaſi deceſſoris ſui, Evagrii contra Flavianum partes amplexus, Theodoſium tum Romæ præſentem obteſtatus eſt, ut pulſo Flaviano Evagrium ſuæ Eccleſiæ redderet, ſed Imperator Flaviani, quem Romam propterea evocaverat, pietate ac virtutibus Epiſcopo dignis permotus, ei Eccleſiæ Antiochenæ curam de novo demandavit, Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c. 23.* Ad tollendum verò hoc utriuſque Eccleſiæ ſchiſma, cùm Oriens Flavianum probaret, Evagrium tueretur Occidens, Synodo Capuæ indictâ, in qua eminebat Ambroſius, præſidente ut videtur Syricio, decretum, *nulli Orientalium, ſive Flaviano adhæreat, ſive Evagrio, modò in fide rectus ſit, communionem eſſe denegandam:* arbitrium-

que litis Theophilo Alexandrino delatum eſt, cui cùm ſe Flavianus ſubmittere nollet, multùm querente Ambroſio *Epiſt. 78.* Occidens tandem ſponte ceſſit. Eadem Synodo, actum de (*f*) Bonoſo, uno ex Macedoniæ Epiſcopis, qui *B. Virginem non perpetuam virginitatem ſervâſſe* aſſerebat, ac Photini in partibus erat: cujus causâ Anyſio Theſſalonic. ac vicinis Epiſcopis commiſsâ, ipſe condemnatus eſt, ann. Ch. 389. Contra Jovinianum poſtea Syricius *facto Presbyterio*, ejus errores damnavit, miſſisque literis Synodalibus Ambroſium, Baſſianum, cœterosque Epiſcopos, Mediolani tum coactos, ea de re certiores fecit, qui, Syricii laudato zelo, idem à ſe factum reſcripſerunt. Quare Theodoſius, qui tum Veronæ erat, *Monachorum apoſtatarum* nomine, Jovinianum cum ſuis aſſeclis in deſerta loca relegari juſſit: quo audito Jovinianus, cùm Romæ ſe non ultra tutum fore præviderct, inde diſceſſit, ſed in vicinia urbis per 20. ampliùs annos cœtus habere non deſiit, donec ab Honorio penitus diſſipati ſunt. Diximus, *in Damaſo*, Hieronymum nimis acrem in cauſa Joviniani nonnullis viſum eſſe: certè, dum diſputationis æſtu incaleſcit, cousque virginitatem præ conjugio ſibi prædicandam ſumpſit, ut non pauci etiam orthodoxorum eum Manichæiſmi, *conjugium omne damnantis*, habuerint ſuſpectum, & ipſe Syricius rigorem illius non uſquequaque probaret. Qua de re proin à Pammachio monitus Hieronymus, *Apologiam* edidit, eidem huic ſuo amico inſcriptam, an. C. 390. Interim, quamvis, Syricio ſatis bene cum Ambroſio conveniret, ritus tamen utriusque Eccleſiæ, Romanæ & Mediolanenſis, non parùm differentes à ſe invicem erant, inter alia, circa *jejunium Sabbathi*, quod Mediolani

ni non obſervabatur, Auguſtin. *Epiſt.* 86. & 118. circaque *lotionem pedum*, quæ non adhibebatur Romæ, Ambroſius *de Sacram. l.* 3. *c.* 1. adde quòd *Officium Ambroſianum*, à Romano non parùm diverſum, Mediolani vigebat, idque ad annum uſque Ch. 771. retentum eſt, quo Adrianus I. Romanum Epiſcopatum eſt nactus, Joh. le Sueur *ad ann. C.* 391. Poſt inſignem ſequenti tempore de Eugenio & Arbogaſto victoriam reportatam, cùm Theodoſius Romam triumphabundus intrâſſet, Syricius, aliis quoque Occidentis Antiſtitibus ſtipatus, eum de Flaviano denuo adiit, hujusque *tyrannidem Imperatoriâ auctoritate tolli* petiit; ſed, cùm Imperator ſeipſum in partibus Flaviani eſſe teſtaretur, Præſulesque ei obniti non poſſent, manſit in ſede ſua Flavianus, & paulo pòſt Evagrio mortuo, lis ſopita ac ſchiſma iſtud extinctum eſt, ann. Ch. 394. digna hiſtoria, quæ legatur apud Theodoretum *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 23. ne autem ſedis ſuæ poteſtatem amplificare ulla in parte negligeret, Syricius, Epiſtolâ ad Africanos Epiſcopos vetuit, ne quis extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, h. e. Primatis, auſit ordinare Epiſcopum. Sed Afri, Synodo Carthaginenſi II. prohibent quidem Epiſcopum ordinare *inconſulto Primate*, ſed *cujuslibet provinciæ*: in III. verò ulteriùs progreſſi, *primæ Sedis Epiſcopum, Principem Sacerdotem & Epiſc. Univerſalem, Romanum etiam Pontificem* appellari vetant, an. Ch. 397. in cujus poſter. Synodi *can.* 48. Syricium & Simplicianum, qui Ambroſio ſucceſſit, *Fratres & Conſacerdotes ſuos*, ac vicinarum ſibi diœceſium Antiſtites, conſulunt ſuper iis, *qui à Donatiſtis baptizati altari inſerviebant*, uti le Sueur adnotat *ad d. ann.* Obiit d. 22. Februar. ann. C. 398. Epiſcop.

ſui ann. 13. m. 1. d. 25. Honorii Imp. anno 6. Arcadii 15. Scripſit *Epiſtolas varias*, quarum aliquot ſuprà meminimus: atque ab eo proin orditur Dionyſius Exiguus primus Decretalium collector, *quod indicium, eum antiquiores non reperiſſe*, Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccleſ. n.76.* Ordinavit ſenis vicibus XXXI. Presbyteros, XVI. Diaconos & XXXII. Epiſcopos, in varias ſuæ diœceſeos Eccleſias miſſos: plura apud Socratem *l. b.3. cap.14.* Gratianum *Diſtinct. 82. c. 2.3.4.* Iſidorum *Viris Illuſtr. c.3.* Polyd. Virgilium *de Inv. l. 5. c. 4.* Luitprandum, Anaſtaſium, Ciaconium &c. *in eo*, ipſum Syricium *Epiſt. 1. c.7. tom.1 Concil.* Alios. Dum verò is Eccleſiæ Rom. præeſt, *in CPolitana* Nectarius adhuc præſedit, qui, ob ſtuprum fœminæ nobili oblatum à Diacono, Confeſſionis ritum & Presbyterum præfectum pœnitentiæ ſuſtulit, ann. C. 390. exemplum ejus mox toto Oriente inſecuto. Illum extinctum, an. C. 397. Chryſoſtomus excepit. *Antiochenam* adhuc Flavianus rexit, de qua varia jam diximus. *Alexandriæ*, Theophilus ſucceſſit Timotheo, ann Ch. 386. quo ipſo, *Hieroſolymis* Cyrillo defuncto Johannes ſurrogatus eſt. Præter quos florebant tum Philaſtrius & Gaudentius Epiſcopi Brixiani, circa ann. C. 386. Olympias Diaconiſſa, & Epiphanius, qui velum, in quo Chriſti imago repræſentabatur, diſcerpſit, ann. C. 389. Evagrius Ponticus, quem tamen Origeniſtis accenſet Hieronymus & Epiphanius: Palladius Galata, Gregorius Hiſp. Philo Carpathius, Chromatius: circa idem tempus Auguſtinus porrò, baptizatus, ann. C. 388. Presbyter factus, ann. Ch. 391. primam concionem habuit, & contra Manichæos aliosque Hæreticos ſcripſit, ann. C. 392. vocatus eſt ad Epiſcopen Hipponenſem, ann. C. 395. ut alios omittam.

omittam. Sub Impp. ſtatus Eccleſiæ ſatis felix. Theodoſius enim Edictum, *de pellendis urbe Epiſcopis & Presbyteris Eunomianis, Macedonianis, Arianis & Apollinariſtis*, CPoli inſtauravit, novumque *de Chriſtianis in ſervitutem non redigendis*, ann. C. 384. ut & aliud, quo *Aruſpicina* prohibita, ann. 385. aliud, quo, *ne cadavera Sanctorum transferrentur*, vetitum, publicavit an. C. 386. de quo ultimo vide Cod. Theodoſ. *l. ult. de Sepulch. & Violat.* Poſt Maximum dein devictum, idololatriam, cui hic rurſus januam aperueratj libertate omnibus credendi quidvis conceſsâ, ann. C. 387. funditus ſuſtulit, atque Symmacho pro aræ Victoriæ reſtauratione ſupplicanti ſuccenſuit: libros Sibyllinos, per Stiliconem, combuſſit, & Manichæos, non urbe ſolùm, ſed & Imperio, exulare juſſit. Serapidis porrò templum Alexandriæ & idololatriam ſuperſtitioſæ illius gentis extinxit, an. C. 389. cumque impotens iræ, ob interfectum Præſidem, Theſſalonicenſium 7000. occidiſſet, hocque ob facinus prohibitus ſacris ab Ambroſio, maximæ tum auctoritatis Epiſcopo, eſſet, non intumuit purpuræ ſplendore, ſed faſſus publicè delictum, pœnitentiâ magis laudari, quàm errore carpi, voluit addiditque legem cohibendæ iracundiæ, quâ *capitales ſententias ad 30. diem differendas* ſanxit, ann. Ch. 390. (g) Eugenio porrò, poſt Valentiniani cædem, Ethniciſmum reſtitutum eunte, novo Edicto *idololatriam omnem*, ſub graviſſimis pœnis, inhibuit: prioraque contra Hæreticos publicata renovavit, ann. C. 392. Sub Honorio dein & Arcadio, Fritigildis Marcomannorum regina ad Chriſtianiſmum ſe applicuit, variiſque muneribus Ambroſium excoluit: ſed Majumæ feſtum inſtaurari permiſit Arcadius, ann. C. 396. (h) Juſtina verò Arianis favit, cujus

proin hi gratiâ freti, Ambroſio obnituntur, ann. C. 387. turbant CPoli, ann. Ch. 388. mox in ſectas abeunt, Dorotheo & Marino auctoribus, an.C. 391. Gentiliſmum Maximum Tyr. & Eugenium erigere conatos, vidimus. Schiſmaticos Hæreticosque quod ſpectat, Priſcillianus cum multis ſuorum ad mortem, B. Martino aliisque Epiſcopis rigorem neutiquam probantibus, damnatus eſt, ann. C. 385. Judæi, & Gentiles, pro cultu ſuo incaſſum apud Theodoſium perorant, ann. C. 388. quo etiam Luciferianorum Schiſma deſiit. Novatiani, ann. C. 391. & Donatiſtæ ann. C. 394. inter ſe invicem diſſident. Apollinariſtæ, poſtquam Africa & Occidente pulſi in Orientem ſe recepiſſent, inde quoque exturbantur Edicto Arcadii, ann. Ch. 397. ut de Bonoſiacis, à Bonoſo ſuprà memorato dictis, nil addam. Vide de his omnibus Joh. le Sueur *in Syricio*, ubi inter alia, *de Antiphonis* ſub Ambroſio introductis, *reliquiis Gervaſii & Protaſii, ad ann. C. 387. Excommunicatione Principum, Pœnitentia publica, Confeſſione auric. ad ann. C. 390. capite S. Iohannis B. Iejuniis Vigiliisque ad ann. C. 391. & 392. Animæ ſtatu poſt hanc vitam, Precibusque pro mortuis, ad ann. 395. Liturgiis & Precibus variis, materia Euchariſtiæ, Presbyterorum imminuta poteſtate, Libris Canonicis, ad ann. C. 397. & Aſylis, ad annum Ch. 398.* prolixè agit.

VIII. ANA-

VIII. ANASTASIUS (i) I.

Origenis (k) *damno dictam de nomine ſectam,*
Marcellæ (l) *ſtimulis admonituq; pio.*
Quæ præſtanda Sacris reverentia (m) *ſancio, verbis* (n), (*lens* (q).
Et zelo (o), *& multa cognitione* (p) *va-*

ENARRATIO.

(*i*) ROmanus patriâ, in Syricii locum ſurrogatus eſt, d. 14. Martii, ann. Ch. 398. Honorii Imper. 6. Arcadii 15. quo tempore, cùm de Scriptis (*k*) Origenis controverteretur paſſim, Romæ quoque inter fœminas duas, dignitate & pietate illuſtres, Melaniam & (*l*) Marcellam, ea de re diſſidio exorto, hæc ab Anaſtaſio, recèns creato, impetravit, ut eadem damnaret, anno eodem. Acrior in Oriente de iiſdem lis, quam cùm lenibus remediis ſopitum iret Theophilus Alexandr. offendit Hieronymum, qui eodem tempore contra Ruffinum, ob verſum Origenis *de Principiis* librum, irritatior, nihil in hac re mediocre probavit. Itaque Monachi, Hieronymi quippe admiratores, contra Origeniſtas undique ſurrexere: quos inter, maximè in Ægypto & Syria, plurimi Anthropomorphitarum erroribus imbuti, Theophilum minis atrocibus eò adegerunt, ut Origenis ſcripta averſari ſe ac odiſſe teſtaretur, cujus mox contra Longos ira exarſit, haberiq; *Origeniſtæ* non illi tantùm, qui ex ſcriptis ejus erroris aliquid hauſiſſent, ſed & qui de natura Dei rectè ſentirent

& in genere, qui ſcripta illa vel legerent ipſi, vel aliis legendi facultatem concederent, cœpere, an. C. 399.) Synodo hinc Alexandriæ à Theophilo & in Cypro ab Epiphanio habitis damnati Origeniſtæ, cui ſententiæ quòd Chryſoſtomus accedere nollet, acriùs illi uterque ſuccenſere, & Theophilus quidem, aulicis, Eudoxiæ inprimis Aug. qui liberas ſancti hujus Præſulis conciones ferre non poterat, libenter ſe applicare, ann. C. 400. Poſt quæ, cùm Ruffinus Aquilejam conceſſiſſet, revocatus ab Anaſtaſio, Hieronymi impulſu, Romam, ad rationem fidei vitæque reddendam, non paruit quidem, profeſſus tamen eſt à fide, quam Romana, Alexandrina, Aquilejenſis & Hieroſolymitana Eccleſiæ profiterentur, nunquam ſe receſſurum. Quo reſponſo neutiquam contentus Anaſtaſius, acres admodum ad Johannem Hieroſolym. qui inter fautores Ruffini erat, literas expediit, ann. C. 401. brevi pòſt defunctus d. 27. April. poſtquam paulò antè Alaricum Stilico ingenti prælio cæſum Italiâ cedere coëgiſſet, ann. C. 402. Honorii Imp. ann. 10. Arcadii 19. Baſilicam memoriæ S. Creſcentii conſecrâſſe, ac (*m*) conſtituiſſe, *ut Presbyteri, dum legeretur Evangelium, erecti, ſed corpore aliquantùm inclinato, ſtarent*, dicitur: cœterùm (*n*) eloquentiâ, (*o*) zelo & (*p*) eruditione clarus. Ordinavit VIII. Presbyteros, V. Diaconos & X. Epiſcopos, præfuitque annos 4. m. 1. d. 13. plura de eo vide apud Hieronymum *Epiſt. 16.* Auguſtinum *Epiſt. 165.* Socratem *l. 7. c. 9.* Sozomenum *l. 8. c. 24.* Theodoretum *l. 5. c. 23.* & qui *Vitas Pontificum* condidere. (*q*) Eo Rom. regente Eccleſiam, *CPolitanam* adhuc Chryſoſtomus gubernavit; qui ab Eccl. Epheſina rogatus, poſt mortem Epiſc. ejus Antonini, eò venit, & Synodo LXXIX. Epiſcop. coactâ,

coactâ, Heraclidæ Eccleſiæ curam commiſit, VI. Epiſcopis, qui Simoniæ convicti erant, depoſitis, in quorum numero Gerontius fuit Nicomed. Præſul, an. C. 400. *Alexandrinæ*, *Antiochenæ* & *Hieroſolymitanæ* iidem ſimiliter præfuere. Mediolani, Simpliciano Venerius ſucceſſit, anno eod. Fuitque ſub præf. Impp. Eccleſia in pace, niſi quòd ipſi inter ſe præclariſſimi Eccleſiarum Doctores, de Origenis ſcriptis, ſatis ut vidimus acriter digladiarentur. At majorâ Circumcellionibus ſeu Circumitoribus, Donatiſtarum parte, genere agreſti ac famoſiſſimæ audaciæ, Africæ tempeſtas incubuit, qui, tyranni Gildonis gratiâ fulti, auſpiciis Optati cujuſdam, in orthodoxos, Presbyteros præſertim ac Epiſcopos, immania patrabant, Honorii Imp. ægrè coërciti lege, in quam cùm Petilianus Donatiſta ſtylum acueret, ſcripſit contra eum Auguſtinus, ann. C. 398. ubi inter alia arguit Donatiſtas, quòd *ab Eccleſia Rom. & Hieroſolymitana, quas Apoſtoli fundaverint*, ſeceſſionem feciſſent, non minùs, quàm ab Africana, cui ob varia, quamvis ſine jure, ſuccenſerent. Cùm verò Schiſma porrò ferveret, Concilio Carthagine indicto, hujusque ſententiâ conſultis per literas Anaſtaſio aliiſque Epiſcopis, de pœnitentiæ Donatiſtis injungi ſolitæ rigore aliquantum remittere, & Presbyteris eorum ad Eccleſiam reverſis gradum ſuum relinquere, viſum eſt, non ſine ſucceſſu, ann. C. 401. Inter hoſtes Eccleſiæ quoque referendi Zoſimus Hiſtor. celebris ſatis, ſed Conſtantino Imp. minùs æquus. Eunapius item aliique, de quibus Joh. le Sueur *ad ann. C. 398.* Et quia Priſcillianiſtæ turbare pergebant, Synodo Toletanâ, præſide Patrono ſeu Patruino Epiſc. loci habitâ, denuo condemnati ſunt, 20. Canonibus conditis, quorum primo *Presbyteris*

Diaconisque uxoratis, ad ſuperiorem gradum adſpirandi ſpes præciſa eſt, ann. Ch. 400. Nec ceſſabant Ariani, Gainæ freti favore, ſe movere & CPoli quoque templum Imperatorem poſcere, ſed Chryſoſtomo contrà nitente fruſtra fuere, ann. Ch. 400. Præterquæ *Imaginum in Sacris* uſus in Eccleſiam magis magisque illatus eſt. Et quidem primus earum in Cappadociæ templis meminit Gregorius Nyſſ. *Orat. in S. Theodorum*, circa ann. C. 379. inde more in alias regiones diffuſo, in Italia quoque paſſim haberi cœpere, circa Prudentii ætatem, uti ex *Hymnis* ejus 8. & 10. diſcimus. Crevit inde uſus, Paulino inprimis Epiſc. Nolano auctore, qui Oratorium S. Felicis, cui Poëma libb. 10. diviſum conſecravit, plurimis picturis excoluit, qua de re le Sueur *ad an. C. 401.* Etiam *circa mortuorum oſſa* paſſim delirari cœptum, ut videre eſt apud eundem, *ad can. 14. Synodi provinc. Carthag.* habitæ ann. C. 398. qui etiam *de Concilio IV. Carthag.* eodem anno celebrato, atque ejus occaſione, *de Hierologia nuptiali, otio Cleri*, voce *Miſſa*, *ad ann. præf.* porrò, *de Idololatria Gentili & Manicheiſmo paſſim everſo*, Edictis variis Impp. *feſto Majuma ſublato*, ut & *Idolo Marnæ, Gazæ in veneratione hactenus ſumma habito*, aliisque *ad ann. C. 399.* videri poterit.

IX. INNO-

IX. INNOCENTIUS (r) I.

Innocuus (ſ) *tutandus ubi, Pelagiiq;* (t) *furores*
Damnandi, haud zelus dexteritasq; (u) *fugit.*
Ad Cœnam admitto ſed parvos (x), *arceo ſacris*
Philogamos (y), *Sedi vindico cuncta* (z) *mea* (a).

ENARRATIO.

(r) ALbâ oriundus, Anaſtaſium excepit, d. 18. Maï, ann. C. 402. præf. quo, Synodo Milevitana in Africâ celebratâ, m. Aug. *appellationes transmarinæ* vetitæ ſunt, *can.* 22. & Origeniſtarum negotio fervente, Epiphanius, à Theophilo perſuaſus, CPolim venit, Chryſoſtomum eò adducturus, ut Origenis libros damnaret, Dioſcorumque & tres fratres ejus Longos è civitate expelleret: quod cùm is ante diſceptationem ea de re inſtituendam facere recuſaret, ipſe in medio cœtu, Chryſoſtomo quoque reprehenſo, id facturus erat, niſi Chryſoſtomus interceſſiſſet: poſtea tamen, inſtituto cum Ammonio Monachisque, quos condemnatum ibat, colloquio, delinitus inde in pace diſceſſit, ann. Ch. 403. At Johannes, *aurei oris* Vir cognominatus, cùm ferventiùs in mulieres multa dixiſſet, accendit bilem Eudoxiæ, principi feroculæ, quæ

facilè eſſet, ut Theophilus, jam priùs ab Arcadio ad cauſam dicendam citatus, properanter advolaret, habitaque Chalcedonis in ſuburbio, cui Δρῦος nomen, Synodo, appellantem Oecumenicum Concilium Chryſoſtomum contumaciæ damnaret. Sic is in exilium miſſus eſt, ſed, poſtridie ingenti terræ motu CPoli concuſsâ, majore Imperatoris, ipſius Eudoxiæ, populique ſtudio, Eccleſiæ redditus, ann. C. 404. Verùm cùm non deſineret linguam adverſùs iniquitates acuere, atq; hiſtrionicam imaginis Eudoxiæ dedicationem perſtringeret acriùs, pacem malè ſartam diſrupit iterum. Quare Arcadium Imp. conjugi obnoxium, expertus infeſtum, *Herodiadem*, vocavit Eudoxiam, *Iohannis in patina caput expetentem*, ac ob id denuo relegatus Cucuſum, oppidum deſerti Armeniæ, inde literis ad amicos, inq; his ad Innocentium, Venerium & Chromatium datis, rem uti geſta erat, expoſuit ſimulque illos ſuo caſu mœſtos ſolatus eſt. Triduo antè à Theophilo quoq; de depoſitione Chryſoſtomi, pro more certior factus erat Innocentius, & tertias paulò pòſt literas accepit XXV. Epiſcoporum, qui à partibus Chryſoſtomi ſtabant: ad quas ille Concilium convocandum cenſuit, in quo Chryſoſtomi cauſa ventilaretur, interea (*f*) exulem Συλλειτȣργὸν ſuum, ac *fratrem honorandum totique gentium Doctorem*, binis literis conſolatus eſt, anno C. eod. Sozomenus *l.8.c.26.* Poſt quæ Anthemio, inſigni pietate viro, Conſuli facto, gratulatur Chryſoſtomus, magno exilii mala animo perferens; cujus gratiâ Innocentius Honorium Imp. precatur, ut de Concilio Theſſalonicæ indicendo fratrem Arcadium compellare dignetur, qui mox annuit, literiſque ad fratrem ſuis, Innocentii Romæ, Venerii Mediolani, & Chromatii

Aqui-

Aquilejæ, Epiſcoporum literas jungit, ann. C. 405. Verùm Epiſcopi indignè habiti, poſt 4. menſes, re infectâ reverſi ſunt: Edictoque publico Arcadius ſanxit, ut, quotquot cum Theophilo Alex. Attico CPolitano & Porphyrio Antiocheno, communicare nollent, Epiſcopi Presbyterique, Eccleſiis ſuis pellerentur, anno C. 406. quo ipſo, Vigilantius Gallus, Presbyter Barcinonenſis, Paulini Nolani familiaris, acrem adverſarium Hieronymum expertus eſt, *quòd damnaret cælibatum, reliquias Martyrum non eſſe adorandas, aut ad eorum ſepulchra in Eccleſiis vigilandum eſſe, doceret.* Porrò, *quòd cereos in templis clarâ luce fruſtra accendi, eleemoſynasque meliùs pauperibus distribui, quàm Hieroſolymam mitti, moneret.* Denique, *quòd Monachorum* (quorum tum mirè gliſcebat ſoboles) *in ſolitudinem fugam vituperaret,* ut videre eſt apud Hieronymum *adv. eum.* Idem verò cum Vigilantio tum ſentiebant Epiſcopi varii, atque inter hos ipſe Barcinonenſis Præſul. Interea Chryſoſtomus literis Innocentii, Aurelii Carthagin. Venerii aliorumque recreatus, exilii moleſtias facilè ferebat, inſuperque Armeniæ, Phœniciæ, Arabiæ Perſiæque Eccleſiarum curam gerere non ceſſabat, cùm Arcadius, ab inimicis ejus acriùs incitatus, occaſione literarum Honorii, miſſis militibus, eum Pityuntem ad mare Euxin. transferri juſſit, quo in itinere, ærumnis confectus, obiit, a. C. 407. æt. 52. ſequuto, ob condemnationem ejus, compluriùm annorum Occid. & Orientalis Eccl. ſchiſmate. Cùm enim nomen illius Diptychis infererent Occidentales, Orientales verò id facere renuerent, Innocentius, Venerius, Chromatius, aliique Occidentis Præſules, Diœceſes Thraciæ, Orientis & Ægypti communione arcuerunt, atque ab his viciſſim ſuâ

communione prohibiti ſunt, Innocentio objicientibus, utut ordinis primatus Eccleſiæ Rom. competat, non tamen illi competere juriſdictionis in ſe prærogativam. Africæ interim ac Macedoniæ Eccleſiæ cum utriſq; amicitiam fovere non deſinebant ann. C.408. Acceſſit malo huic corruptio morum ingens: ad ſtatuarum adorationem connivebant Augg. ipſique de diis nimis honorificè loquebantur, ut patet ex *Cod. Theodoſ. l.1. t.2. §.2.* Honorius inceſtis nuptiis ſororem uxoris ſibi junxit, fervebant impunè Gladiatorum cruenti ludi, nec lupanaria delebantur, ſilentibus ad hæc paſſim Epiſcopis: imò & permittente Innocentio, ſi Zoſimo fides, *ut vetera Numina ſacrificiis placarentur, liberandæ* (ab Alarico, qui ei imminebat) *civitatis.* Quare terra horrendo mugitu, integram hebdomada, infremuit, variaque alia prodigia viſa, quæ futura mala portenderent: mox obſeſſa ab Alarico urbs, ad omnium rerum penuriam adducta eſt, donec, detractis imaginibus Deorum ornamentis, Alarico auri V. millia pondo, argenti XXX. penderentur, quibus ille acceptis annonam quidem laxavit Romanis & ab obſidione diſceſſit; ſed cùm Honorius obſides ei dare, pacemque à civitate initam firmare nollet, Alaricus obſeſſos iterum pertinaciùs Romanos adegit Attalum, præfectum urbis, Cæſarem creare, ſecumque in Honorium arma jungere, ann. C.409. ſequuta Romæ ab Alarico direptio, qui cùm, in capta urbe ditiſſima à barbaro milite, præſtare non poſſet, quin multa loca incenderentur, multi occiderentur, ſanguinis tamen cædisque modum ſtatuit, veniâ illis, qui ad ſacra loca confugiſſent, ſolenniter promulgatâ, anno Chr. 410.

quo ipſo Ruffinus, deceſſit, prima Pelagianiſmi ſemina ſparſiſſe accuſatus: quæ peſtilentiſſima hæreſis, nec minores Arianiſmo turbas daturà, paulò pòſt prorupit, auctore Pelagio Britone Monacho, qui, illius familiaritate aliquandiu uſus, Româ ab Alarico captâ, inde in Africam, cum Cæleſtino diſcipulo, atque Palæſtinam delatus, ibi hæreſin (cujus primum indicium Romæ dederat, verba Auguſtini, *Domine da quod jubes, & jube quod vis*, ab Epiſcopo quodam prolata, abominatus) publicè docere cœpit. Statuit autem *liberum arbitrium, & unumquemque ſuis operibus ſalutem poſſe aſſequi, Infantes ſine peccato originali naſci, & Adamum ſibi ſoli obfuiſſe lapſu.* Contra quem inſurgere ab Aurelio Epiſc. Carthag. juſſus Auguſtinus, ut in ipſa herba peſtem opprimeret, inſigni Sermone, qui XIV. numero inter ejus *Sermones* conſpicitur, negotium feliciter auſpicatus eſt, an. C. 412. cumq; Pelagius Demetriadem, Olybrii filiam, virginem, literis ſeducere conaretur, Auguſtinus reſponſo ad illas edito, Hæretico, venenum hactenus ambiguitate verborum abſcondere omni arte conato, larvam detraxit, moxq; in lucem dedit *libr. de Natura & Gratia*, in eoq; evicit, nullum hominem merum à peccato immunem exiſtere. Quæ dum in Occidente fiunt, ſchiſma præfatum, ob Chryſoſtomi condemnationem ortum, ſublatum eſt, dexteritate Alexandri Epiſcop. Antiocheni, qui, Chryſoſtomi nomine ſacris diptychis inſerto, & Epiſcopis, qui partes ejus tuebantur, in ſedes ſuas reſtitutis, certiorem ea de re fecit Innocentium, atque amicitiam cum illo ejuſque Eccleſia, inſtauravit: qui proin reſponſoriis ad Alexandrum ſuis, *viam à Condiſcipulis Sedis Apoſtolicæ* (Antiochenæ viz.) *paci ineundæ ſtratam eſſe*, magnopere ſe lætari

lætari ſignificavit: ſimulque ad Acacium Beroënſem egregiam epiſtolam exaravit; quâ *Fratris ac Coëpiſcopi ſui* Alexandri pietatem magnopere extollit. Maximiani verò Macedonis, pro Attico CPolitano ſatagentis, conatus non probavit, ut qui pacem avere tum nondum videbatur, (quæ tamen poſtea quoque coalita) ann. C. 413. Interea Pelagius, in hæreſi ſua diffundenda acer, Gallias jam inficere cœpit: quare Hero Arelatenſis & Lazarius Aquenſis Præſules, de eo apud Palæſtinæ Epiſcopos conqueſti effecerunt, ut Dioſpoli Synodus cogeretur: ſed Patribus impoſuit Hæreticus. Cùm verò de eodem Hieroſolymis Epiſcopi conveniſſent, Oroſii rogatu, oſtendentis, & *Pelagium Latinum, & hæreſin ejus in Latinis provinciis vulgatiorem eſſe*, res ad Innocentium delata eſt, ut ipſe Oroſius refert *Apolog. pro L. A.* ann. Ch. 415. Mox Concilio Carthaginenſi & Milevitano habitis, damnatus cum Cæleſtino Pelagius, resque ab utriuſque Synodi Patribus cum Innocentio communicata, atque ipſe rogatus, ut operas jungeret, & in ſua Diœceſi idem faceret, præſertim cùm Pelagius Romanum favorem jactaret, ann. C. 416. reſpondit, Sedis ſuæ dignitatem multùm extollens, ſimulque (*t*) Pelagio & Cæleſtino anathema dicens, illos (*u*) communione excluſos pronuntiavit, donec errores ejurando ſeriam egiſſent pœnitentiam, Vide Auguſtin. *Epiſt* 93. In eadem verò ad Patres Milevit. *Epiſt.* (*x*) infantibus Euchariſtiam neceſſariam eſſe contendit, ann. C. 417. ut in alia ad Victricium Epiſc. Rothomag. (*y*) Cælibatum Clericorum validè urget, minùs benè eò applicatis verbis Apoſtoli, *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, Rom. *c.* 8. *v.* 8. Defunctus d. 28. Jul. ann. C. 417. præf. Sedis ann. 15. m. 2. d. 22. Honorii ann. 25. & Theodoſii

doſii Jun. 10. reliquit *Epiſtolas* complures, quarum ſtylus genium ſeculi ſatis exprimit: cœterùm eruditione ac dexteritate inclytus, ſed (z) auctoritatis ac poteſtatis ſedis ſuæ extollendæ avidior, quod, præter dicta, claret ex eadem ad Victricium *Epiſt.* quâ, *ut majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam devolverentur*, per appellationem ſc. decrevit: ut & *Epiſt.* ad Decentium Eugub. perſcriptâ, quâ à Petro Apoſt. ejus prærogativam arceſſens, addit, *in tota Italia, Galliis, Hiſpania, Africa, Sicilia, Inſulisque vicinis nullam eſſe Eccleſiam, quæ non à Petro Apoſt. ejusque ſucceſſoribus inſtituta ſit, nec uſpiam reperiri, ullum alium Apoſtolum illis in locis docuiſſe*: non memor eorum, quæ de Paulo Apoſt. in Actis Apoſt. & Epiſtolis ejus, quæque de Simonis Can. in Africa, & de Philippi Apoſt. præconio in Galliis, ex traditione habentur. Quemadmodum eadem *Epiſt. Iejunium Veneris & Sabbathi*, velut communiter receptum commendat, cùm tamen certum ſit omnes Orientis & Auſtri Eccleſias, ipſam quoque in Italia Mediolanenſem, Sabbathinum neutiquam obſervâſſe. De cœlibatu quæ diximus, ulteriùs liquent ex *Epiſt.* ejuſdem *ad Exuperium Epiſc. Toloſan.* qui illum ſuper Quæſt. *An Diaconi Presbyterique conjugati tolerandi ſint?* conſuluerat. Plura apud Auguſtinum *Epiſt.* 90. 93. 94. &c. Hieronymum *Epiſt.* 8. Gennadium *de Viris Illuſtr.* c. 43. Oroſium *l.* 7. Platinam alioſque qui *Pontificum res* expoſuere. (a) Eo Romæ ſedente, *CPoli*, Chryſoſtomo pulſo, ſucceſſit Arſacius ann. C. 404. huncque excepit Atticus, anno ſequ. *Alexandriæ*, in Theophili locum Cyrillus ſucceſſit, ann. C. 412. *Antiochiæ*, in Flaviani locum ſurrogatus eſt, ann. C. 404. Porphyrius, cui defuncto Alexander, ann. C. 413. *Hieroſolymis*, ſacra adhuc curabat Johannes.

nes. Cœterùm, Synodo c. Donatiſtas Carthagine habitâ decretum, ut contra illos Impp. auxilium imploraretur, quod & obtentum, ann. C. 405. idem repetitum, ann. C. 408. Collatio inde cum illis inſtituta, in qua, judicio Marcellini, victores orthodoxi, an. C. 411. non mitigatus tamen illorum furor, cujus funeſta extitere exempla ann. ſequ. & 412. quo idem Marcellinus Trib. martyrium ſubiit: cujus ſucceſſor Dulciſſimus eos ad incitas redegit, ann. C. 414. Celebris quoque Synodus fuit Ptolemaide, contra Andronicum Pentapoleos Præf. à Syneſio Epiſc. convocata, ann. C. 411. In Perſia, ope Maruthæ Epiſc. Meſopotamiæ, Chriſtianiſmus propagatus, ipſeque Rex Iſdigerdes (Theodoſii Jun. tutor) tantùm non ad fidem perductus eſt, ann. C. 408. Auguſtinus verò ſcripſit, libr. *de Civitate Dei*, & contra Donatiſtas egregiè geſſit rem, an. C. 411. & ſeqq. ad quem cùm ſe Româ recepiſſet Pinianus Melaniæ Jun. maritus, cum Melania Sen. & Albina nuru, ob pietatis & ſcientiæ famam, illum, invitum quoque, Presbyterum ordinare Hipponenſes voluere, ſed inde Alexandriam is diſceſſit, ann. C. 408. Ad eundem Oroſius, ab Eutropio & Paulo Epiſc. Hiſpanis, miſſus eſt, ejus conſilio uſurus contra Priſcillianiſtarum reliquias, nonnulloſque ex orthodoxis, *qui mendacio & fraudibus, contra impoſtores hæreticosque, uti licere* contendebant: contra Avitum tandem ejuſque diſcipulos, Origenis veſtigia ſequentes, ann. C. 414. de quibus erroribus agit Auguſtinus *libro cit.* fusè. Sub Impp. porrò ſat bene Eccleſia habuit, niſi quòd Ludi Seculares reſtituti, an. C. 404. & idololatris varia permiſſa ſunt, ann. Ch. 409. ut dictum. Sed & Monachi nimiùm indies ſoboleſcentes, in Ægypto præprimis, ubi Diocletiano imperante prognati

gnati ſunt initiò, ſeditione Alexandriæ excitatâ, in Oreſtem Præf. urbis, & Hypatiam fil. Theonis Philoſophi, indignè ſævierunt, an.C. 415. De Hæreticis Schiſmaticisque dictum ſatis. Crevit verò & reliquiarum veneratio, quæ originem nacta à more Ægyptiorum, ſuorum cadavera condire & aſſervare ſolitorum, improbato Antonio Erem. medio Sec. IV. Athanaſ. *Vitâ ejus*: poſtmodum facto Conſtantii Imp. Andreæ, Lucæ & Timothei SSS. corpora CPolim transferentis, an. C.359. atque Antiochenorum, qui Babylæ, Juliani juſſu eruta tumulo, oſſa, in urbem cum gaudio detulerunt, ann. C.362. ut alia poſt hæc omittam, multùm aucta eſt: fruſtra ſeſe opponentibus Gregorio Naz. *Diſtich.* Epiphanio *Hær.*78. Auguſtino *de Eccleſ. Cathol. l.*1. & *Vera Relig. c.*55. Vigilantio, Aliis. Sequuta *Invocatio SS.* quæ, circa idem ferme tempus prognata, ex priori fluxit: multumque roboris accepit *ex Orationibus Panegyricis Baſilii, Nyſſeni & Nazianzeni, qui, cùm Oratores eſſent ſummi, variis in concionando figuris uſi, nunc velut præſentes alloquebantur mortuos, nunc eorum interceſſiones expetebant: ſicque, quod ipſi ſtudio eloquentiæ faciebant, rudioribus exemplum errandi præbuit*, Georg. Hornius *Hiſtor. Eccl. Artic.*3. *num.*25. plura apud Joh. le Sueur *ad ann. C.*406. & 407. ubi *de variorum SS. reliquiis, de cultu B. Virginis*, & *Litaniis*, *præfecturis it. Regnorum inter SS. recentiore ævo diviſis*: quemadmodum *de duplici Unctione baptizatorum in Eccleſ. Rom. à Sylveſtro I. introductâ, de Confirmatione poſtmodum inventa, de Unctione* it. *extrema, Oblationibus fidelium, Pane Euchariſtico*, &c. varia adnotat *ad ann. C.*417.

X. ZOSI-

X. ZOSIMUS (b).

Quà mihi deceſſor praiit, ſequor acriter (c) *illum,*
Patroclo (d) *fratres ſubjicioq́ ſuos.*
Trans mare (e) *protendo faſces, Apiarius* (f) *illis*
Incurvat ſeſe, non ſine lite (g) *tamen* (h).

ENARRATIO.

(*b*) E Cappadocia, Presbyter Rom. Innocentiu m. ſequutus eſt, electus d. 19. Aug. ann. C. 417. Honorii 25. & Theod. Jun. 10. (*c*) Sedis ſuæ extollendæ non magis occaſionem ullam ſibi elabi paſſus, (*d*) Patroclum, qui, Herone ab oppidanis pulſo, ſe in ſedem Arelatenſem intruſerat, ann. C. 412. atque majore animo agitabat, ad ſe triduo poſt inaugurationem ſui Romam delatum honorificè excepit, & ab illo perſuaſus, Trophimum Pauli Petrique App. diſcipulum, Româ miſſum in Galliam, Arelatenſem Eccleſiam fundâſſe ſicque illi primas deberi, annuit petenti, illique Provincias Narbonenſem & Viennenſem ſubjecit, jus item in cujuſcunque generis parœcias abſolutum dedit, ac neminem Eccleſiaſtici ordinis è Galliis Romam venientem in communionem receptum iri, niſi à Patroclo literis ſyſtaticis inſtructus acceſſerit, pronuntiavit. Quia porrò Proculus Epiſc. Maſſiliæ, ex privilegio ſibi à Taurinenſis Synodi Patribus conceſſo, anno C. 398. Lazarum Aquenſi Eccleſiæ præfecerat, hicque Urſum ac Tuentium, inconſulto Patroclo, ordinaverat,

ordinaverat, tres hos Epiſcopos non auditos licèt deponere aggreſſus illis anathema dixit, ipſum dein Proculum, ſenem venerabilem, Epiſcopatu ſuo excidiſſe declaravit, atque ab Honorio ſententiæ ſuæ confirmationem obtinuit, eo faciliùs, quòd urbs Arelatum ſedes eſſet Præfecti Prætorio Galliarum & locus ubi VII. provinciarum conventus agerentur. Unde ingentes poſtmodum inter Galliæ Præſules turbæ ortæ, quibus ſeſe Romani Epiſcopi miſcentes, altiùs evehendi auctoritatem indies ſuam, occaſionem habuere. Paulò pòſt Cæleſtinus, videns ſe cum Pelagio magiſtro Synodis Africæ ac Numidiæ & ſententiâ Innocentii damnatum, ad Zoſimum ſimiliter ſe Romam recepit, & injuſtè ſe, utpote nullâ juris obſervatâ formâ, ſolaque Lazarii & Heronis præfatorum accuſatione contra ſe militante, condemnatum queſtus eſt. Quo benignè audito Zoſimus, Synodo Romæ convocàtâ, librum ejus, in quo Auctor diſertè peccatum originale negabat, tanquam fidei conſonum, approbat, Cæleſtinum abſolvit, & datis ad Africæ Epiſcopos literis præcipitantiæ illos accuſat, omneſque, qui Cæleſtinum arguerent, intra bimeſtre Romam venire jubet, cum eo committendos. Mox ipſum Pelagium, qui, ratus adhuc vivere Innocentium, confeſſionem fidei, ambiguis verbis conceptam, Romam miſerat, cum literis, vera ſentire judicat Zoſimus, & apographis in Africam miſſis Præſules illos denuo incuſat, fidei nimis properanter calumniis Heronis & Lazarii contra Pelagium adhibitæ, ann. C. præf. Verùm Afri Patres, Carthagine inſtitutâ ſynodo CCXIV. vel CCXVII. Epiſcoporum, condemnationem Pelagii & Cæleſtini repetierunt, Innocentii ſententiam confirmârunt, ac Zoſimo de fraudibus ac impoſtu-

ris

ris Hæreticorum, quibus illi errores ſuos incruſtare conſueſſent, monito, effecerunt, ut is ſe præventum agnoſceret, & Africanæ Synodi decretum approbaret: quo pacto Pelagius & Cæleſtinus ut Hæreſiarchæ damnati omniumque Eccleſiarum communione prohibiti, Proſper *Chron.* & *lib. c. Collat.* inſuperque Honorii Edicto cautum eſt, ut Româ confeſtim excederent, omnesq; eorum ſectatores ad Judices deferrentur. Sic Cæleſtinus CPolim ſeceſſit, ſed & ibi damnatus eſt ab Attico. Pelagius verò, ſaniora ſimulans, Auguſtini libro *de Gratia Ieſu Chriſti*: & per calumniam orthodoxis, quaſi conjugium rejicerent, impingens, ejuſdem *de Nuptiis ac Concupiſcentia* tractatu, convictus ac refutatus eſt. Zoſimus dein, (e) de litibus quibuſdam in Mauritania componendis, ſcribens Africæ Præſulibus, occaſionem præbuit eidem Epiſcopo Cæſaream Mauritaniæ, cum aliis nonnullis, ſe conferendi: ubi dum verſatur, Emeritum Donatiſtam ad collationem provocat, ſed, eo non comparente, *de Correctione Donatiſtarum* librum edit, Epiſtolæ formâ, quam Com. Bonifacio inſcripſit. In eadem verò Africa (f) Apiarius Presbyter, ob crimina gradu motus, dum ad Zoſimum appellat, recipitur ab hoc confeſtim, & citra ulterius ſcrutinium abſolutus dimittitur. Quia verò Zoſimus neutiquam dubitabat, Afros reclamaturos, ut qui 22. Can. Concilii Milevitani an. C. 402. habiti ſub excommunicationis pœna transmarinas appellationes vetuerant, miſit ad eos, Synodo VI. Carthag. congregatos, Fauſtinum Epiſc. cum duobus Presbyteris Philippo & Aſello, qui operam darent, ut, canone modò dicto abolito, Africani Patres appellationem ad ſedem Romanam concederent. Quod ut illi feliciùs effectum darent, canonem Sardicenſis Concili quintum, pro

Nicæno,

Nicæno, ſupponere non dubitârunt; quâ de re ſic Gerh. von Maſtricht, ubi de collectione Canonum Zoſimi, quam *fraudulentam* vocat, *ut probaret*, inquit *Zoſimus* (Epiſcopis Africæ Romam appellare licere) *allegavit Canones Synodi Nicanæ, ſed ex ſua collatione, quæ continebat Nicænos Canones XX. Ancyranos XXV. Neocæſarienſes XIV. Sardicenſes XXI. qui ſimul computati faciunt canones LXXX. Hanc collectionem Zoſimus nomine Canonum Nicænorum obtruſit Patribus; à potiori parte nempe Canonibus Nicænis & Nicænâ Synodo probatis, quibus adjunxit Sardicenſes, ab Orientalibus & Africanis Patribus repudiatos, iisq; tanquam Nicænis adſtruere appellationes ad Romanam ſedem voluit, Hiſtor. Iuris Eccl. n. 67.* (*g*) Lecto itaque hoc Canone, Patres Afri, cùm eum non reperirent in apographis Concilii Nicæni, quæ in Eccleſia Carthag. aſſervabantur, non parùm attoniti hærebant aliquandiu: donec conſilio Alypii Eccleſiarum Numidiæ deputati, *Papæ Aurelio* Epiſc. Carthaginenſi, qui Synodo præſidebat, ſuadentis, ut *ſua Sanctitas*, ad CPolitanum, Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopos mitteret, canones Nicænos authenticos petitum, an. C. 418. fraus in apricum prodiit, an. C. 419: ſed priore Zoſimus deceſſit, d. 26. Decemb. ſedis ann. 1. m. 4. d. 7. Honorii Imp. anno 27, Theodoſii Jun. 12. ſepultus in via Tiburtina, prope S. Laurentii tumulum. X. Presbyteros, III. Diaconos & VIII. Epiſcopos, inſuperque *Cerei Paſchalis benedictionem* inſtituiſſe dicitur, Damaſus *Pontif.* Anaſtaſius *in eodem*, Baronius *Annal.* Alii. (*h*) Eo Rom. Eccleſiæ præſidente, in Eccleſiis Orientis, præter pauca, quæ diximus, nihil occurrit. De Hæreticis quoque jam vidimus, plura legere eſt apud Joh. le Sueur *in Zoſimo*, ubi inter alia, *de triplici Oblationum & Sacrificio-*

criſiciorum, uti vocabantur, *generibus in Eccleſia illius temporis*, deque *nomine Altaris ſacræ Menſæ, in qua Euchariſtia peragebatur, tum tribui ſolito*, pluribus agit *ad ann. C.* 418.

XI. BONIFACIUS (i) I.

Sacra mihi, Eulalio (k) *fruſtra obnitente, relicta,*
Jura in terrenis dum ſua Cæſar (l) *habet.*
Fratribus æquavi Patroclum (m) *rurſus, in Afros*
Pro ſe certantes non minùs æquus (n) *eram* (o).

ENARRATIO.

(*i*) ROmâ oriundus, Zoſimo ſurrogatus eſt, (*k*) non ſine ingenti certamine; dum enim in Baſilica Julii à parte Cleri Populique ille Papa eligitur, pars altera, cui Symmachus Præfectus urbis favebat, in Conſtantini æde, Eulalium ſibi præfecerunt, unde *Schiſma III.* (*l*) ab Honorio Imp. vocatis ad ſuum Tribunal ambobus, & Synodo CCLII. Epiſc. Ravennæ coactâ, quæ Bonifacium, eruditionis ac pietatis teſtimonio ab Eccleſia ornatum, in ſede confirmavit, ſublatum. Sic verò confirmatus ille, ſupplicibus literis rogat Honorium, auctoritate ſuâ hujuſmodi in poſterum contentionibus occurrere non gravetur, qui, æquitate rei perpensâ, Reſcripto cavit, ne ſede iterum vacante per iſtiuſmodi diſſidia

Epiſcopa-

Epiſcopatus Romæ quæreretur, quòd ſi duo de eo rixarentur, utroque præterito, ille Apoſtolicam cathedram obtineret, qui *judicio Dei, & conſenſu univerſitatis*, i. Cleri populique, de novo eſſet electus, ut videre eſt in *Decret. diſtinct. 79.* Quæ dum fiunt, Julianus, Memorii Epiſc. Capuani fil. in Pelagii favorem, adortus Auguſtini *de Nupt. & Concupiſc.* librum, duabus inſuper Epiſtolis Zoſimo (quem in vivis adhuc eſſe credebat) & Præſuli Theſſalonic. imponere conatus eſt. Sed Bonifacius, Epiſtolam Zoſimo inſcriptam ut nactus eſt, Auguſtino illam transmiſit, qui proin IV. libros, *contra binas Pelagianorum Epiſtolas*, mox in publicum datos, Bonifacio dedicavit, &, à calumniis Hæretici orthodoxis vindicatis, Gratiæ divinæ fortiſſimum hyperaſpiſten egit. Sequutus liber ejus *de Gratia & Lib. Arbitrio*, ut & *de Correctione ac Gratia*, in gratiam Monachorum Adramyttenorum, editi. Synodo interea Carthagine adhuc durante, Patres, Zoſimi perceptâ morte, literis ad Bonifacium de rebus hactenus geſtis eum certiorem reddiderunt, jusque ſuum magno animo tuiti, apographa verorum Nicæni Concilii canonum aliquot, ex autographo, quod CPoli aſſervabatur, expreſſa, ad eum miſerunt, ann. C. 419. (*m*) Poſt quæ, cùm Epiſcopo Lutevenſi in Gallia mortuo, Patroclus, pro auctoritate ſibi à Zoſimo & Honorio conceſſa, in ejus locum alium ſuffeciſſet, Bonifacius, à Clero Populoque Lutevenſi, contra Patrum id fieri morem monitus, Zoſimi reſcidit acta, &, juxta Conſtitutiones Nicænas, Patroclum intra diœceſin ſuam coërcuit: (*n*) contra Africanos quoque Patres nihil ultra molitus, ann. Ch. 421. Obiit d. 25. Octobr. ann. C. 423. Epiſcop. ſui ann. circiter 5. Honorii Imp. ult. ſeu 31. Theodoſii Jun. 16.

K in

in S. Felicitatis catacumba tumulatus, ubi ipſe Oratorium extruxerat. Ordinavit XIII. Presbyteros, III. Diaconos & XXXVI. Epiſcopos, atq; Eccleſ. ac civilem poteſtatem diſtinctas eſſe, clarè teſtatus eſt, literis ad Honorium, in quibus, *Eccleſiæ*, inquit, *mihi Sacerdotium Deus, vobis res humanas deputavit*: vide Socratem *l. 7. c. 11. 25. 44*. Sigebertum, Onuphrium, Alios. (*o*) Ejus tempore, *CPoli* Atticus, Chryſoſtomi nomine in diptychis appoſito, & Cyrillo *Alexandrino*, ut idem faceret, monito, ſchiſma, occaſione Chryſoſtomi inter Orientis & Occid. Eccleſias hucuſque durans, piè ſuſtulit, ann. C 419. *Antiochiæ*, Alexandrum defunctum Theodotus excepit, eod. *Hieroſolymitanæ* Eccleſiæ Praylius præfuit, poſt admirabilem Johannem: ei Juvenalis ſucceſſit, quem Saracenis Aſpebetum Epiſcopum præfeciſſe, ann. C. 420. auctor eſt Sim. Metaphraſtes. Auguſtinus, in veritate contra omnis generis errores tuenda, indefeſſus, Vincentium Victorem, *Animam humanam de ſubſtantia Dei decidi, neque ex nihilo fieri*, aſſerentem: Leporium Pelagianum, qui inſuper *nudum hominem ex B. Virgine natum eſſe*, docebat, Neſtorio mox apparituro ſic præludens: Vitalem denique Pelagii itidem partes tutatum, ſcriptis & voce, ad frugem perduxit, ann. Ch. 421. uti Maximinum Epiſc. Gothorum Arianum, ann. C. 422. Obiit verò Hieronymus, & Nilus celebris Anachoreta, ann. C. 420. Sub Impp. res ſatis tranquillæ: Honoriuſque magnâ pompâ Tricennalia celebravit, ann. C. 422. quo ipſo verò, ob Audæ Epiſcopi, qui pyratheia ſuſtulerat, factum, Varanes, Perſarum R. in Chriſtianos, qui patris ejus Iſdigerdæ favore multùm creverant, crudeliſſimè ſæviit, novis ſuppliciorum generibus excogitatis, quæ tamen plerique conſtantiſſimè pertulerunt.

tulerunt. Celebriores tum martyres Hormiſdas, Suenes vir opulentus, & Benjamin Diaconus. Secus tractati Perſæ, ab Amidæ Epiſc. Acacio, qui 7000. captivorum, ne fame perirent, ſacris quoque vaſis divenditis, ſuſtentavit, dicens, *Deus noſter nec comedit nec bibit*, ſicque Varanis animum ad mitiora conſilia & benignius de Chriſtiana Fide judicium inflexit, Theodoretus *Hiſt. Eccl. l. 5. c. 38.* & Socrates *l. 7. c. 21.* Hæreticis, accenſeri poterit Philoſtorgius, Arianorum defenſor & Aëtii encomiaſtes, qui ſcripſit circa ann. C. 419. uti ipſe docet *Hiſtor. l. 12. c. 10.* Nec omittendus, *Euchariſtiam mortuis* quoque *porrigendi* ritus, damnatus Synodo VI. Carthag. *præf. can. 18.* de quo vide Amphilochium *Vitâ Baſilii Cæſar.* & le Sueur *ad ann. d.*

XII. CÆLESTINUS (p) I.

Sed repetita (q) *mihi lis eſt, verùm increpor* (r), *& ſic*
Quà poſſum (ſ) *ſedem tollere, tollo meam.*
Neſtorii (t) *interea, Pelagî* (u), *ſectamq́ Novatî* (x) *probo* (z).
Perſequor, atq́ Epheſi (y) *dogmata ſancta*

ENARRATIO.

(*p*) GEnte Romanus, in locum Bonifacii, fruſtra obnitente Eulalii Epiſc. tum Nepitenſis factione, ſucceſſit, d. 4. Nov. ann. C. 423 præfati deceſſore ſuo non paulò rigidior. Namque & Novatianis conventus ademit, Cyrillum Alexandr. imitatus, qui Judæos Alexandriâ armis expulerat:

unde de utroque Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib. 7. c. 11. & ſeqq.* agens, *jam*, inquit, *Epiſcopus Romanus, non aliter atque Alexandrinus, quaſi extra Sacerdotii fines egreſſus, ad ſecularem Principatum adſpirabat* : & (*q*) appellationum transmarinarum negotium denuo urſit, occaſione ejuſdem Apiarii, qui, cùm propter enormia crimina, in quæ relapſus erat, iterum depoſitus, ad Cæleſtinum non minùs, ac ad Zoſimum priùs, appellaſſet, Cæleſtinus avidè cauſæ cognitione arreptâ, eundem Fauſtinum Epiſc. in Africam miſit, petiitque eam in Synodo, quæ tum nondum planè diſſoluta erat, de novo tractari. Annuerunt haud ægrè Patres, ſed re accuratè rurſus perpensâ, ipſius Apiarii confeſſione accedente, illius condemnationem confirmârunt, (*r*) Synodicisque ad Cæleſtinum datis, eum rogârunt, appellationes hujuſmodi, utpote Canonibus Nicænæ Synodi vetitas, in poſterum ne reciperet; non enim *typhum* illum, uti ad Bonifacium ſcripſerant ann. C. 419. Eccleſiæ Dei convenire: ſimulque quem in cauſæ ſubſidium canonem laudâſſet Zoſimus, inter Nicena decreta nuſquam comparere, repetierunt; addentes, *Legatos à latere*, utpote nullius Synodi auctoritate inſtitutos, ad ſe porrò mitti, æquum ſibi non videri. Quæ ut majorem vim haberent, canonis Milevitani, appellationes prohibentis, mentionem Cæleſtino ingerere non dubitârunt. Inſtiterunt autem eò acriùs rei huic Patres Afri, quòd paulò antè Antonius quidam Numidiæ Epiſc. quem ſua Synodus ob varia itidem delicta loco moverat, à Bonifacio cum ſyſtaticis in Africam remiſſus eſſet: qui proin ne (*ſ*) à Cæleſtino quoque idem impetraret, B. Auguſtinus, ad Cæleſtinum ſcribens, eum *per ſanguinem Ieſu Chriſti perque memoriam Petri*,

Petri Epiſcopos monentis, ne Clero dominari quærerent, obſecrare, ne hominem, totius Synodi ſententiá ob crimina ſua condemnatum, qui *vim armatam* inſuper *Eccleſiæ ſuæ minitetur*, favore ſuo protegat, conſultum duxit, ann. Ch. eod. ad quem vide Joh. le Sueur, qui de Antonio hiſtoriam ex Baronii *Annal.* deprompſit: ipſa enim hæc Auguſtini Epiſtola in Operibus ejus non extat. Interjectis inde annis aliquot, Cæleſtinus Neſtorio, in Siſinnii CPlit. Epiſcopi locum ſurrogato, ſeu *Epiſcopo Oecumenico* facto, (uti de Epiſcopis celebriorum Eccleſiarum, quæ poſtea Patriarchales factæ, loqui tum amârunt, teſte Theodoreto *de Hæreſ. l.4.* ubi de eodem ei Neſtorio ſermo) per literas gratulatus eſt, ann. Ch. 428. Palladium dein Diaconum, Scotis ſeu potiùs Hibernis, recèns ad fidem converſis, Epiſcopum miſit, uti Proſper refert, ann. Ch. 429. Poſt quæ Neſtorius, homo arrogans & divinorum rudis myſteriorum, hæreſin ſuam vulgare cœpit. Seductus enim ab Anaſtaſio Presbyt. opinionibus Judaicis imbuto, & phraſin hanc in Eccleſia uſitatam, *Virgo Maria Deipara*, ferre nolente, naturas in Chriſto divulſit, & *de Maria Virgine nudum hominem natum atque à Iudæis crucifixum eſſe*, vociferatus eſt: dum in Africa Genſericus longè lateque victor, ad ipſam Hipponam, pro cujus ſalute Auguſtinus Deum, cum intimis ſuis, nocte dieque precari non ceſſabat, conſedit, ann. eod. quam &, præmortuo hoc Viro Dei, uno poſt obitum ejus menſe, occupavit, an. C. 430. quo ipſo, Cæleſtinus acceptis Neſtorii, & Cyrilli literis Synodum Romæ coëgit, cujus ſententiâ unanimi hæreſis Neſtorii damnata, ipſeque, ut intra decendium eam ejuraret, monitus eſt. Addidit & ſuas ad illum literas Cæleſtinus, quibus illi ſignificabat,

ſicabat, niſi Cyrilli *Conſacerdotis ſui* binis ad ſe datis in viam reductus, *Fidem Eccleſiæ Romanæ, & Alexandrinæ, totiusque inſuper Eccleſiæ Catholicæ ſequeretur*, communione Epiſcoporum & ſocietate Chriſtianorum excluſum iri: quæ verba in literis ad Johannem Antiochenum repetiit. Simulque Cyrillo, quem *ſuæ Sanctitatis* conſueto tum Præſulibus celebrioribus titulo compellat, negotium de meliore nota commendavit; ad Rufinum quoque Theſſalon. Innocentium Hieroſolym. Flavianum Philipp. *Fratres ac Coëpiſcopos ſuos*, ipſum quinetiam Populum Clerumque Conſtantinop. eadem fini literis expeditis. Sic confirmatior in ſententia ſua Cyrillus, Synodo itidem Alexandriæ convocatâ, XII. *in Neſtorium anathematiſmos* condidit, ann. Ch. 430. quod cùm parùm juvaret, juſſu Theodoſii Imp. *Concilium III. Oecumenicum* CC. Patrum, Epheſi, Præſide Cyrillo & *S. Scripturarum Codice* in medio expoſito, coiit: in quo, cunctante licèt Johanne Antiocheno, damnatus Neſtorius, &, *manere in duabus naturis unam Ieſu Chriſti perſonam*, aſſertum eſt. Cui decreto Johannes modò dictus, Theodoretus Cyrenſis, Ibas Edeſſenus, & alii plures, per contentionem adverſati, Cyrillum ipſum communione Eccleſiæ interdixere, præſentisque vix tandem Theodoſii auctoritate in concordiam reducti ſunt. (*t*) Intervenere Synodo Cæleſtini legati Arcadius & Projectus Epiſcopi ac Philippus Presbyter, Legatus à Latere, qui poſtquam mandata ſibi expoſuiſſent, atque Cæleſtinum eadem cum Cyrillo ſentire oſtendiſſent, fauſtis Patrum acclamationibus, *Gratia Cæleſtino novo Paulo, Cyrillo novo Paulo — unus Cæleſtinus, unus Cyrillus, una fides Concilii*, &c.

exce-

excepti ſunt. Quibus reſpondens Philippus, viciſſim Patribus gratias egit, poſtmodum oratione elaboratâ in Sedis Romanæ laudes prolixè ſe diffudit. Præter Neſtorium verò, Johannes Antioch. communione prohibitus, ac Pelagiani, Meſſaliani ſeu Euchitæ, cum Enthuſiaſtis, condemnationi ſubjecti ſunt: confirmatione Synodi, poſt moram aliquam, à Theodoſio, Pulcheriâ plurimum conferente, obtentâ, ann. Chr. 431. Sed non deſiit Neſtorius, in Monaſterium, unde prodierat, ab Imperatore relegatus, voce ſcriptoque hæreſin ſuam propagare, tam deplorando quidem ſucceſſu, ut ad noſtra uſque tempora extirpari non potuerit, hodieque totus Oriens, uſque in Sinas Catayosque, illius veneno infectus ſit. Nec Pelagianiſmus ita potuit deſtrui, ut ex ejus cadavere non enaſceretur nova *Semi-Pelagianorum* ſoboles, in provinciis præſertim circa Maſſiliam Genuamque, auctore Joh. Caſſiano Scythâ, Maſſilienſi Presbytero, exorta, cui Proſper Aquitanus, (*u*) Cæleſtini operâ ſuffultus, maſculè ſe oppoſuit, anno eod. Poſt, quæ obiit Cæleſtinus d. 6. April. ann. C. 432. Valentiniani III. anno 9. & Theodoſii Jun. ann. 25. Epiſc. ſui ann. 8. m. 5. d. 2. veritatis contra Neſtorium Pelagiumque acriter defenſæ, ac famæ B. Auguſtini, à Semipelagianorum calumniis, epiſtolâ ad Venerium, Marium, Leontium, Auxonium, Arcadium, Philtatium, aliosque Galliarum Præſules exaratâ, diligenter vindicatæ, gloriâ inclytus: ſed (*x*) in Novatianos, ut dictum, rigidior: ut quibus *vi armatâ religionis exercitium ademiſſe* apud Socratem legitur. Paulò ante obitum Clero Populoq; CP. Maximiano item Neſtorii ſucceſſori, atque ipſi Theodoſio, de Veritatis c. Neſtorium triumpho (*y*)

Epheſi obtento, gratulatus. Scripſit Epiſtolas complures, & ordinavit XLVI. Epiſcopos, XXXII. Presbyteros, ac XII. Diaconos. Inſuper, ut *Pſalmi Davidis* in Eccleſia ante S. Synaxim cantarentur, cùm antea Epiſtolæ ſolùm Paulinæ ac Evangelium recitaretur, inſtituiſſe dicitur Anaſtaſio *in eo.* Vide quoque Auguſtinum *Epiſt. 261.* Sigebertum, Onuphrium, Proſperum auctorem *libri de Gratia,* (qui Cæleſtini nomen præ ſe fert) Genebrardum *Chron.* Evagrium *l. 1.* Gennadium *c. 54.* Platinam, Baronium, Alios. (z) Eo Rom. Eccleſiam paſcente, *CPoli,* Attico Siſinnius, ann. C. 425. Siſinnio defuncto ſucceſſit Neſtorius, ann. C. 428. cui condemnato, ut diximus, & depoſito, Maximianus, ann. C. 431. *Antiochiæ,* Theodotum Johannes excepit, ann. C. 423. Innocentii *Hieroſolymitani* ſuprà meminimus: Juvenalis verò Eccleſiæ adhuc præfuit. Cæterùm Theodoſius jura ac privilegia Eccleſiaſticorum Legibus munivit, & Dominicis, feſtiſque Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchatiſque, nec non Quadrageſimæ diebus, ludos ſpectaculaque publica ſuſtulit: Academiam inſuper CP. à Conſtantino M. inſtitutam magna acceſſione auxit, ann. Ch. 425. Burgundionibus nova lux affulſit, ann. C. 428. quo, cùm infeſtiſſimâ Uptari Hunnorum R. tyrannide premerentur, ad Chriſtianorum Deum, ſuis ſemper propitium, converſis animis, baptiſmum repentè poſtulârunt, eoque mundati, extemplo in Hunnos ierunt, ac prælio congreſſi, 30. m. eorum proſtraverunt, Sigebertus Gemblac. *Chron.* & Socrates *l. 7. c. 30.* Auguſtinus, jam ſeptuagenario major, Eradium adjutorem nactus eſt, & ſic paulò liberior abſolvit libb. *de Civitate Dei,* ac opus *de Trinitate,* & *Retractationum* libros emiſit, ann. C. 426. occupatus

patus dein contra Julianum, literas à Proſpero accepit, de Semipelagianiſmi in Gallia initiis; quare, ſepoſito quod in manu habebat, naſcenti malo maturè occurrendum ratus, duos edidit tractatus, *de Prædeſtinatione SS. & de Perſeverantiæ dono*, anno Ch. 429. defunctus, ut vidimus, anno ſequ. æt. 76. Præter eum, floruerunt Germanus Antiſſiodor. & Lupus Trec. Epiſcopi, qui in Britanniam à Præſulibus Galliarum, in Synodo congregatis, miſſi, Eccleſias illas in veritate, à Pelagio, Cæleſtinoque ejus diſcipulo, ac Agricola fil. Severiani Epiſc. ibi quoque graves inſidias paſſâ, confirmârunt, ann. C. 429. Poëtæ item Chriſtiani duo, Sedulius & Claud. Marius Victor, circa ann. C. 430. Sulpitius Sev. ſcripſit, circa ann. C. 431. Imperatores tum fuere Honorius, ac hujus ſucceſſor Valentinianus III. in Occidente; & Theodoſius Jun. in Oriente, ſub quibus quis Eccleſiæ fuerit ſtatus, ſat vidimus. Hæreticos etiam præcipuos enarravimus. Sed & in Galliæ provinciis, Narbonenſi ac Viennenſi, exorti quidam, qui malè intellectis Evangelii verbis, *Eſtote accincti lumbos*, auctores Clericis fuerunt, ut pallia ſumerent ad talos uſque pertingentia, ac cingulum circa renes haberent. Quam ſuperſtitionem ut illarum provv. Epiſcopi comprimerent, monuit Cæleſtinus, *Clerum à plebe doctrinâ & pietate, non veſtitu, diſtinguendum* docens; eademque Epiſtolâ, ne Clero Populoque invitis Epiſcopi obtruderentur, cavit, ann. Ch. 428. de quibus omnibus, præter auctores præfatos, vide Joann. le Sueur in *hiſtoria Cæleſtini*, ubi & venerationem B. Virginis, ex Sermone ac elogiis Cyrilli, in Synodo Epheſina, ei tributis magna incrementa cepiſſe, inter alia adnotat. Nec omittendum, quòd *à Cyrillo eodem uſurpatam gladii*

primùm poteſtatem, *mox & à Cæleſtino Rom. ſicque poteſtatem Epiſcopalem in ſecularem dominatum commutari cœpiſſe*, ex Socrate ſuprà laudato, obſervat Joh. Cluverus, qui & contra Zoſimi, Bonifacii Cæleſtiniique dominationem, Synodi Carthag. ſuprà itidem memoratæ decretum hoc, ex eodem, adponit: *Vt unaquaque negotia, in ſuis locis, ubi oriuntur, accipiant definitionem; nec putetur, Deum uni inſpirare examinis juſtitiam & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus eam denegare*, vide illum, *in Theodoſio II. & Valentiniano III.*

XLIII. SIXTUS ſeu XYSTUS (a) III.

Impia principiò (b) *Britonis ſenſa haud ſatis odi,*
Fraude at deprensâ mox ſapuiſſe (c) *datum.*
Præſul id Hipponæ (d) *doluit, lætatus at iſto* (e) *eſt,*
Quo functo Libyes concidit omne decus (f).

ENARRATIO.

(a) ROmanus, ejusque Eccleſiæ Presbyter; excepit Cæleſtinum, die 26. Aprilis anno præf. C. 432. quo paulò pòſt Johannem Antioch. & Eccleſias

cleſias Orientis illum ſequutas, Theodoſius Imp. conſilio inprimis Iſidori Peluſiotæ uſus, ad unionem & communionem Eccleſiæ Romanæ ac Alexandrinæ feliciter reduxit, quo pacto Concilii Epheſini fides, & Neſtorii condemnatio, ab omnibus recepta, pacem Eccleſiæ dedit. Dum verò ita CHRISTI hominis gloria in toto Orbe aſſeritur, Judæi in Creta, à quodam Pſeudo-Moſe miſerabiliter deluſi, veritatem ſerâ pœnitentiâ agnovere. Ille enim, cùm freta eis pervia, ſicut quondam mare rubrum verus Moſes, promiſiſſet, plurimos in aquas deſilire impulit, mox vorticibus hauſtos: reliqui, deceptione tam exitiabili emendatiores, relictis majorum erroribus, Chriſti crucifixi divinitatem cœperunt venerari, eodem anno 432. Socrates *lib. 7. cap. 38.* Poſt quæ, puellæ dæmoniacæ, *poſtquam brevem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote percepit*, liberatæ, miraculum contigiſſe Carthagine, auctor eſt Proſper *Dimid. temp. de prom. & prædict.* ſi modò liber ejus eſt: ad quæ verba, quæ vet. Eccleſiæ de S. Euchariſtia ſententia fuerit, doctè notat Joh. le Sueur, *ann. Ch. 434.* A' Mariniano dein Patricio & Anicio Baſſo, qui quatuor antè annis Conſul fuerat, ſtupri accuſatus Sixtus, Concilio Romæ juſſu Valentiniani coacto LVI. Epiſcop. cui ſe ſponte is ſubmiſerit, atque illius ſententiâ abſolutus, dicitur, *Epiſt.* ipſius Sixti *ad Epiſcopos Orient.* & in *Actis* Synodi hujus, inſertis *tom. II. Concil.* ſed *Acta* hæc variè depravata, obſervat Card. Baronius *ad an. C. 433. §. 36. & 37. Epiſtolam* quoque dictam ſuppoſititiam eſſe, docet Blondellus *Cenſurâ Epiſtol. Pontific.* V. etiam le Sueur *ad an. C. 434.* Interea Neſtorius, cùm non deſiſteret ſententiæ

ſuæ ſuffragatores aucupari, Theodoſii juſſu, Oaſin Arabiæ remotus, bonis illius Eccleſiæ CP. addictis, ibidem à terra abſorptus, vel, ut alii, corroſâ à vermibus linguâ, miſerè periit, *exitu vitæ alter Arius declaratus*, Evagrius *l. 1. c. 7.* anno C. 435. Secuti triceſimo anno Theodoſii terræ motus ingentes, per menſes aliquot integros, maximarum prænuntii mutationum, quibus Reſp. tum Eccleſiaſtica, tum mundana, mox laboravit, ac tantùm non occidit, ann. C. 437. uti ex Evagrio eod. & Sigeberto Gembl. notat Cluverus. Ejus verò triceſimo primo Eudocia uxor Theodoſii, ex voto mariti, iter Hieroſolymam obivit, quod pluribus deſcribit Socrates *Hiſtor. Eccleſ. l. 7. c. 47.* & Evagrius modò laudatus, *lib. 1. c. 20—22.* neuter tamen *faſciarum* Servatoris noſtri, aut *catenarum S. Petri*, quæ tum ipſi à Juvenali Epiſc. donata recentiores tradunt, meminere. Chryſoſtomi verò corpus, Proclo annitente, CPolim translatum, & Joannitæ in communionem recepti ſunt, ann. C. 438. Quæ dum in Oriente fiunt, piratæ mare Siculum infeſtum reddidere, ipſaque Sicilia potiti, ſed brevi pòſt à Valentiniani ducibus inde rejecti ſunt, ann. C. 439. Littorius verò, dux gentilis, qui ſecundum in exercitu Romano gradum tenebat, ab obſidione Toloſæ magnâ clade repulſus, in Theodorici victoris manus venit: cujus reliquias collecturus Albinus, dum cum Aëtio rixatur, Sixtus Valentiniani rogatu Diaconum ſuum Leonem in Gallias miſit, pacem inter illos compoſiturum. Mox ipſe inſidias paſſus à Juliano, celebri illo Pelagii aſſecla, qui, ut in Epiſcopatum ſuum reſtitueretur, ſeriam pœnitentiam ſimulavit, illas ſolerter exiit, neque ſibi imponi ampliùs permiſit, magno rectè ſentientium gaudio, ann. Ch. 439. Proſper

Chron.

Chron.(*b*) Priùs enim eum Pelagianis æquiorem creditum, (*c*) doluerat Auguſtinus, (*d*) poſtea verò damnatos ab eo (*e*) lætatus, uti videre eſt apud illum *Epiſt.* 104. & 105. unde Garnerio *ad Mercator.* varios tractatus Pelagianiſmum redolentes jure tribui Sixto, judicandi occaſio data. Obiit d. 28. Martl, anno C. 440. ſedis 8. circiter, Valentiniani III. ann. 17. Theodoſii Jun. 33. in æde S. Laurentii, quam is magnificè exornaverat, tumulatus. Ordinavit XXVIII. Presbyteros, XII. Diaconos & LII. Epiſcopos: ſcripſit *Epiſtolas* varias, præter modò dicta, & Baſilicam quoque Præſepii, quam hodie *Mariæ majoris* vocant, ornamentis ac reditibus eximiis locupletâſſe dicitur: plura apud Cyrillum *Epiſt.* 29. & 38. Gennadium *Catal. c.* 54. Bellarminum, Miræum, Poſſevinum, & qui *de Pontificibus* ſcripſere. (*f*) Ejus ætate, *CPoli* extincto Maximiano ſucceſſit Proclus Cyzici priùs Epiſcopus, ann. C. 434. in *Antiochena* Eccleſia Joannes, deſertis cum Theodoreto Cyr. Neſtorii partibus, deceſſit ann. Ch. 436. ſucceſſore Domno nepote ſuo. Sub quo, ingenti de Primatu lite, inter Cyrillum Epiſc. Alexandr. eumque, inſtinctu Dioſcori Apocriſiarii Eccleſiæ Alexandr. obortâ, Proclus ei decidendæ Synodum CPolim convocavit, quâ Antiochenæ ſedi jus ſuum manſit, & Primatus Eccleſiarum Orientis relictus, an. C. 439. *Hieroſolymitanam* adhuc Juvenalis gubernabat: unde Nicolaum I. Pontif. *Epiſt. ad Michaëlem Imp.* auctoritati Sedis Romanæ ſtabiliendæ laudantem *Acta Judicii Polychronii Epiſc. Hieroſolym.* arguit Joh. le Sueur *ad ann. C.* 435. In Eccl. Ravennenſi, Petrus Chryſologus Joannem, ann. C. 435. in Arelatenſi, Honoratum Hilarius, ann. C. 439. excepere, ambo eruditione ac auctoritate celebres. CPoli Voluſia-

nus Melaniæ Jun. ſocer à Proclo adhuc Presbytero ad fidem convertitur, ipſaque Melania multos à Neſtoriana hæreſi ad frugem reducit, ann. C. 434. Socrates verò, Novatianis non parùm favens, ut & Sozomenus, *Hiſtorias ſuas Eccleſ.* finiunt, an. C. 439. Sub Impp. præfatis, præter terræ motus retrò indigitatos, varia mala Imperium adflixere, incendium Conſtantinopoli per triduum integrum graſſatum, ann. C. 433. ſecuta fames, ann. C. 434. bella in Occidente, ann. C. 439. & 440. teporem in Religione ingentem cœlitus in Chriſtianis Deo vindicante. Namque & Littorium Valentinianus, & Cyrum Theodoſius, Ethnicos ambos, inter Duces præcipuos habuere, Cyrus quoque ad Conſulatum eve-ctus eſt, ann. C. 439. & 440. quorum proin favore nixi Gentiles eouſque caput erexere, ut novo *Edicto* Theodoſii, c. Judæos, Samaritanos, Hæreticos, ac præcipuè idololatras, vide *Nov. Theod. tit. 3. de Iud.* Cyrilli item & Theodoreti, *c. Iulianum deſertorem & de Affectionib. Græcorum* inſignibus ſcriptis, coërceri neceſſe habuerint. Sed & in Occidente, *per plateas Idola repræſentandi & in eorum honorem ſub perſonis incedendi*, perdurabat conſuetudo, Petri Ravennatis & Maximi Taur. piis doctiſque homiliis crebrò flagellata. Nec deerant Chriſtiani, qui ludos ac Spectacula Circenſia, priſcis ſuperſtitionibus mixta, in honorem Jeſu Chriſti, celebrari non malè, ſibi perſuaſum habebant, validè Salviano refutati, *de Vero Iudic. lib. 6.* Vide Joh. le Sueur *ad ann. C. 439.* Interea in Africa ingens perſecutio excitata eſt à Genſerico Vandalo, Arianâ hæreſi infecto, in qua Arcadius, Probus, Paſchaſius ac Eutychius Hiſpani, omnes de Rege optimè meriti, quòd à recta fide deficere conſtantiſſimè recuſarent, variis ſuppliciorum

ciorum generibus excarnificati ſunt: acceſſit duorum ultimorum frater, tenellæ adhuc ætatis, Paulillus, qui virgis ad necem proximè cæſus, fidem tamen intemeratam ſervavit, ipſumque tyrannum, à puerulo victum, in pudorem dedit, ann. Ch. 437. Proſper *Chron.* De Hæreticis jam varia diximus, Neſtoriani, etiam poſt infelicem auctoris ſui obitum, non ceſsârunt, ſub nominibus Theodori Epiſcop. Mopsveſtienſis & Diaconi Tarſenſis, ſcripta varia erroribus ſuis referta, paſſim hominibus obtrudere, contra quæ proin habita Synodus in Armenia & Antiochiæ, & Cyrillus IV. libb. edidit, quinto inſuper *de Incarnatione* conſcripto, ann. C. 435. Nec defierunt Donatiſtæ, qui Genſerico, captâ, mediâ in pace cum Valentiniano, Carthagine, juncti in orthodoxos paſſim in Africâ ſævierunt: Epiſcopus verò Quod-vult-Deus, cum ſuo Clero, licèt vetuſtis navibus impoſiti, Neapolim incolumes pervenerunt. Id boni ſaltem ex ea clade, quòd à Wandalis hac occaſione Gentiliſmus funditus in illa orbis parte everſus eſt, ann. C. 439. Salvianus *de Vero Iud. l. 6.* Proſper *Chron.* & Marcell. Victor *de Perſecut. Vandal.* adde le Sueur ſæpius laudatum, quem quoq; de Vincentio Lirin. & *Prædeſtinatianis*, uti is S. Auguſtini ſectatores vocare ſolitus eſt, videre operæ pretium erit, *ad. ann. C.* 433.

XIV. LEO

XIV. LEO (g) I. MAGNUS.

Moribus (h), *eloquio* (i), *doctrina* (k) *& lumine Magnus* (l),
Sed cura huic princeps gloria ſedis (m) *erat*.
Occidui hinc orbis primatum (n) *à Caſare nacto*:
Quem verò tellus ſprevit Eoa (o) *ſequi* (p).

ENARRATIO.

(g) TUſcus gente, in locum Sixti electus, Præſulatum Romæ accepit, poſtquam eſſet reverſus è Legatione, d. 10. MaI, ann. C. 440. præf. defunctus autem illâ eo quidem eſt ſucceſſu, ut in poſterum apud Valentinianum Principem, non dicam cum Sidonio *ſemivirum & amentem, carm. 7.* ſed facilem ad quęvis flecti, otiiq́; ac voluptatum amantem, nihil non poſſet, ut mox videbimus. (*h*) Sanctitatis (*i*), eloquentię & excellentis (*k*) eruditionis, vigilantiſſimi item adversùm Hæreticos ſtudii elogium meruit; ut qui Neſtorianis in Oriente, Vandalis in Africa, Manichæis in Occidente obnixus, Pelagianos Italiâ penitùs pellere inſtituit, ut in ſeqq. dicemus, (*l*) *Magni* hinc cognomen adeptus. Sed (*m*) poteſtatis Pontificiæ ſtrenuus aſſertor, *primus in omnes totius Orbis Chriſtiani Epiſcopos dominatum ſibi aliquem, velut ex privilegio Petro dato, cœpit arrogare*, Joh. Cluverus *in Theodoſio II. & Valentin. III.* Ut verò ſedem conſcendit, Arauſione in Gallia Synodus habita eſt, diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Gallia Narbonenſi

nenſi intra certos cancellos conſtringendæ, cui inter alios interfuit Eucherius Epiſc. Lugdun. uxoratus, pater Salonii itidem Epiſcopi, ſanctitate & ſcriptis inclytus, ann. C. 441. Sequuta Synodus Vaſionenſis, præſide Auſpicio *Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ*, ut in *Actis* ejus appellatur, urbis Præſule, ann. C. 442. Poſt quæ Manichæi, ſævitiam Vandalorum fugientes, cùm in Italiam magno numero ex Africa ſe recepiſſent, & paſſim ſeſe fidelium cœtibus miſcerent, Leo plurimis concionibus in eos invectus, hoc indicio illos dignoſci docuit, quòd, ad S. Myſteria accedentes, ore quidem corpus Chriſti acciperent, *Sanguinem autem redemptionis noſtræ bibere omni ratione evitarent*, vide eum *Serm. 4. c. 5.* ut qui à *vino* abhorrebant, uti notum. Iidem verò, quòd in honorem Solis & Lunæ, diebus utriusque planetæ nomini dicatis, jejunarent, quidam pietatis eorum ſpecie decepti, cum iis Solem venerari, ac ad eum converſi precibus ſuis defungi non dubitârunt, cui quoque ſuperſtitioni Leonis zelus maturè ivit obviam, ann. C. 443. Inſuper Synodo contra Hæreticos hoſce Romæ coactâ, atque ſub examen vocatis *Electis* illorum, impuritatem ſectæ in apricum ita produxit, ut omnibus non ſine horrore appareret, iis *mendacium pro Lege, Diabolum pro Doctore, & libidinem pro ſacrificio* eſſe. Itaq; Synodi Acta ad compluresEccleſias, Hiſpaniæ præſertim, quas ſimili Priſcillianiſtarum intemperie paſſim adhuc agitari noverat, deferri curavit. Pelagianis inde acriter ſe oppoſuit, Proſperi inprimis Aquitani miniſterio, quem Secretis ſuis admoverat, feliciter uſus. Cumq; à Dioſcoro, de ſui in Alexandr. ſedem evectione per literas factus eſſet certior, reſponſo promptè ad eum expedito, gratulatur primò illi ſortem ſuam, monet dein,

ut

ut ordinationes Presbyterorum Diaconorumq; non quotidie, uti hactenus in illa Eccleſia moris erat, ſed in poſterum Sabbatho ſolùm ſancto, aut Paſchatis die, prævio ritè jejunio, uti Romæ fieri ſolitum, peragat: addit feſtis ſolemnibus, ubi ingens hominum multitudo ſacris intereſt, binis vicibus Euchariſtiam celebrari conſultum eſſe, ne ullus devotione ſua defraudetur, omnesque *Sacrificium offerendi* facultatem habeant. Ad quam *Epiſtolam* le Sueur, una in æde unum tum altare ſeu menſam Domini (quas voces eo ævo promiſcuè uſurpatas notum) ſolùm fuiſſe, omnesque tum fideles *communicare* conſueviſſe, notat, *ann. C.* 444. Poſt quæ Valentinianus Romam venit, Vicennalia celebraturus, qua occaſione Leo dextrè uſus eſt, ad ſedis ſuæ auctoritatem altiùs, quàm hactenus fuerat, extollendam. Cùm namque Hilarius Epiſc. Arelatenſis, jure ac privilegio ſedi ſuæ per Patroclum acquiſito, uti in *Zoſimo* diximus, uſurus, Chelidonium Epiſc. Veſontinum, quòd contra canones Synodorum viduam duxiſſet, Epiſcopatu juſſiſſet cedere; Projectoq; Epiſc. lethaliter ægrotante, alium in ejus locum, Eccleſia loci non conſultâ, ſubſtituiſſet, Leo, ad quem primi hi Galliarum Epiſcopi Chelidonius & Projectus appellaverant, cauſam utramque Synodo Romæ convocatâ cognoſcendam ſibi ſumpſit: moxq; literis ad Epiſcopos prov. Viennenſis, in qua ſe *Vrbis Romæ Epiſcopum* vocat, datis, in Hilarium, ut qui limites Diœceſis ſuæ exceſſiſſet, neque S. Petro, ac Cathedræ Apoſtolicæ ſubjici vellet, graviter invectus eſt. Inſuper, reſciſſis Hilarii actis, eum Metropolitæ dignitate privavit, Leontio Epiſc. Forojul. illi ſurrogato: ne verò in exequenda ſententia deficeret, (*n*) à Valentiniano Legem impetravit, quâ in omnes reliquos Chri-

ſtiani

ſtiani orbis Epiſcopos *Primatus* ei conceſſus eſt, ann. Ch. 445. inſcripta illa Aëtio, Theodoſii & Valentiniani Augg. nomine, continetur *in Cod. Theodoſ.* valuitque ab eo tempore, quamvis non ſine frequenti contradictione, in Occidente: (*o*) Orientis Eccleſiis priſtinam libertatem acriter ſemper tuitis. Sequente anno, VII. Martyres, Epheſi in ſpelunca quondam, Decio imperante, obſtructâ, *dormientes*, poſt 200. fere annos excitati, reſurrectionis mortuorum fidem apud multos labantem firmâſſe referuntur: ſed rem, omnibus Eccleſiæ Orientalis Scriptoribus ignoratam, primoque Gregorio Turon. proditam, meritò cordatis ſuſpectam haberi, docet le Sueur *ad ann. C. 446.* Terræ motu poſt hæc horribili (quem decennio priorem faciunt alii, ut *in Sixto III.* videre eſt) concuſsâ Conſtantinopoli, vicinisque regionibus, *Triſagii* cantandi occaſionem in Eccleſia ortam, narrat Baronius ex Nicephoro Calliſto aliisque. Qua de re ſic Cluverus, *Cæterùm in terræ motu trepidantibus cunctis, adoleſcentulus quidam ſubitò in aërem ſuſtollitur, repoſitusque in terram ait canendum omnibus*, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri, *nihilque aliud adponendum, haud obſcurâ invocationis Sanctorum damnatione. Quare cùm paſſim cantaretur illud*, Kyrie Eleiſon, *& quæ ſeqq. ceſſavit terræ motus.* Nihil verò tale Evagrius, qui terræ motum hunc pluribus deſcripſit *Hiſtor. lib. 1. cap. 17. & ſeqq.* ut & Marcellinus *Chron.* nec ratio temporum quadrat rei, ut narratur, circumſtantiis, ut le Sueur accuratè probat, demumque ſub finem act. 1. Concilii Chalcedon. in uſum adhibita dicta Triſagii formula occurrit; Vide Allixium *Diſſert. de Triſagio.* Interea, Priſcillianiſtis in Hiſpania de novo lacer-

lacertos moventibus, per Suevorum Gothorumque motus, Turibius Episc. Aſturicenſis ſedecim præcipuorum, quos fovebant, errorum elenchum Leoni miſit, ac contra illos conſilium petiit: qui prolixo ad ejus literas reſponſo quemq; illorum accuratè refutavit, ſimulque ut Synodo provinciali convenirent Præſules, monuit. Convocata itaque illa, atque inter alia Bracarenſes Patres, qui, quòd Richilæ R. Suevorum ſubeſſent, ſeorſim coierant, decreverunt, ut Symboli CPolitani verbis, *Credo in Spiritum S. qui procedit à Patre*, adderetur, *Filioque*. Quæ additio recepta à Viſigothis, & admiſſa Concilio Tolet. IV. VIII. XI. XII. & XIII. inde in Galliam tranſiit, uti ex Synodo Arelatenſi ſub Carolo M. habita liquet, tandemque in Rom. quoque Eccleſiam, an ſub Nicolao I. an ſub Sergio III. variant enim Auctores, an ſub Benedicto VII. ann. C. 1012. ut Baronio videtur, introducta, præcipua Schiſmatis Græcorum cauſa extitit, ſymbolo aliquid abſque Concilii Oecum. decreto additum, querentium. Dies dein Baptiſmi adminiſtrationi duos ſolùm per annum, Paſcha viz. & Pentecoſten, Syricii exemplo, deſtinans Leo, Siculis Præſulibus eorum obſervationem rigidè injunxit, ann. C. 447. & duodecennio pòſt cœteris quoque Italiæ Epiſcopis: quæ lex Græcis, Afris, Orientalibus, Hiſpanis quoque & Gallis diu neglecta, nec niſi circa IX. Seculum in ipſo Occidente univerſim recepta, tandem circa ſec. XII. in ipſa quoque Eccleſia Rom. exolevit. Poſt quæ, Theodoſius Codici Legum à ſe dicto *Novellas* adjecit, Edictoque ſevero Idololatras ac Neſtorianos coërcuit: ſed nova mox hæreſis orta, auctore Eutychete Archimandritâ CPolitano, qui, dùm Neſtorianam oppugnat hæreſin, in aliam non minùs gravem delapſus,

rema-

remanere in Chriſto incarnato duas naturas, divinam atque humanam negavit, *ambasque in unam contemperatas permixtasque eſſe*, docere cœpit. Quare coactâ CPoli Synodo, præſide Flaviano, ob pertinaciam in errore, *extraneus à Communione Eccleſiæ*, & primatu Monaſterii, declaratus, decretumque Synodi cum Leone per literas communicatum eſt. Sed præveniens Eutyches, datisque ad Leonem literis ſententiam Synodi retractari cupiens, ann. C. 448. effecit, ut temeritatis collegam argueret Leo. Inſuper Chryſaphii Eunuchi potentiâ ſubnixus Hæreticus impetravit, ut nova Epheſi Synodus congregaretur, quam Λῃϛρικὴν ab infelici eventu appellârunt. In illa enim, præſidente cum militibus Dioſcoro Alexandrino, damnatus eſt Flavianus aliique, abſolutus Eutyches: à qua ſententia Flavianus cùm appellaſſet ad Leonem ac cœteros Epiſcopos Occidentis, Dioſcori juſſu per Barſumam Abbatem *pugnis*; ipſiusque mox Dioſcori *calcibus*, adeò contuſus eſt, ut paulò pòſt animam efflaret. Et quia Leo Legatos ad hanc Synodum ſuos, celebri illa Epiſtolâ, *Fratri Dilecto Flaviano* inſcriptâ, in qua veram *de Incarnatione* doctrinam ſolidè ſtabilivit, hæreſinque Eutychianam accuratè ex S. Scriptura refutavit, inſtruxerat, illique Synodi ſententiæ perpetuò contradixerant, Leoni anathema dixit, Alexandriam reverſus, Dioſcorus. Leo verò, tum binis Theodoreti, eadem Synodo depoſiti, literis, tum Hilarii legati ſui relatione, de Synodo eâ geſtis certior factus, primò Flavianum, miſſo ad eum ſuorum aliquo, ſolatus eſt: Synodo dein Romæ coactâ, nomine omnium Eccleſiarum Occidentis, Theodoſium rogavit, ut Concilium Oecumenicum convocaretur, cui cauſæ hujus deciſio committeretur,

tur, ann. Ch. 449. qui tandem, ab Eunucho Chryſaphio, ſe deceptum animadvertens, atque à Pulcheria meliora edoctus, Chryſaphium exilio multavit, & novum Concilium moliri viſus eſt, ſed obiit, d. 29. Jul. æt. ann. 50. Imp. 44. Quod verò is morte præventus non poterat, præſtitit mox Pulcheria, nupta Martiano, quem ad Imperium evexerat. Hic itaque conſilio uxoris uſus, triduo poſt thronum conſcenſum, Apollinaris & Eurychetis errores publico Edicto damnat, literis dein ad Leonem miſſis, ut futuro Concilio præſideat, petit: Præſules enim Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum vel Hæreticis favebant, vel ſaltem ſuſpecti erant; Anatolius verò vixdum CPolitanum præſulatum fuerat auſpicatus, nec niſi poſt Fidei ſuæ rationem redditam, plenè admiſſus. Gratias egit Leo, laudatoque Auguſtorum conjugum zelo, ut in Italia Concilium celebraretur, rogavit, ann. C. 450. Sed in Oriente illud habere certus Imperator, Patres primò quidem Nicæam, mox Chalcedonem, convenire juſſit: ubi proin *Concilium IV. Oecumenicum* DCXXX. Epiſc. Scripturarum S. Codice in medio, uti in Epheſino factum, expoſito, ac Martiano & Pulcheriâ præſentibus, Legatis verò Leonis, juſſu Imperatoris, an potiùs Anatolio, qui primus nominatur *Seſſ. 1.* præſidente, celebratum, atque in eo doctrina priorum Conciliorum confirmata, Eutychianiſmus cum auctore damnatus, Dioſcorus depoſitus, ac Gangram urbem Paphlagoniæ relegatus, decretumque eſt, beatiſſimam inter mulieres Mariam *non tantùm Chriſtiparam, ſed & Deiparam*, nominandam. Quia autem ex decreto Concilii CP. Epiſcopus ejus urbis ſecundam ſedem adeptus, in Oriente jam magnam auctoritatem Romaniſque

Præſulibus

Præſulibus invidendam obtineret, Leo intercedere, in Chalcedonenſi hoc, obtentu Nicænorum Canonum, *quibus aliter cautum ſit*, conatus eſt. At Patres, de Thronis ſeu *Sedibus Patriarchalibus* ſic decreverunt, *can. ult. Sedi ſenioris Romæ, quòd urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Deo amantiſſimi Epiſcopi τὰ ἴσα πρεσβεῖα, æqua privilegia, tribuerunt ſanctiſſimæ ſedi novæ Romæ, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus privilegiis cum ſeniore Roma fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem.* Ad quem Canonem ſic Clariſſ. Heideggerus: *Canon hic*, inquit, *Rom. Epiſcopum, ad altiora immodicè nitentem, manifeſtè in ordinem redigit. Primatum quippe Rom. Epiſcopi non juri divino & ſucceſſioni Apoſtolicæ, ſed conſtitutioni Patrum & cauſæ politicæ prærogativæ ſc. Vrbis adſcribit: τὰ ἴσα πρεσβεῖα, jura æqualia, poteſtatis ſcilicet (nam dignitatis prærogativa jam antè Concilio Conſtantinop. Eccleſiæ illi conceſſa fuit) ſine reſpectu ad Rom. Eccleſiam, Conſtantinopolitanis vindicat; Conſtantinopolitanum, qui Anatolius tum erat, Romano, Leoni ſc. exceptâ primæ ſeſſionis prærogativa (quæ ordinis prioritas poteſtatis æqualitatem non tollit) æquans Romani juriſdictionem coërcet: denique, ſine conſenſu Romani, de thronorum juriſdictione ſtatuit*, V. cum *Eccleſiæ Rom. Periodo II.* Oppoſuit quidem Canoni ſe acriter Leo, ſed incaſſum: & gliſcere inde Romanos inter ac CPolitanos perpetuæ æmulationes viſæ ſunt; faventibus Romano etiam Alexandriæ & Antiochiæ Epiſcopis, CPolitani ſucceſcentem auctoritatem haud æquo animo ferentibus: quam in rem vide plura

apud

apud Joh. le Sueur *ad hunc & ad alios Concilii Canones*, dominationi unius Epiſcopi non magis æquos, *ann. C.* 451. ad quem, *Patriarcharum gradum nomenque ſupra Metropolitanos, Concilii Chalcedonenſis decretis, primò conſtitutum ſtabilitumque fuiſſe, veriſimile* judicat, Joh. Caſp. Suicerus *Theſauro Eccl.* voce Πατριάρχης. Sequentis anni d. 11. Apr. Valentinianus, *ne Clerici & Monachi cauſas ſeculares ſuſciperent*, Lege cavit: Martianus verò auctoritate auguſtâ Concilii Chalcedon. decreta firmavit, quod multum valuit ad Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychianorumque lites finiendas, quæ ad 150. annos fœdiſſimè vexârant incolas terrarum. Manſit tamen & Eutychiana hæreſis paſſim in Ægypto, Palæſtina, Oriente, ſatis diu poſt hæc, & in graviſſimas lanienas ac odia erupit. Nec ceſſavit de dominatu contentio inter Epiſcopos, novis ad Anatolium irati Leonis literis inſtaurata, ann. Ch. 452. qui Attilam, poſt ingentem in Gallia cladem, Romam properantem facundiâ ſuâ avertit, ann. C. 453. quo ipſo cum Anatolio nonnihil colliſus, ejus poſtea literis ad pacem revocatus eſt, atque in Eutychianiſmo extirpando multum operæ ſumpſit, ann. C. 454. At Alexandriæ, cùm in Dioſcori locum Proterius ſurrogatus ab orthodoxis eſſet, Eutychiani contra eum elegerunt Timotheum Ælurum: qui, mortuo Martiano, ſeditioſâ plebe contra Proterium excitatâ, eum cum 6. aliis crudeliter interfici, ac cadaver per univerſam urbem tractum membratim diſcindi curavit. Quod factum Eutychiani eâ audaciâ defendebant, ut etiam Synodum Chalcedonenſem aboleri ac tolli poſcerent: verùm de novo confirmavit illam Leo I. Imp. qui Martianum exceperat, ann. C. 457. Reſpondit poſt iſta Leo Papa

Nicetæ

Nicetæ Epiſc. Aquilejenſi ad varia quæſita, inprimis de fœminis, quæ Barbarorum ſub Genſerico in Italiam irruptione maritis ſuis, in captivitatem abductis, orbatæ alios ſibi conjuges aſcivere: de iis item, qui à Barbaris capti idolothyta guſtârunt, quique ſe ab Hæreticis rebaptizari paſſi ſunt, ann. C. 458. Inde Epiſcopis Italiæ dies Paſchatis & Pentecoſtes, in baptiſmi adminiſtratione obſervandos, non minùs, ac Siculis olim, uti diximus, injunxit ann. C. 459. Obiit magnâ nominis ſui famâ inclytus, d. 11. April. ann. C. 461. Sedis paulo minùs ann. 21. Leonis I. Imp. 5. non de Eccleſia ſolùm, ſed & urbe Româ, Attila averſo, & Genſerico, ne captæ ac direptę ignem immitteret, facundiâ ſuâ delinito, an. C. 455. optimè meritus. Opera ejus, *Sermones & Epiſtolas* continentia, ſæpiùs recuſa: in quibus eminet *Epiſtola ad Flavianum* contra Eutychetem ſcripta, cujus ſuprà mentionem fecimus. Ordinâſſe dicitur LXXXI. Presbyteros, XXXI. Diaconos, & CLXXXV. Epiſcopos. Cluverus, eum *auctorem* quoque *Canonis* facit, *quo ſanctum Sacrificium immaculatamque hoſtiam ſe Deo offerre dicit Sacerdos, Dominicam cœnam celebrans*, eumque *veneratorem imaginum ac reliquiarum fuiſſe*, ſcribit, ubi ſuprà. Favet ei, quòd Epiſtolarum unâ fruſtulum ſanctæ, ut habebatur, crucis, à Juvenali Epiſc. Hieroſolym. ſibi muneri miſſum, exquiſito verborum paratu proſequitur, uti notat le Sueur *ad ann. C. 454*. Hoc certum, acrem Pontificiæ poteſtatis propugnatorem promotoremq; fuiſſe, quam ut fundamento magis ſtabili inædificaret, non à prærogativa urbis, uti hactenus factum, Imperii quippe ſedis CPolim translatione multùm labefactatâ, & non una clade ac expugnatione Barbarorum penitùs tantùm non pro-

 ſtratâ;

ſtratâ; ſed ex jure divino ac ſucceſſione Apoſtolica arceſſere conſultum duxit. Unde de illo Heideggerus, *Leo, anno circiter 450. ſuum illud :* Tu es Petrus, *ſtrenuè inculcans, Petrus, inquit, petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur* &c. *In ſua ſede vivit poteſtas, excellit auctoritas. Fratres omnium Epiſcoporum noverant eſſe Primatem. Nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit Chriſtus,* verbis ipſius Leonis in *Hiſtor. Papatûs Eccl. Rom. periodo 2.* quæ etiam cauſa fuit, cur *Canonem ult.* Concilii Chalcedon. ordinem ac prærogativam Epiſcoporum, ab urbium ὑπεροχῇ, derivantem, adeò non probaverit. Plura apud Gennadium *c.70.* Honoratum Auguſtodun. *l.2.c.69.* Photium *Cod. 52.* Anaſtaſium *ad Ioh. Diacon.* in Collect. P. Concilii Chalcedon. *Act.* 16. Evagrium *lib.2. cap.5.* Alios. Illius tempore, *CPoli* Proclum defunctum, ann. Ch. 446. excepit Flavianus: quo Synodo Lyſtricâ depoſito, & paulò pòſt, martyrii coronam adepto, ann. C.449. ſucceſſit Anatolius, anno ſequ. hincque Gennadius, ann. C. 458. *Alexandriæ*, Cyrillo ſucceſſit Dioſcorus, ann. C.444. quo ob hæreſin depoſito, Concilii Chalced. ſententiâ, Proterius in ejus locum ſurrogatus eſt, ann. Ch. 452. ſed illi occiſo ſucceſſit Timotheus Ælurus Hær. ann. C. 457. quo in Cherſoneſum relegato, Timotheus Solofaciolus ſedem tenuit, an. C.460. *Antiochenam* Eccleſiam, poſt Domnum, Maximus regere cœpit, ann. Chriſti 451. *Hieroſolymis* adhuc præfuit Juvenalis, uſque ad ann. C. 458. quo eum extinctum Anaſtaſius excepit. In Arelatenſi Eccleſia, poſt Hilarium, Ravennius Præſulatum nactus eſt, cui Leo Epiſc. Rom. Zoſimi decreto renovato, Galliæ primatum reſtituit, ann. Ch. 449. Impp. quod attinet, ſub Theodoſio, Martiano,

Leone,

Leone, in Oriente, res ſatis tranquillæ, & à Chalcedonenſi Synodo Veritas, ab Hæreticis impetita, novum ſplendorem accepit, ut vidimus. In Occidente verò, peremptis Valentiniano Ætioque, ſoluti metu Barbari paſſim volitare, & tanquam laxatis vinculis Remp. diſcerpere cœpere. Direpta à Genſerico Roma, quæ varios tyrannos, Imperio Occidentis ad finem vergente, aliquandiu paſſa eſt. In Africa, idem Genſericus graves in fideles perſecutionem moverat, ann. Ch. 442. de qua vide Victorem Utic. *de perſecut. Vandal.* De Hæreticis, nil opus repetere. Plura in hanc rem ſuppeditabit Joh. le Sueür *in Leone Magno*, ubi, inter alia, de Viris illuſtribus, qui eo ſedente ſcripſere ac floruere, *Dracontio Poëta Chriſtiano, ad ann. C. 440. Lupo Epiſc. Trecenſi, urbem ſuam ab Attilæ furore intrepidè tuito, ad ann. C. 451.* titulisque *Papæ, Patris Patrum, Epiſcopi Epiſcoporum, & primi Orbis Epiſcopi,* eidem à Sidonio Apollinari tributis, *ad ann. C. 452.* &c. porrò, de titulis *Archiepiſcopi, Metropolitæ, Primatis, Exarchi & Patriarchæ, de Metropoleos* item & *Diœceſeos vocibus, ſignificatione & origine, ad ann. C. 449. & 451. de Monachorum in Oriente furore, ad ann. C. 452. de Imagine, Sepulchro & Aſſumptione B. Virginis, ad ann. Ch. 453. de Aqua Luſtrali & Euchariſtia, ad ann. C. 457. de Impoſitione manuum, Confirmatione & Chriſmate, ad ann. C. 458. de Studitarum* ſeu *Acœmetorum Cœnobio CPoli inſtituto, ad ann. Ch. 459. de Simeone Stylita, ad ann. C. 460.* &c.

XV. HILARIUS (q).

Ut cœptum eſt, ſic pergo alacer (r), *ſicq; impero Clero,*
Me, ſponſum, haud arcet, judice, virgo (ſ) *Sacris.*
Acer in Hæreticos (t), *procul hinc procul inde repello,*
Sumptibus immenſis extruo (u) *templa Deo* (x).

Enarratio.

(q) E Sardinia, Calaritanus, poſtquam teſte Baronio ſedes vacâſſet m. 7. in Leonis locum ſuffectus eſt, d. 12. Nov. ann. C. 461. Leonis I. Imp. anno 5. Ad Synodum Epheſinam II. quam *Lyſtricam* diximus fuiſſe nominatam, à Leone miſſus unà cum Juliano Epiſc. Puteol. Renato Presbytero & Dulcitio Notario, cùm Diaconus is eſſet, Flaviani Epiſc. CP. condemnationi ſubſcribere noluit, ſententiæ ſe opponens verbo *contradicitur:* hinc tutum ſe non fore ratus inter Hæreticos eorumque fautores, Epheſo clam diſceſſit Romamque reverſus, de iis, quæ pſeudo-ſynodo hac acta, Leonem edocuit, ann. C. 449. Ut primùm igitur in ſedem evectus eſt, Epiſtolâ cyclicâ Neſtorii & Eutychetis hæreſes damnavit, ac Concilia IV. Nicænum, CP. Epheſinum I. & Chalcedonenſe confirmavit. Significavit etiam, pro more, electionem ſui celebriorum Eccleſiarum Epiſcopis, atque inter eos Galliæ

liæ quoque, quà Imperio Rom. adhuc ſuberat, Præſulibus. (r) Porrò tres literas ad Leontium Arelatenſem expediit, in earum unis de Hermetis ad Epiſc. Narbonenſem, ſine ſuo ſcitu, facta promotione conqueſtus: quem proin loco movit, Conſtantio Ucetienſi ſubſtituto, ſimul Arelatenſem ſedem magnis privilegiis auxit, aliaque in Eccleſia Gallicana, pro auctoritate ſedi ſuæ per Leonem acquiſita, conſtituit. Habita dein Turonenſis Synodus VIII. Epiſcoporum, cujus *Canone 2.* priſcus rigor erga Presbyteros ac Diaconos uxoratos mitigatus illique munere quidem privati, communione tamen prohibiti non ſunt, ann. C. 461. Poſt quæ, pictori cuidam CPolitano, Chriſtum ad inſtar Jovis delineare inſtituenti, manum exaruiſſe, Gennadii precibus curatam, ſcribit Theodorus Lector, additque, aliam Servatoris effigiem, ad vivum magis expreſſam, capillo brevi & criſpo, tum in nonnullorum manibus fuiſſe, ann. C. 462. Cùm dein Mamertus Viennæ Epiſc. Eccleſiam Dienſem, quam metropoli ſuæ ſubjectam rebatur, Paſtore inſtruxiſſet, re ad Hilarium Papam delatâ, hic in Mamertum acriter invectus, ſanctitatis opinione celebrem aliàs, eique gravia comminatus eſt: quem Hilarii, non minùs ac Leonis in Hilarium Arelat. rigorem, quo pacto excuſet Baronius, vide eum *ad an. C. 465. ſect. 8.* Fuit autem hic Mamertus, qui ſedandis terræ motibus ac ferarum incurſionibus, quibus Gallia tum multùm infeſtabatur, cohibendis, *Rogationum dies*, ante Aſcenſionem Chriſti, precibus & jejunio celebrandos, inſtituit, circa ann. C. 466. uti docet Gregorius Turon. *Hiſtor. l. 1. c. 34.* de cujuſmodi *Iejuniis* & *Litaniis*, earumque ab iis, quæ etiamnum in Eccleſia Rom. in uſu ſunt, differentia, vide

 Joh.

Joh. le Sueur *ad ann. C. 463.* Ingenti poſt iſta incendio CPolis arſit, pluribus deſcripto Marcellino & Theodoro Lectori, Evagrio item *Hiſtor. lib. 2. cap. 13.* dum in Occidente Ricimeri fraude ſublatus eſt Severus, & piraticis ſuis excurſionibus maria infeſta tenuit Genſericus, ſecuto 20. menſium interregno. Nempe judicia Dei utraque in Imperii parte provocabant mores corruptiſſimi & ſanæ doctrinæ multiplex depravatio. Arianiſmum apertè profitebantur Aſpar & Ardaburius, apud Imp. potentes: Baſilius in Oriente, Herminericus in Occid. Conſules, & Ricimer, omnia pro arbitrio ſuo in Italia verſans, ejuſdem erant hyperaſpiſtæ: ut Eutychianorum in Oriente & Ægypto numerum indies creſcentem taceam. Quia verò Epiſcopi Tarraconenſes, à Sylvano Præſule contra Canones quædam deſignata, querebantur apud Hilarium, ille Synodum, pro more eorum temporum, Romæ coëgit XLVIII. Epiſcoporum, quâ inter alia decretum, ut Epiſcopi Presbyterique, à Sylvano inſcio Papâ ordinati, in loco quidem ſuo pacis causâ manerent, (ſ) *modò virgines uxores duxiſſent, neque bigami fuiſſent,* ann. Ch. 465. Anthemium tandem, rogatus à Romanis, Leo in Italiam direxit, quo Romam veniente ingenti peſte laboráſſe Urbem, Lupercalia nihilominus omni impudentiâ celebrata eſſe; Anthemium inſuper Macedonii ſectatores non paucos ſecum adduxiſſe, (t) quibus acriter obnixum Hilarium, impetrâſſe ab Imperatore, ut publicos cœtus non haberent, refert Gelaſius Papa *in Epiſtolis.* Quo ſacri fervoris ſpecimine edito Hilarius, paulò pòſt obdormiit d. 28. Jul. an, ut alii, d. 10. Sept. ann. C. 467. ſedis an. 5. m. 9. d. 29. Leonis I. Imp. an. 11. ordinatis XXV. Presbyteris & XXII. Epiſcopis, (*u*) extructis

tructis it. magno ſumptu Baſilicis, Oratoriis & Monaſteriis variis, inſuper clarus: V. de eo plura, apud Anaſtaſium, Platinam, alioſq; qui *Pontificum Vitas* edidere: nec non *c. curandum, 9. diſt. 34. Concil. Rom. temp. Hilarii P. decret. tit. 2. Concil, tom. 1. Pet. Crabbe, edit. Colon. 1551. p. 952.* (x) Eo Romæ ſedente, *CPoli* ſacra adhuc Gennadius curabat; *Alexandrinæ* Eccl. idem itidem Timotheus, qui ſuprà, præerat: *Antiochiæ*, Maximum excepit Martyrius &c. Præter quos floruere in Eccleſia Arnobius Jun. an. C. 462. Victorinus Aquitanus, *Cycli Paſchalis*, juſſu Hilarii, conditor, ann. Ch. 463. Maximus Epiſc. Taurin. ann. C. 465. Proſper Aquit. jam ſuprà memoratus, de quo, & ſcriptis ejus Joh. le Sueur pluribus agit, *ad ann. C. 466.* Marcellus Archimandrita, eod. Alii. De Statu Eccleſiæ ſub Impp. & Hæreticis, præter jam dicta, nil addam.

XVI. SIMPLICIUS (y).

Cæſareo (z) *juſſu præfertur Acacius* (a), *obſto* (b).
Odoacro mirum! Principe ſacra (c) *vigent.*
Imperio pacem Zeno (d) *quoque reddit eandem,* (*ſtruo* (g).
Africa (e) *ſed turbat: molior, apto* (f).

ENARRATIO.

(y) SEu, ut alii, *Sulpitius*, Tiburtinus, cathedrâ Rom. Eccleſiæ, poſt Hilarium, potitus eſt, ann.

 C. 467.

C. 467. Leonis Imp. 11. quem nuntium ut primùm accepit Imperator, eum, ut Canonem ult. Concilii Chalcedon. aſſenſu ſuo probaret perſuaſurus, cum Probo Legato illius egit, ſed fruſtra ſe fore ab eo monitus, deſtitit, ann. C. 468. Zenonem dein, in generum adſcitum, ann. Chriſti 470. Comitem fecit & Orientis Rectorem, qui Petrum cogn. *Cnaphea* ſeu *Fullonem*, Presbyterum Chalcedonenſem, virum ſtolidè Eutychianum, poſtquam eum aliquandiu inter comites ſuos habuiſſet, atque illius conſortio depravatus eſſet, Antiochenis Præſulem dedit. Nactus enim Petrus Apollinariſtas Antiochiæ ſocios, junctus illis Martyrium Epiſc. urbis, quaſi Neſtorianiſmi, quòd Chalcedonenſe Concilium ſequeretur, reum coram Zenone peregit, ac facilè, ut illo pulſo ipſe ejus locum occuparet, obtinuit. Mox ſolemni Trinitatis hymno adjecit, *qui mortuus eſt pro nobis*, atque ſic novam Theopaſchitarum ſectam condidit: Johannem inſuper Presbyterum, loco ſuo motum, Apameenſi Eccleſiæ præfecit. Quibus cognitis Leo, cui interea innocentia Martyrii innotuerat, exturbari Antiochenâ ſede Fullonem, Martyrium reſtitui juſſit. Verùm cùm hic Antiochiam reverſus Eccleſiam ingenti diſſenſione agitari deprehenderet, ſponte ceſſit Juliano, populi ſuffragiis electo, Theodor. Lector. *lib.* 1. anno C. 471. quo ipſo Gennadius Patriarcha CP. obiit, cui paulo antè precanti ſpectrum apparuiſſe, at repulſum ab eo reſpondiſſe, *Te quidem vivo recedo: ſed poſtea modis omnibus Eccleſiam perturbabo*, idem refert. Succeſſit Acacius, Eutychianis non parùm favens, & mox Simplicio negotium facturus. Eo enim vix in ſedem evecto, (z) Leo Imper. prærogativam (a) Præſuli CPolitano Synodi Chalcedonenſis decreto col-

to collatam denuo confirmavit, cumque (*b*) Simplicius Papa ſeſe opponeret, novâ Lege latâ ulteriùs progreſſus, ſupra omnes cœteras Eccleſias CPolitanam evexit, uti legere eſt *l. 16. Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & *l. 24.* cui tit: *Eccleſia CP. caput eſt omnium Eccleſiarum.* Ratio erat, quòd CPolis potentiâ & ſplendore vet. Romam jam longè anteiret: ut quæ denuo à Ricimero, ſocero Anthemio occiſo, capta ac direpta eſt, qui Arianus cùm eſſet S. Agathæ ædem Arianis tum conceſſit, in qua conventus ſuos poſtmodum habuere, uſque ad tempora Gregorii I. factum id autem an. C. 472. Mortuo poſt hæc Leone Imp. ann. C. 474. & nepote ejus, ex Ariadne filia, avo cognomine, quem is Imperatorem declaraverat, ann. C. 475. Zeno pater Leonis II. corripuit Imperium, tyranno quàm Regi propior: qui initiò ſtatim Petrum Fullonem in ſede Antiochena repoſuit, hominem verſutum, & qui pro ratione temporis, modò orthodoxum modò Eutychianum ſe geſſit, ac primus miſtendæ invocationis Sanctorum inter publicas Eccleſiæ preces auctor; conſtituit, *ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur, ac divinum ejus nomen invocaretur;* Mart. Chemnitius *Exam. de Invoc. Sanctor.* ex Theodoto Lect. Hic quamprimum in ſublimi illa cathedra denuo collocatum ſe vidit; damnavit Symbolum Chalcedonenſe, atque, Apollinariſtarum errores amplexus, *Divinitatem* præcipuè *in cruce paſſam eſſe* publicè docuit. Dum interea Zenone à Baſiliſco pulſo, ann. C. 475. & Auguſtulo in exilium ejecto, poſt captam quartâ jam vice, ex quo condita fuerat, Romam, ab Odoacro, in Oriente mirè vacillare & in Occidente planè deſinere Imperium, ac Odoacer *Regis Italiæ* nomine præeſſe cœpit. Ruente Imperio, bonæ literæ & ar-

tes liberales, ſolidior inprimis ſacrarum literarum ſcientia, ruere, paulatimque omnia, in Eccleſia quoque in deterius prolabi ac ritus varii, veterum inſtitutis depravatis, in eam irrepere. Hoc certè tempore Eccleſia Chriſti non niſi Gentilibus ſubſuit aut Hæreticis Principibus, Perſiæ & Galliæ Reges Ethnici: in Oriente Baſiliſcus Arianus & Zeno Eutychianus fuere: Africæ tyrannus Genſericus, & Gothorum in Gallia Rex Evaricus, Odoacer item modò dictus, ut & qui in Hiſpania imperabant Reges, Arianiſmum fovebant: quæ Burgundionum Regi fuerit tum fides, Hiſtoricis non liquet. Et quidem Baſiliſcus, nihil Zenone melior, Zenonidis uxoris inſtigatu, mox Eutychianam hæreſin reduxit, Epiſcopos ob eam exules revocavit, Timotheum Soloſaciolum Alexandriæ Præſulem, ut Dioſcori nomen diptychis inſereret, coëgit, dein planè ſede movit, Timotheo Æluro Hæretico reſtituto; crudeliter inſuper in fideles ſæviit, ac Edictum de antiquanda doctrina Concilii Chalcedon. promulgavit: cui ſumma levitate pluſquam D. Epiſcopi ſubſcripſere. Verùm obſtitit Acacius Patriarch. qui paulò pòſt Baſiliſcum, jam ſibi à Zenone reparatis copiis appropinquante timentem, eò perpulit, ut altero Edicto prius aboleret, & confirmato Concilio Chalcedone habito, Neſtorium & Eutychetem, cum ſequacibus de novo damnaret, ann. Ch. 476. Evagrius *lib. 3. cap. 5.* quo ipſo Bibliothecam CP. incendio conſumptam, refert Cedrenus. Poſt quæ Zeno reverſus, occiſo Baſiliſco, & filio Armati, quem Cæſarem priùs dixerat, Clerico effecto, ingens orthodoxiæ ſtudium præ ſe tulit, reduceſq; Aſiæ ad Eccleſiam Epi-

ſcopi

ſcopi præfati, *verbis non cordeſe aſſenſos*, Baſiliſco, dixere, Evagr. *lib. 3. cap. 5.* dum ſub (c) Odoacro, licèt Ariano Eccleſia Occidentis ſatis tranquillè ageret, an. C. 477. admirante ac prædicante benignitatem Dei Simplicio, qui in tantâ quamvis rerum mutatione ea halcyonia Eccleſiis Italicis conceſſiſſet. Nec humanitate illa contentus Odoacer, ne, ſi fortè Simplicium mori contingeret, in novi Pontificis electione turbæ orirentur, legem tulit, quâ, *ne quiſquam in poſterum eligeretur Rege inconſulto*, cavit: quam valuiſſe ad Symmachum uſque, in ſeqq. videbimus. Simplicius dein, Zenoni Imp. de victis hoſtibus gratulatus, ut Ælurum ſede Alexandrina depelleret, revocatiſque orthodoxis ubique Epiſcopis, Concilii Chalcedonenſis decreta tueretur, rogavit, & (d) obtinuit, Acacii, qui apud Zenonem gratiâ valebat, magnâ inprimis in ea re operâ. Sic Timotheus Solofaciolus ſedi redditus, ad Imperatorem mox & Simplicium literas expedivit, petiitque Petrum Mongum, à plebe ſine Imperatoris auctoritate electum, urbe pelli: atq; inſuper ſibi jus concedi ſucceſſorem nominandi, ann. C. 487. Evagrius *l. 3. c. 12.* quo ipſo Genſerico in Africa extincto, (e) filius Hunericus ſucceſſit, in cujus præſentia Maximianus Epiſc. Arianus cùm Cerealem Epiſc. Afrum ad certamen provocâſſet, hic libro contra Hæreticum edito, *τὸ ὁμοούσιον* è S. literis clariſſimè demonſtravit. Quia verò Petrum Fullonem, inter reliquos Epiſcopos hæreticos, Antiochenâ ſede moverat quoque Zeno, Stephano reſtituto, Fullo tantum effecit per ſectatores, quos Antiochiæ habebat plurimos, ut paulò pòſt Stephanus calamis ad ſimilitudinem haſtarum præacutis interemptus ſit, dum ad altare ſacris vacabat. Quâ horribili cæde permotus Zeno

de ſicariis dignas pœnas ſumſit, atque, ut hac vice urbis illius Epiſcopus, ſeditioni præcavendæ, CPoli eligeretur, ſanxit. Sic Stephanus, priori cognominis electus, atque ea de re Simplicius pro more, cœterique Patriarchæ, certiores facti ſunt, inter quos Simplicius, literis ad Imperatorem & Acacium datis aſſenſum ſuum hac vice teſtatus, in poſterum, ut juxta decreta Nicenæ Synodi Epiſcoporum ordinatio fieret, indigitavit. In Italia verò eadem quies, quam ſuprà laudavimus, obtinuitque Epiſc. Ticinenſis Epiphanius, ut templa locaque alia ſacra, deſtructa labefactaque bello durante, ſibi reficere liceret, Odoacro in eum adeò prono, ut civibus quoque illius rogatu tributorum in quinquennium immunitatem concederet: qui inſuper Romanis Conſularem eminentiam, quam urbe captâ abrogaverat, reſtituit, quo pacto Baſilius in ſeq. annum Conſul deſignatus eſt, ann. C. 479. Sed & Hunericus, in Africa, precibus Zenonis Imp. & Placidiæ Olybrii viduæ motus permiſit orthodoxis, ut ſibi Carthagine Epiſcopum eligerent, poſtquam 24. annos ibi nullus fuiſſet: eâ tamen lege, ut idem ſuis CPoli & in toto Oriente concederetur. Quam cùm abominati eſſent Eccleſiæ Carthaginenſis proceres, ſufficere ſibi Epiſcopum JESUM CHRISTUM clamantes, populus tamen evicit, ut illa admitteretur, ſic Eugenius Præſul electus eſt, ann. C. 480. verùm paulò pòſt ejus pietate & zelo Ariani Epiſcopi in rabiem acti, ad atrocem orthodoxorum perſecutionem Hunericum concitârunt: dum Ægypti & Orientis Eccleſiæ mutatione crebrâ Epiſcoporum, & Zenonis in Eutychianos propenſione, gravia patiebantur. Mortuo enim Timotheo Alexandrino, & Joanne Talajâ, qui Imperatori juramento promiſerat ſe ad

Præ-

Præſulatum illum non adſpiraturum, in ejus locum ſuffecto, Acacius CP. quòd literas ab illo, pro more, accepiſſet nullas, Zenoni auctor fuit, ut Petrum Mongum, quem Evagrius vocat *cothurnum verſatilem & temporibus inſervientem*, ipſeque Acacius antea damnaverat, in Johannis locum ſurrogaret, an. C.481. Quod cùm Simplicius binis literis ad Acacium datis impeditum iret, hic non ſolùm ad neutras reſpondit, ſed, ut *Henoticon* ſuum ederet, Imperatori ſuaſit, quod pluribus expoſitum habes apud Evagrium *l.3.c.14.* ann. C.482. Calandioni quoque Epiſc. Antiocheno, quem Leontii partes ſequi hoſtes calumniati erant, Zeno Petrum Fullonem rurſus ſurrogavit, qui throno dènuo ſe potitum videns, Sabellii, Apollinaris & Eutychetis circa Trinitatem deliria, apertè amplexus, Triſagio appendicem, *qui es crucifixus pro nobis*, de qua jam ſuprà aliquid, ſubjungi voluit, damnatam meritò orthodoxis, ipſique Acacio, qui tamen promotionem ejus non parùm juverat. Interea Johannes Talaja, ſede Alexandrinâ pulſus, ad Simplicium ſe conferre Romam ſtatuit: ſed mortuus is eſt d.9.Mart. ann. Ch.483. ſedis ann.15. m.circiter 7. Zenonis Imper. ann. 9. ſcriptis variis *Epiſtolis*, (f) extructiſque Baſilicis aliquot, aliiſque ædificiis magnificis, inter cætera, clarus. Ordinavit ternis vicibus XXXVIII. Presbyteros, XI. Diaconos & XXXVI. Epiſcopos: ac Petri Baſilicam vaſis aureis immenſi pretii exornavit: in ea porrò, ut & æde S. Pauli ac S. Laurentii, *Presbyteros Pœnitentiarios ſeptimanales* inſtituit, qui publicæ pœnitentiæ peccatoribus imponi ſolitæ curam haberent. Plura apud Anaſtaſium, Platinam cœteroſque qui Pontificum geſta memoriæ prodidere: inter quos Jac. Revius *tantas Simplicio de primam*

matu, cum Acacio fuiſſe rixas, ut Odoacri auctoritatem intervenire neceſſe fuerit, ſcribit. (*g*) Eo ſedente, *CPoli*, poſt Gennadium, præfuit ſacris Acacius ab anno Ch. 471. *Alexandriæ*, Timotheo Solofaciolo pulſo Tim. Ælurus iterum à Baſiliſco ſuffectus, ann. C. 476. dein prior ſedi à Zenone redditus, ann. 478. obiit, Joanne Talaja ſucceſſore, ann. Ch. 481. qui ſede deturbatus mox eſt, Petro Mongo ſurrogato, ann. C. 482. cui qui ſubeſſe nolebant, quòd Henoticon & Chalcedonenſem Synodum ſuſcepiſſe videretur, ſegreges cœtus inſtituerunt hincque *Acephali* dicti ſunt, anno eod. *Antiochiæ*, poſt Martyrium Julianus Eccleſiam rexit, ut Theodorus Lector ait, ann. Ch. 471. Stephanum habet Niceph. Calliſtus, quo à Fullonis aſſeclis occiſo, ut diximus, alter Stephanus eum excepit, ann. C. 479. quem Calandio, qui Petri Fullonis appendicem Triſagio adjectam ſic piè correxit, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, Chriſte Rex, qui es crucifixus pro nobis, miſerere noſtri*, ann. C. 482. ſed mox deturbatus, Petro Fullone ſedi reddito, ann. Ch. 483. &c. In Gallia, Sidonius Apollinaris, filius Præfecti Prætor. in Galliis, ſub Honorio, ductâ Papianillâ, Aviti filiâ, ab Anthemio, Patricius & Præfectus Urbis Lugduni, in qua natus fuerat, creatus, maximis negotiis geſtis inclaruit, Joh. le Sueur *ad ann. C.* 468. & 469. Eparchio dein Epiſc. Arvernorum ſucceſſit, acerrimus veritatis contra Arianos aſſertor, ann. C. 471. obſeſſus poſtea Claromonte Epiſc. ſede ab Evarico Gotho, precibus monituque ſuo obſeſſis animum addidit, ann. Ch. 474. donec illa ab Ecdicio fil. Aviti dedita eſt, ann. C. 475. uti legimus Sidonii *Epiſtolâ ad uxorem Papianillam*. In eadem Gallia, Remigius, Remenſium Epiſcopus factus eſt, ann. æt. 22.

C. 469

C. 469. *Apoſtolus Francorum* dein nominatus. In Hiſpania, Idacius Epiſc. Lemic. *Chronicon* ſuum à Theodoſii anno 1. ubi Hieronymus deſierat, orſus, illud finiit ann. C. 470. In Bavaria Severinus Epiſc. *Noricorum Apoſtolus*, ſanctitatis famâ celebris, Odoacro Italiam meditanti ſucceſſum prædixit, anno C. 476. Floruit quoque Gelaſius Zycizen. de cujus ſcriptis, præter alios, videndus le Sueur, *ad ann. Ch. eund.* Heſychius it. Presbyter Hieroſolym. *Commentarii in Leviticum* auctor, an. C. 480. De ſtatu Eccleſiæ ſub Impp. diximus. Evaricus Gothorum Rex, in Gallia, & Genſericus in Africa, Ariani ambo, orthodoxis graves fuere, ann. C. 474. quorum de illo vide Sidonium *Epiſt. ad Baſilium Epiſc.* & *Graecum Epiſc. Maſſil.* de hoc, ut & Hunerico fil. ejus, complures orthodoxos aut exilio aut morte multante, ann. C. 481. Victorem Utic. *Perſecut. Vandal.* De Hæreticis diximus jam varia quoque: repetam, Theopaſchitas autore Petro Fullone ortos, de quibus, aliiſque hucpertinentibus, vide tum alios, tum ſæpius laudatum Joh. le Sueur *in Simplicio*, ubi quoque *de more reliquias S. Cœnæ comburendi*, in Eccleſia Hieroſol. *infantibus porrigendi* in Eccleſ. CPolit. Gallica quinetiam uſque ad Sec. XI. olim uſitato, *ad ann. C. 480.* pluribus agit. De Petro Fullone, ejusque moliminibus, conſuli inſuper poterit, Valeſius *Diſſertatione peculiari de illo.*

XVII. FE-

XVII. FELIX (h) III.

Patre ſatus myſta (i), *condemnat Henoticon* (k), *& mox:*
Cum Patribus (l) *Mongum conſimilesq;* (m) *notat.*
Aſt in ſe queritur nimis hunc Euphemius (n) *acrem:*
Dum ſacra mirè Afro fluctuat arca ſalo (o).

Enarratio.

(*h*) ROmanus, (*i*) Felice Sacerdote genitus, Gregorii I. cogn. *Magni* Pontif. Rom. proavus, Simplicium excepit, ann. C. 483. Zenonis Imp. 9. moxque Zenonis (*k*) *Henoticon*, utpote ſine ſcitu factum Sedis Rom. rejecit omnibusque illud recipientibus anathema dixit. In gratiam dein Johannis Talajæ Patr. Alexandrini, qui, ut diximus, ſede ſuâ pulſus, primò ad Illum, dein ad Calandionem Antiochenum, tandem, hujus ſuaſu, Romam ſe contulit, Præſulis illius opem imploraturus, (*l*) Synodum congregavit, ejusque decreto ac nomine literis ad Zenonem & Acacium datis reſtitutionem illius urſit, ac ſimul Acacium, ad cauſam dicendam criminaque à Johanne ſibi objecta diluenda, Romam citavit, ſuæ ſedi id juris Synodo Sardicenſi & Valentiniani Lege collatum cauſatus, anno eod. quo Hunericus Eccleſiam Africanam iterum, excarnificatis fidelium non paucis & in exilium unâ vice:

vice pulſis Miniſtrorum Eccleſiæ quatuor mille noningentis ſexaginta ſex, graviſſime afflixit. Legatis dein Zenonis dare id tyrannus videri voluit, ut, conventu utriuſque partis Carthagine inſtituto, orthodoxi τὸ *Homoouſion* ex Sacris Literis demonſtrarent. Interea Felicis Legati, Vitalis & Miſenus Epiſcopi, ac Felix Eccl. Rom. Defenſor, cum literis præfatis, CPolim venerunt, ubi male accepti, & in vincula conjecti, tandem ab Acacio Patr. perſuaderi ſibi paſſi ſunt, ut ſe Imperatoris voluntati ſubjicerent, Mongum pro legitimo Paſtore agnoſcerent & cum Hæreticis communicarent, Cyrillo Acœmetorum Abbate, aliiſque ſaniora illis conſilia nequicquam ſuggerentibus. Quare Romam reduces Epiſcopi ambo (Felix enim prævaricationis illorum particeps non erat) Synodo à Pontifice Romæ iterum coactâ, dignitate privati ac communione excluſi ſunt: inſuper literæ ad (*m*) Acacium expeditæ, quibus ipſi, ni ad ſaniora conſilia ſe reciperet, condemnationis fulmen imminere indicatum. Sed cùm his nihil moveretur, Romani Patres rurſus congregati, unanimi ſententiâ illum communione indignum pronuntiârunt, cui ſententiæ ita ſubſcripſit Felix, *Ego Cælius Felix Epiſcopus S. Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ*, &c. At ne ſic quidem Acacius motus, Felicem viciſſim excommunicavit, ejuſque nomen è diptychis eraſit. Præſules orthodoxos paſſim ſedibus ſuis movit, & in Acœmetos non paucos atrociter ſæviit. Nec minor in Ægypto Mongi in orthodoxos furor, ortumque ſic ingens inter has Eccleſias annorum 35. Schiſma, ann. Ch. 484. Evagrius *l. 3. c. 18. & ſeqq.* Liberatus *cap. 18.* Nicephorus *l. 16. c. 15. & ſeqq.* Alii. Poſt quæ conventus, cujus ſuprà meminimus, Carthagine habitus & collatio,

tio inter orthodoxos Epiſcopos ac Arianos inſtituta eſt, cujus is eventus, ut orthodoxi, à quibus veteratoriè poſcebatur, ut vocem *Homoouſion*, uti ſonat, in S. Scriptura extare oſtenderent, ſtrepitu & clamore adverſariorum obtunderentur, moxq; , Edicto ab Hunerico publicato, omnia Catholicorum in tota Africa templa clauderentur, bona eorum fiſco addicerentur, & nova perſecutio, prioribus longè atrocior, excitaretur, cujus furorem præ reliquis Epiſcopi Paſtoresque Eccleſiarum ſenſerunt, mirâ conſtantiæ laude. Sed mox tyrannus, ultore Deo, verminante corpore, propriis tandem ſe morſibus laniavit, magnoque, ſed merito, cruciatu, vitam abrupit, ann. Ch. 485. ſucceſſore Gundabundo, aliquanto in orthodoxos mitiore. Vide Victorem Utic. ſeu potiùs Vitenſem *de Perſecutione Vandalor.* quam ipſe expertus eſt, cum aliis Epiſcopis in inſ. Corſicam relegatus. In aula Zenonis interea, non mores minùs, quàm fides, cujus quidem ſtudium aliquandiu præ ſe tulerat Imperator, indies depravatiores: filiusque patris exemplum ſecutus eſt. Sed hunc, principatui innutritum, cui verò nihil regium eſſet, præter morum & vultûs inſolentiam, maturè exemit rebus humanis Deus, ne ſuâ eis vanitate illuderet. Frater Zenonis Conon mactationibus hominum, & Sebaſtianus aulicus, honorum venditionibus, erant intenti: quo tempore inprimis Clodovæus, victo Syagrio Patricio Rom. dominationi Romanorum in Gallia Transalpina, cui Jul. Cæſar initium fecerat, finem impòſuit, ann. Ch. 486. Inde victor Thuringiam ſubjugavit, qua in expeditione cùm milites ejus in Galliam reverſi varia Chriſtianorum templa, inque his Remenſe quoque, diripuiſſent, Remigius E-

piſcopus

piſcopus Calicem argenteum rari artificii, quo populo S. Communionem impertiri ſolitus fuerat, à Clodoveo repetiit, obtinuiſſetque, ſi per militis cujuſdam inſolentiam licuiſſet. Habebat ille verſus hos, Remigio auctore, inſcriptos:

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine ſacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus,
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

Synodus poſt iſta à Felice, ab Africanis Eccleſiis, quæ ſub Gundabundo reſpirare cœperant, *ſuper lapſis, ac ab Arianis rebaptizatis*, conſulto celebrata eſt, anno Chr. 487. Sequente Theodoricus Oſtrogothus, junctus Zenonis copiis, Leontium & Illum rebelles vicit; inde comperto, dominam olim mundi Italiam obſcuræ Herulorum genti parére, contra Odoacrum movit, anno ſcil. Chr. 488. quo ipſo, Acacio mortuo Flavitas ſucceſſit. Cui mox ſurrogatus (*n*) Euphemius, orthodoxiæ & pacis ſtudio flagrans, Petri Mongi nomine è ſacris diptychis eraſo, Felicis repoſuit, hujusque communionem per literas petiit, verùm, quòd Acacii & Flavitæ, qui Hæreticis multùm dediti fuerant, nomina delere nollet, fruſtra fuit, manſitque porrò ſchiſma, licèt ſub orthodoxis Præſulibus, ann. Chr. 489. Mortuo dein Zenone, Euphemius idem, quòd coronandi Imperatoris jus ad regiarum tranſiſſet urbium Epiſcopos, Anaſtaſium diademate ornare noluit, quoad datâ ſyngraphâ in Synodi Chalcedonenſis decreta ſemet obſtrinxiſſet: poſt quæ coronato gratulatus Felix, ut Eccleſiæ, tot damna ſub deceſſore paſſæ, curam gereret, monuit. Et certè initia Imperii ſat laudata, *Chryſargyro*, quo nomine inter alia veniebant fœda è meretriciis amoribus.

ribus flagitiiſque tributa, abolito, & venditione Magiſtratuum prohibitâ, ann. Ch. 491. at non ita perrexit: triſtiſque omnino Eccleſiæ facies erat, cùm & Anaſtaſius ad Eutychianos propenderet, & Epiſcopi non tam in fidei ſinceritatem, quàm commodas ſedes intenti eſſent, mirâ interim inconſtantia & inquietudine Chalcedonenſe Concilium, modò approbantes, modò anathemate notantes. Quæ inter obiit Romæ Felix d. 5. Febr. ann. C. 492. ſedis ann. circiter 9. Anaſtaſii I. Imp. ann. 2. Ordinavit binis vicibus XXVIII. Presbyteros, V. Diaconos & XXXI. Epiſcopos, ac pro temporum illorum more Baſilicam S. Agapeti, prope ædem Laurentii, magnificè extruxit: plura apud Gregorium *Homil. 38. in Evang.* & *Dialog. l. 4. c. 16.* Sigebertum, Abbonem Floriacenſem, Anaſtaſium Bibl. Ciaconium, Alios *in Felice III.* (*o*) Eo Romæ Epiſcopo, *CPoli* Acacius, hocque extincto Flavitas ann. C. 488. moxque Euphemius, ann. C. 489. præfuere. In *Alexandrina* Eccleſia, Johannes pulſus & ad Felicem profugus, in Epiſcopatu Nolano conſenuit. Ejus verò loco Mongus Hæreticus gregem Domini turbavit, periitque anno C. 490. ſucceſſore ſimili Athanaſio Hernioſo, cujus electionem ab Hæreticis factam approbavit Zeno, in Pelagium Patricium, qui ad meliora inflectere ſubinde Imperatorem conabatur, ſævus, uti apud Cedrenum legimus. *Antiochiæ*, non lætior Eccleſiæ ſub Petro Fullone facies, qui Xenajam, naturâ ſervum & ne baptizatum quidem, Hierapolitanum Epiſcopum ordinavit, ann. C. 485. defunctusque ſimilis farinæ ſucceſſorem habuit Palladium, ann. C. 486. Zenone hæreſin quà pote promovere non deſinente. *Hieroſolymis*, Martyrio ſucceſſit Saluſtius, ann. C. 485. Præter quos floruere.

floruere tum Vigilius Epiſc. Tapſitanus, ſcriptis & martyrio, ſub Hunerico, clarus, V. Sirmondum *No. tit. Epiſc. Africæ*, & Chifletium *Præfat. in Ferrandum Diac. Carthag.* Æn. Gazenſis auctor libri, cui tit. fecit *Theophraſtus*, V. Bellarminum *de Script. Eccleſ. Sec. V.* Sabas Abbas *anno eod.* Joannes Silentiarius ex Epiſcopo Armeniæ Eremita, Patricius Hibernorum Epiſcopus, cujus vitam Beda tradidit *libb. 2.* ann. C. 491. Alii. Perſecutio interea non ceſſavit, in Gallia, ſub Evarico Alarici patre, an. C. 484. in Africa, ſub Gundabundo, ab Epiſcopis Arianæ hæreſeos, Catholicæ veritatis incrementa ægrè ferentibus, contra rectè ſentientes, Paſtores inprimis, acriter irritato, ann. C. 490. de Hunerico enim, & ſtatu Eccleſiæ ſub Impp. jam vidimus: uti & de Hæreticis, è quibus Neſtoriani Edeſſam Syriæ, atque inde in Perſiam uſque virus ſuum ſparſerunt, ann. C. 486. adde Gennadium *de Viris Illuſtr.* commentatum, Semipelagianum celebrem, circa ann. C. 490. Cœterùm Anaſtaſius Imp. diſputationes de Fide prohibuit, Conon Epiſc. Apameæ primus miles ex Præſule factus eſt, ann. C. 492. primusque Acacius Patr. CPolit. ſtatuas ſibi in Templo erigi voluit, ann. Ch. 488. ad quem vide *de Statuis Impp. & Epiſcoporum* Joh. le Sueur, ut & de aliis in tota *Felicis* hiſtoria.

XVIII. GE-

XVIII. GELASIUS (p) I.

Quæ fuit haud concuſſa parùm, ſedem iſte refulcit (q),
Quà pote, verùm Oriens non probat (r) *iſta tamen.*
Hæreticos (ſ) *pellit, ſuſtentat largus* (t) *egenos,*
Zelo (u), *doctrinâ* (x), *dexteritate* (y) *valet* (z).

ENARRATIO.

(*p*) GEnte Afer, Valerio Epiſc. genitus, Felici ſucceſſit, inauguratus d. 3. Martii, ann. C. 492. Anaſtaſii I. Imp. 2. Mox ab Euphemio Patriarch. Conſtantinop. literis, quibus confeſſio Fidei ejus inſerta erat, ſalutatus, eum tamen, quòd Acacii nomen in diptychis retineret, in communionem recipere, non magis, ac deceſſor, voluit, imò ad Chriſti tribunal illum, multùm verbis (*q*) auctoritate Sedis ſuæ, quam Petrus Apoſtolus fundaverit, prædicatâ citavit. Inde Epiſtolâ cyclicâ ad Macedoniæ & Dardaniæ Epiſcopos miſsâ, ut ſibi ab Hæreticis (quo nomine indigitabat omnes Romanæ Eccleſiæ communione prohibitos) caverent, monuit. Reſponderunt illi ſubmiſsè, & ἀμοιβαίᾳ ſuâ *Gelaſio Epiſc. Vrbis Romæ* inſcriptâ, ſedem illius *Angelicæ*, ipſumque *Patris Patrum*, elogio honorârunt, non niſi illuſtrioribus

bus Præſulibus tribui ſolito, Gregorio Nyſſ. Chryſoſtomo, Lupo Trec. ante Gelaſium, & poſt eum, Johanni Cappadoci, anno Ch. 518. Nicetio Trevir. aliiſque; atque ſibi aliquem mitti petierunt, obtinueruntque Urſicinum Epiſc. cum quo propiùs conferrent, anno eodem, ad quem vide Joh. le Sueur de tit. modò dicto *Patris Patrum*, it. *Principis Patrum*, quo Marcus Alexandr. ann. C. 817. & Theophilus Epheſinus ann. C. 816. inſigniti leguntur, apud Theodorum Studit. *lib. 2. Epiſt. 14.* & 41. Poſt quæ Theodoricus, cùm Ravennam obſidione diutinâ fatigatam intrâſſet, Odoacrum, cum quo regni partitionem pactus erat, inter epulas, cum filio interemit, regnumque Italiæ, per annos 33. tenuit. Initiò autem ſtatim Fauſto & Irenæo ad Anaſtaſium Imp. legatis, pacem cum illo conciliavit, uti videre eſt apud Caſſiodorum, qui ei à Secretis fuit, *Epiſt. 1.* Eâ occaſione uſus Gelaſius, animum Euphemii per Fauſtum tentavit, ut deleret Acacii nomen: qui verò, quòd binis ſuis nihil impetrâſſet à Gelaſio, adeò non perſuaderi ſe paſſus eſt, ut potiùs apud Imperatorem eum, velut obſequii ſui minùs memorem, criminatus ſit, & in judicium Papam vocare in animum induxerit. Qua de re à Fauſto monitus Gelaſius ipſi *Commonitorii* nomine literas ſcripſit, quibus ſibi & Senatui Rom. objecta diluit, de cœtero Acacium, utpote jam mortuum, in communionem recipi nullâ ratione poſſe, ſignificavit, cùm *Chriſtus mortuos quidem reſuſcitâſſe* aliquot in locis, nullibi verò *mortuos à peccatis abſolviſſe*, legatur. Sed nullo ſucceſſu hæc ultro citroque jactata, utroque horum in ſententia ſua perſeverante. Cùm verò Pelagianorum peſtilens hæreſis in Dalmatia & Piceno lacertos tum moveret, auctore

ctore ſenecione quodam, cui Senecæ nomen fuit, Gelaſius literis, quibus errores illorum doctè refutavit, utriusque provinciæ Epiſcopos, ut veritatem ſtrenuè propugnarent ac ſerpenti malo ſe maſculè opponerent, graviter hortatus eſt, ann. C. 493. Romam dein Theodoricus, cunctorum expetitus votis, venit, Senatuque mirâ affabilitate tractato, plebi donavit annonas, dirutisque mœnibus, deputatâ per ſingulos annos pecuniâ, ſubvenit: in orthodoxos, licèt ipſe Arianis addictus eſſet, mitis, ac in Epiphanium præcipuè Epiſc. Ticinenſem mirè pronus, quem ad redimenda aliquot Ligurum millia, ad Gundebaldum Burgundionum R. miſit, anno C. 494. Vide Ennodium, Epiphanio itineris comitem, *in Epiſtolis*. Eodem Gelaſius, literis ad Anaſtaſium Imp. auctoritatis ſuæ phylacteria inſigniter dilatans, ut Acacii nomen expungi curaret, petiit, *ni ſibi in hac vita aures præbeat, fore ut in altera accuſantem ſe eum audire cogatur*, addens. (r) Verùm ne ſic quidem, quod petebat, obtinuit: Dardaniæ tamen & Illyrici Præſules ab Euphemii communione receſſerunt, quibus in propoſito confirmandis, per Cyprianum & Macarium Diaconos, literas ad eos expediit. Synodo inde Romæ coactâ LXX. Epiſcoporum, Canonicos libros ab Apocryphis ſecrevit, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum uno eodemque die Romæ martyrii coronam adeptos eſſe pronuntiavit, (ſ) Hæreticos Schiſmaticosque varios ac nominatim Eutychem, Dioſcorum, Petrum utrumque Mongum & Fullonem, atque Acacium communione arcuit: quodque præcipuum erat, *Eccleſiæ Rom. præ reliquis omnibus primatum, non vi conſtitutionis Patrum, ſed vocis Chriſti, dicentis, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, deberi,*

deberi, declaravit, ſicque Leonis I. imitatione, ex jure Divino prærogativam illius ivit aſſertum: minùs memor quæ Innocentius I. *Epiſt. ad Victricium Rothomag.* Zoſimus *Epiſt. 1.* Gelaſius ipſe *Commonitorio ad Fauſtum*, hac de re ſcripſiſſent. Circa eadem tempora, Epiſcopis Lucaniæ, & Siciliæ varia, circa electionem & ordinationem Miniſtrorum Eccleſiæ, obſervanda præſcripſit: dum interim, matrimonio Clodovæi cum Clotilde Chriſtiana fil. Chilperici Burgundici, via ad converſionem Francorum ſtrata eſt, eod. anno 494. At CPoli Imperator, jam dudum Euphemio infenſus, ob cauſam ſuprà dictam, calumniâ amicitiæ cum Iſaurii Imperii hoſtibus adſperſum, ejecit, ſurrogato ei Macedonio, non minùs acri orthodoxiæ vindice: quamvis Henotico ſubſcripſiſſe Theodorus Lector in literas retulerit. Circa quæ tempora tremuit immaniter Oriens: & Gelaſius Miſenum, alterum ex Legatis Felicis, qui cum Acacio communicaverant, in gratiam recepit, Synodo LV. Epiſc. ann. C. 495. defunctus brevi pòſt, d. 21. Nov. an. C. 496. Anaſtaſii I. anno 6. ſedis ſuæ ann. 4. m. 8. d. 11. veritate contra Hæreticos egregiè defenſâ, Manichæos viz. Neſtorianos & Eutychianos: (*t*) charitate in pauperes, (*u*) zelo, (*x*) eruditione, vigilantiâ ac (*y*) dexteritate, clarus. Cœtera nihil omiſit eorum, quæ ad poteſtatem Sedis ſuæ extollendam facere noverat: *in Spiritualibus* ſc. Civilem enim poteſtatem ab Eccleſiaſtica diſtinctam, nec eidem perſonæ convenientem in Novo Teſtam. clarè docet *lib. de Vinculo Anathematis.* Scripſit complura, *Epiſtolas* inter alia, quarum unâ ad Majoricum & Joannem Epiſc. reprehendit eos, qui in Communione ſacra à Calice abſtinerent, juſſitque proin, aut integrum illos

M Sacra-

Sacramentum percipere, aut communione planè excludi, eo quòd *abſque ſacrilegio unum idemque myſterium dividi non poſſit*, Gratianus *Decret. tit. de Conſecr. diſtinct. 2.* Idem *præfationem Canonis Miſſæ* hujusque partem condidiſſe dicitur nonnullis, aliis Cæleſtino id tribuentibus: cujus ab hodierna differentiam, vide apud Joh. le Sueur *ad ann. C. 496.* Porrò Baſilicam extruxiſſe, ac XXXII. Presbyteros, II. Diaconos, LXVII. Epiſcopos ordinâſſe, ædesque non paucas eum dedicâſſe, memorant, Platina aliique *in Eo.* Vide etiam Gennadium *de Script. Eccl.* Urſpergenſem, ipſumque Gelaſium *Epiſt. ad Dardanum II.* alibique paſſim. (z) Illo ſedente, *CPoli*, Euphemio Patr. in exilium pulſo ſucceſſit Macedonius, ann. C. 495. *Alexandriæ* & *Antiochiæ*, iidem adhuc præerant. Sub eodem, Benedictum, Monachorum in Occidente parentem, Româ egreſſum, in eremum ſe contuliſſe, anno C. 494. æt. 17. notat Baronius. Sub Anaſtaſio Imp. quis Eccleſiæ fuerit ſtatus, vidimus: Eutychianis propior utique viſus eſt, quamvis pacis & concordiæ amantiſſimus; exilio multabat orthodoxorum ferventiores, nullâ tamen ſanguinis guttâ vindicare cupiens contraria ſentientes, Evagrius *l. 3. c. 34.* In Italia, Theodoricus, ita amavit Arianiſmum ſuum, ut nollet tamen ſuâ causâ quenquam deficere à fide, quam corde ſemel probâſſet. Itaque Diaconum quendam, ſibi antè æſtimatiſſimum, occidit, quòd in gratiam Regis ad Arianos acceſſit, addito elogio, *non ſervaturum ſibi fidem, qui Deo eam non ſervâſſet.* Etiam coluit orthodoxos, & Boëthium, ac Caſſiodorum ad Conſulatum provexit, Caſſiodorus *Chron.* ut videbimus. De Hæreticis præter dicta nil addam.

XIX. ANA-

XIX. ANASTASIUS (a) II.

Lætus Anaſtaſius cognomine (b) *Cæſare pacem*
(gat.
Sanctorum (c) *Fidei præſidiumq;* (d) *ro-*
Magnificè extollit Sedem, velut auſpice Petro (e)
Elatam, Celtis (f) *non tamen iſta placent* (g).

ENARRATIO.

(*a*) PAtriâ Romanus, Gelaſio ſurrogatus eſt, d. 28. Nov. ann. C. 496. Anaſtaſii Imp. 6. ad quem initio ſtatim Præſulatûs ſui literas dedit, quibus eum, (*b*) utpote ſibi cognominem, enixè rogat, (*c*) ut ſibi in Catholicæ Fidei defenſione præſtò ſit, & (*d*) Acacii nomen deleri curet: addens, (*e*) uti ejus ſublimis pietas in toto Orbe refulgeat, ita miniſterio humilitatis ſuæ Sedem S. Petri habituram & conſervaturam in Eccleſia Catholica primatum divinitus ſibi conceſſum; denuoque repetens, ſe ingenti pacis deſiderio teneri, ſubjungit de mortuis non eſſe judicandum temerè, neque *impios Sacrorum Miniſtros polluere Sacramenta, aut aliis, ſed ſibi ſolis, nocere.* Quibus acceptis Imperator, Germanum Capuanum & Creſconium Laud. Papæ Legatos, ſpe illis de unione factâ, apud ſe detinuit: interea per Patricium Feſtum id egit, ut Papam ad ſubſcribendum Henotico pelliceret; ſed is deceſſit, antequam Feſtus Romam perveniret. Alexandrini verò audito Conſtantinopolim veniſſe Anaſtaſii

legatos,de pace inter Eccleſias concilianda ſolicitos, è numero ſuo eôdem quoſdam direxere, qui verò, quòd neque Chalcedonenſis Synodi facerent mentionem, neque Dioſcori ac Timothei nomina è Diptychis tolli vellent, fruſtra fuere, ann. Ch. 497. Poſt quæ, Anaſtaſius Imp. Longinum Zenonis fratrem,per Iſauros, bellum ſibi inferentem interfecit. Ipſi verò cognominis Papa obiit d. 19. Decemb. anno C. 498. ſedis ann. 2. d. 21. Anaſtaſii Imp anno 8. Eum inteſtina, in ſecreto loco, Arii inſtar, effudiſſe, quòd cum Acacio & Photino ſeu Photio Diacono Theſſalon. communicâſſet, atque à Neſtorianis, ſeu Eutychianis potiùs, corrumpi ſe paſſus eſſet, ſcriptum reperitur in libro *Pontificali*, apud Anaſtaſium Biblioth. Gratianum *Diſt. 19 c. Anaſt. 9.* adde Theodorum Lect. *l. 2.* Platinam *in eo*, Sabellicum *Enn. 8. l. 2.* Marianum Scot. *ad ann. 499.* Sigebertum *ad ann. 491.* Guil. Occam. *de Hæret. l. 3. quæſt. 1. inf.* & *in Op. 90. dier. c. 124.* Alph. de Caſtro *adv. Hæreſ. l. 1. c. 4.* Alios. E quibus Anaſtaſius Bibl. Clericos Epiſcoposque complures ab ejus communione, quòd abſque ſcitu Epiſcoporum & Cleri Acacium anathematis vinculis ſolvere voluerit, receſſiſſe ſcribit. Turſellinus verò in Sanctorum Pontificum catalogo eum reponit. (*f*) Querelam Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ, de ambitione Epiſcoporum Rom. & primatu in ſuas Eccleſias affectato, vide *in Epiſt. eorum ad Anaſtaſium II.* apud Aventinum *Annal. Bojorum.* Ordinavit autem XII. Presbyteros & XVI. Epiſcopos, &c. (*g*) Eo Rom. Eccleſiam adminiſtrante, in Eccl. *Alexandrina*, Athanaſio ſucceſſit, Johannes Mela, eidem hæreſi addictus, an. C. 498. in *Antiochena*, Palladio Flavianus Jun. orthodoxus, atque hinc Imperatori ingratus,

ann.

ann. C. 496. In Galliis, Clodoveus, à conjuge ſua ad Chriſtianiſmum incitatus, cùm parére differret, periculo coactus eſt ſapere. Nam in bello adversùs Alemannos, laborante exercitu, fidem vovit conjugis ſuæ Deo, ſi lapſam Francorum erigeret aciem, victoriamque ex hoſtibus donaret. Itaque voti reus, à Remigio baptizatur, exemploque movet ſubditos, ut colla Chriſto ſubdant, ann. C. eod. mox amplis poſſeſſionibus Eccleſias locupletat, immenſamque pecuniæ vim in ſacros uſus diſtribuendam ſancto Remigio tradit: qui tum, inter alia, Laudunenſem Epiſcopatum inſtituit, ann. Ch. 497. primumque Eccleſiæ illi præfecit Genebaldum, cui neptem ſuam uxorem dederat, in quo munere illi filium poſtea ſucceſſiſſe, refert *Legendæ S. Remigii* auctor. In Italia, ſub Theodorico quoque ſat bene habuit Eccleſia, refertque, quod de Diacono ejus juſſu occiſo ſuprà diximus, le Sueur ad ann. C. 498. In Africa, Gundabundi ſucceſſor Thraſimundus frater, ſepoſitâ vi, dignitatum opumque eſcâ orthodoxorum plurimos ſeduxit, ann. Ch. 496. Inter Hæreticos, Acephali, Chalcedonenſem exſecrantes Synodum, varias de ſe ſectas fudere, Tritheitas, Agnoëtas, Theopaſchitas, Jacobitas, Armenios, Severitas, Aphthartodocetas, Severi Antiocheni, Juliani Halicarn. Joh. Philoponi & aliorum ſcriptis deliria ſua adſtruentes, de quibus in ſeqq. varia. Plura hanc in rem vide apud modò laudatum Joh. le Sueur *in Anaſtaſio*, ubi, inter alia, *de Ampulla Rem. & Auriflamma, ad ann. C. 496.* ſicut poſt ea, *de mutatione in moribus & doctrina ſenſim in Eccleſiam, à tempore Conſtantini M. irrepente Sec. IV. & V.* ad cujus finem prope acceſſimus: *deque Eccleſiæ Romanæ illius temporis ab hodierna differentia*, ſub finem Sec. hujus pluribus agit.

XX. SYMMACHUS (h).

Ambitio (i) *turbat Sedem, ſed vinco* (k), *reumque*
Oſtrogotho coram me Duce ſiſto (l) *libens.*
Decretum Odoacri mox tollo (m), *& fulmine primus*
Cæſareum ferio (n) *culmen, adorno* (o) *Sacra* (p).

ENARRATIO.

(*h*) POſt Anaſtaſii II. obitum, ingens inter Romanæ Sedis candidatos rixa eſt orta: de quibus proin temporibus loquens Heideggerus, *Eò, inquit, deventum, ut Epiſcopatum Rom. nemo jam, niſi per vim, ſordes & ambitum conſequeretur. In annos Pontificis inquirere, de ejus ſucceſſore ante obitum paciſci, ſuffragia numeratâ pecuniâ redimere; verbo, jurejurando, ſigillo, pacta illa contra bonos mores firmare adeò religio non fuit, ut penè vim legis obtinuerit, Eccl. Rom. Periodo II.* Teſtis ἀξίας locuples hiſtoria Symmachi, Sardiniâ oriundi, eſt, poſt Anaſtaſium II. Papæ electi, de quo ſic Sabellicus, *Fuit Symmachi creatio tumultuoſa, ordinumque diſcordiâ infamis, eſtque non inter cives ſolùm, ſed inter ordines etiam opibus & authoritate certatum, quum Senatus in hunc propenſior eſſet, ignobilis multitudo in illum.* Nempe Feſtus Patricius, de quo ſuprà, Romam appulſus, cùm Anaſtaſium, quem credebat facilè adducturum ſe, ut Henotico ſubſcriberet, in vivis ampliùs non reperiſſet, operam

ram dedit, ut is ſucceſſor eligeretur, quem propoſito ſuo non obſtiturum rebatur. Itaque quarto poſt Anaſtaſii mortem die, 25. ſc. Nov. anni præfati, à majore Cleri populique parte, in Baſilica Conſtantini congregatâ Symmachus quidem: ſed (*i*) ab altera, quam ipſe Feſtus & Probinus Sen. aliique Proceres ſuffulciebant, in Baſilica S. Mariæ Maj. eodem die, Laurentius Archidiac. Anaſtaſii ſucceſſor declaratus eſt. Unde *Schiſma IV.* in Eccleſia Rom. quo per triennium & ultra durante, ad ſanguinem uſque depugnatum eſt. Quamvis enim utrinque conſenſum eſſet, ut, juxta Odoacri legem, Italiæ Regis arbitrio, qui tum Theodoricus erat, res committeretur, hujusq; decreto (*k*) Symmachus, ut, qui prior & plurium ſuffragiis electus fuerat, obtineret honorem, Laurentio Nucerino Præſule creato, non tamen hic finis litis. V. Anaſtaſium Bibl. Theodorum Lect. *l.2.* Paul. Diaconum, Alios. Fuit autem in partibus Laurentii, præter alios viros præclaros, Paſchaſius Diac. magna eruditionis & pietatis laude florens, cujus animam propterea thermarum addictam miniſteriis ſibi apparuiſſe, ſcribit Gregorius I. *Dialog. l.b.4. c. 40.* vide Joh. le Sueur *ad ann. C. 498.* Ut primùm verò Symmachus ſedem tenuit, Synodo d.1. Martii Romæ indictâ, nefarium ambitum refrænare ſtuduit, atque ſub finem ejus, Anaſtaſio Imp. electionem ſui per literas notam fecit, utque Hæreticos tueri porrò deſineret, deceſſorum ſuorum exemplo, precatus eſt. Sed hoc irritatior Anaſtaſius hoſtem ſe eorum, qui Fidem Chalcedon. ſequerentur, apertè declaravit, atque in Epiſcopos exilio, in cœteros aliis modis ſævire cœpit: ipſi Macedonio Patr. ob zelum infeſtus. Mox ſecuta Bulgarorum irruptio, inhoneſta

pax, tremor prov. Ponti, de quo vide Theodorum Lect. *l.2.* facta hæc an. C. 499. At Romæ, cædes, rapinæ, aliaque diſcordiæ mala, *ex utriſque partibus*, ut ait Paulus Diac. ſic ut ne quidem ſacris Virginibus parceretur, Sabellico teſte: quare ruſus ad Theodoricum, Arianum licèt Principem, itum, à quo miſſus ad cauſam cognoſcendam Petrus Altinus, utroque diſſidentium ſemoto, ipſe cathedram rapuit. Quod cùm Theodorico relatum eſſet, præſentiam ſuam neceſſariam ratus, ipſe Romam, incredibili omnium ordinum lætitiâ, pompaque, quæ ipſum B. Fulgentium in admirationem rapuit, ingreſſus, mirè affabilem Senatui plebique largum ſe exhibuit, &, urbis celebrioribus locis luſtratis, omnia ubique reparari præcepit, operumque magnitudine antiqua miracula renovari, ann. C. 500. ad quem, Ennodium nimiæ erga Sedem Rom. adulationis arceſſit, Joh. le Sueur ſuprà laudatus: ob verba ejus, inſerta à Gratiano, Symmachi nomine, *Diſtinct.* 40. *can. Non nos.* quæ eandem cum decretis Apoſtolicis autoritatem habere, adnotant Emendatores ſub Gregorio XIII. *Gratianæi Decreti.* Sequitur Seculum VI. promovendæ Rom. Sedis Παμβασιλείας, ob abſentiam Impp. Hæreticos Romam appellantes, ex Africa & Oriente, ac Barbaros, qui turmatim in Italiam influebant ibique ſtabilem ſibi dominationem quærebant, Pontificibus adulantes, præ cœteris opportunum. Ejus primo ſtatim anno, juſſu Theodorici, convocatâ Romæ Synodo Nationali Epiſcoporum CXV. (*l*) Symmachus comparens, Petrum Altinum priùs amoveri petiit, antequam ad capita accuſationis ab adverſariis ſibi objecta reſponderet. Quo non obtento, cauſam dixit, eo quidem eventu, ut LXXII. Epiſcoporum ſuffragiis abſol-

abſolveretur, & in ſede confirmaretur, qua de re vide Baronium *Annal. ubi de hoc Concilio ei ſermo.* Dum interea Anaſtaſius ſævire in orthodoxos pergens, immiſſis in Circum militibus, eorum 3000. trucidari juſſit, uti diſcimus ex Marcellino & Anaſtaſio Bibl. ann. C. 501. Quia verò ſinceritatem Patrum, qui præfatam Synodum compoſuerant, libello edito in dubium vocare fuere auſi, qui cum Laurentio faciebant, nova Synodus Romæ coiit, quæ Ennodio, ut ad libellum hunc reſponſum pararet, in mandatis dedit, quod id ipſum eſt, è quo verba quædam Gratiani Decreto inſerta eſſe paulò antè diximus. Eâdem Synodo decretum, *ut Diœceſanis Epiſcopos ſuos, niſi in cauſa Fidei, accuſare non liceat: atque nullus Epiſcopus, coram aliis Epiſcopis, in judicio ſe ſiſtere cogatur, niſi priùs ipſe Sedi ſuæ, & illi omnia ad eam pertinentia ſint reſtituta.* An & (*m*) Odoacri conſtitutio, cujus in *Simplicio* meminimus, tum quoque abolita ſit, ut nonnulli volunt, non liquet: id certum, valuiſſe eam adhuc ulteriùs, ad Benedictum II. uſque, quem ab ejus nexu demum ſolvit Conſtantinus IV. Interea Anaſtaſius favere Eutychianis, perſequi orthodoxos, Synodoque Chalcedonenſi obniti non deſtitit, quare (*n*) Symmachus, qui inſuper ipſum hactenus partibus ſuis maximè adverſum ſenſerat, licèt nec diœceſi nec jurisdictioni ſuæ obnoxium, de Synodi ſententia, excommunicationis fulmine feriit, Paparum primus in Majeſtatem iſta auſus. Cui cùm publico Edicto ſe opponeret Imperator, atque atrocium criminum ſuſpicione viciſſim Symmachum oneraret, hic, apologiâ iis diluendis editâ, acerbè exprobravit Anaſtaſio, quòd honoraret Petrum Alexandrinum, Petri verò Apoſt. poteſtati refragaretur, ſimulque Papalem di-

gnitatem ac potentiam tantum Imperiali, quantum terræ cœlum, præſtare monuit, ann. C. 502. Iterum verò Imperii fines ingreſſi Bulgari, auro iterum placati diſceſſere: Cabadæque Perſarum Regi occupatam proditione duorum Monachorum. Amidam multo demum labore Anaſtaſius extorſit. Fortiùs Theodoricus Bulgaros in Pannonia acie ingenti vicit: Symmachoque favere pergens, literis ad Romanos datis, Laurentii molimina penitùs extinxit, ac; ut Synodi hoc quoque anno à Symmacho habitæ, *de Bonis Eccl. reſtituendis*, decreta ſervarentur, effecit; ann. C. 503. Lege dein latâ, Magos & Sortilegos, inter quos præcipui Romanorum tum numerabantur, coërcuit, an. C. 504. At Anaſtaſius, pace cum Perſis factâ, Eutychianorum partes apertiùs amplèxus, omnes Eccleſiarum Defenſores, ad Henotici fidem adegit, in Macedonium Patri fraudibus inſidiisq; vi tandem apertâ, graſſatus, an. C. 505. in Galliis contrà, ſub Alarico R. licèt Ariano, Agathę in Occitania; Synodus ab orthodoxis XXXV Epiſcoporum, præſide Cæſario Epiſc. Arelatenſi, habita eſt, ann. C. 506. quo ipſo Talmud Babylonicum prodiiſſe Judæi tradunt. Secutum Clodovei cum Alarico bellum, quo illi ſymboli militaris loco *Nomen Domini* fuit, hic ipſius Clodovei manu cecidit, an. C. 507. Aimoinus *l. 1.* poſt quæ Toloſâ, regni in Gallia Gothici capite, expugnatâ, ſicq; propagatis Francici Regni finibus, regiam ſedem Pariſiis ſtatuit Clodoveus: quem victoriarum admiratione, ſimul ejus viribus contra Theodoricum, cui non optimè volebat, uſurus Anaſtaſius, Patricium Auguſtumq; nominavit, miſſis inſignibus, cum corona, quam Clodoveus ad Symmachum Romam miſit, in Baſilica S. Petri recondendam, an. 508. Verùm infelix contra Theodoricum

doricum bello Clodoveus: Saraceni verò in Arabiam & Palæſt. duce Alamundaro, irruptione factâ, templorum monaſteriorumque ingentem edidere ſtragem, an. C. 509. Crevit interea in Macedonium Patr. indignatio Anaſtaſii, quem cùm throno vi deturbare aggrederetur, multitudo accurrens, *Martyrii tempus adeſt, nemo longiùs abſit à Paſtore*, exclamavit, ſimulque in Imperatorem convitia jaciens, *Manichæum & Imperio indignum*, vocavit, an. C. 511. Noctu igitur illum per milites abreptum Imperator, poſtquam ei chirographum ſuum extorſerat, exilii damnavit, eaque re vehementer alienavit populum: prçſertim cùm Epiſcopum faceret Timotheum Colonem Eutychianum, aſſentatorem ſuum, mirâ levitate & veris infamem ſtupris, quæ Macedonio fruſtra imputaverat. Nec Præſulem pepuliſſe contentus Anaſtaſius, in gregem quoq; dira patravit, Acta Concilii Chalc. exuſſit, & per Timotheum hymno ſolemni adjici illud Petri Fullonis præcepit, *Qui crucifixus es pro nobis*: unde cruentæ ſeditiones extitere, queis deprecat⁹ ipſe coram populo culpam, poſitoq; diademate, vix tandem remedium attulit, Evagr. *l.3.c.44*. V. quoq; Marcellinum ac Cedrenum. Mox tamen ad ingenium reverſus Imperator, Severo inprimis, quem Mon. Eutychiani ſibi caput legerant, impulſore, tum alios, tum Theodoſium Abb. exilio multavit. At in Gallia, permiſſu Clodovei Synodus I. Aureliani celebrata, cujus ille Patres, *Epiſcoporum Paparumque Sede Apoſtolicâ digniſſimorum* elogio honoravit, paulò pòſt defunctus, ann. Ch. 511. Pulſus poſt iſta ſede Antiochenâ Flavianus, quòd Concilium Chalcedonenſe damnare nollet, manſitque inexorabilis Symmachi Papæ in Epiſcopos Orientis licèt orthodoxos ob Acacium rigor

ann. Ch. 512. Flaviano verò ſubſtitutus Severus Mon. peſtis Orientis: qui cùm Alamundarum præfatum, ut neophytum, Eutychianâ hæreſi inficere quoque pararet, lepidè ab eo eluſus eſt. Fingens enim Rex, vehementer dolere ſe, quòd Michaëlem Archang. comperiſſet vitâ eſſe defunctum, confeſſionem elicuit Epiſcoporum præſentium, *Angelum mori non poſſe.* Quibus ille extemplo, *Quomodo ergo Chriſtus*, inquit, *mori potuit, ſi non niſi ſolam habet Deitatem?* Vide Theodorum Lect. *l.2.* & Evagrium *d.l.* quorum ille, Deuterio quoque Ariano quendam CPoli baptizare conato, *In nomen Patris, per Filium in S. Spiritu*, aquam ſubitò diſparuiſſe, ſicque orthodoxam Fidem miraculo aſſertam, ſcribit, ann. C. 513. *Ibid.* Tractus nihilominus tandem populi in Vitalianum, orthodoxorum receptorem, ſtudio Anaſtaſius, de Synodo ſpem fecit, qua de re infrà: ante hæc enim deceſſit Symmachus d. 19. Jul. ann. Ch. 514. ſedis ſuæ ann. 15. m. 7. d. 24. Anaſtaſii I. Imp. anno 24. (*o*) templis novis ſplendidè exſtructis, veteribus magnificè reparatis, & ſtatuto, ut ſingulis Dominicis ac Martyrum feſtis in miſſa, *Gloria in excelſis*, caneretur, præter dicta, clarus. Ordinavit 4. vicibus XCII. Presbyteros, XVI. Diaconos & CXVII. Epiſcopos: plura vide *Concil. tom II. Synod. Rom. 4.* apud Anaſtaſium Bibl. Platinam, Luitprandum, Abbonem Floriac. Alios, *in Vitis Pontific.* adde Sabellicum *Enn.8. lib. 2.* (*p*) Eo Romæ ſedente, *CPoli*, pulſo ob orthodoxiæ zelum Macedonio Timotheus ſuffectus eſt, ann. C. 511. ut diximus. *Alexandriæ*, Johannes adhuc præfuit. *Antiochiæ*, deturbato itidem ob veræ Fidei defenſionem Flaviano Severus ſurrogatus, ann. C. 513. *Hieroſolymis*, Elias Severi machinationibus dum acriter reſiſtit,

ſtit, ſimiliter pellitur, ſuffecto Johanne; qui Chalcedonenſibus Patribus juſſu Cæſaris anathema dicturus, ab Abbate Saba converſus, illud potiùs in Neſtorium, Eutychetem & Severum Antioch. torſit, ann. C. eod. Præter hos floruere, Fulgentius Epiſc. Ruſpenſis in Africa, cum LX. aliis Epiſcopis, Thraſimundi mandato, in Sardiniam relegatus, ann. C. 504. Cæſarius Epiſc. Arelatenſis, Alcimus Avitus Vienn. aliique ann. C. 509. de quibus vide Joh. le Sueur *in Symmacho*. Quomodo ſub Imp. alibique Eccleſia habuerit, de Hæreticis item, ſat dictum.

XXI. HORMISDAS (q).

Ad pacem invito (r) *Græcos, ſed Cæſar* (ſ) *abhorret,*
Quòd viſus nimiùm huic imperioſus (t) *eram.*
Defuncto (u), *potior voto* (x), *Patriarcha* (y) *tuliſſe*
Ex Tribus aſt Unum (z) *crimina noſtra nego* (a).

ENARRATIO.

(*q*) PRæn. Cælius, gente Campanus, ſucceſſit Symmacho, unanimi Cleri populique conſenſu, quo nomine prædicat felicitatem regiminis Theodorici Caſſiodorus hoc anno Conſul *in Epiſt.* factum autem id d. 26. Julii ann. C. 514. Anaſtaſii

Imper. 24. Sic Sede potitus Hormiſdas, ejus primatum in Occidente & Oriente firmare haud ſegniter perrexit, ut videbimus. Et quidem (r) initiò ſtatim Orientis Epiſcopos ad unionem & Fidei defenſionem invitavit: cujus ſpem paulò pòſt ipſe Imperator fecit, qui Vitaliano magna vi auri, & reſtitutionis Epiſcoporum exulum, ac Concilii inſuper Heracleæ celebrandi, pollicitatione mitigato, eadem de re ad Hormiſdam ſcripſit, die 25. Decemb. anni prædicti: iteravitque literas, quibus de duritie deceſſorum ejus conqueſtus, meliora ſibi de illo promittere ſignificat, rogatque arbitrum ſe diſſidiis Orientis interponere & futuro concilio intereſſe haud gravetur. Miſit igitur legatos Conſtantinopolim Hormiſdas Evodium Epiſc. Ticin. Fortunatum itidem Epiſc. cum Venantio Presbytero, Vitali Diacono & Hilario Notario, qui Concilii habendi rationes edocerent Anaſtaſium, inter quas erat, *ut non Hæreticis ſolùm, ſed & Acacio omnibusque, qui ei adhærerent, neque ſubſcriberent formulæ, quam per Hilarium illis offerret, diceretur anathema: ut Epiſcoporum exulum cauſa reſervaretur Sedi Rom. cognoſcenda, non minùs ac Epiſcoporum hæreticorum, qui orthodoxos eſſent perſecuti, utque Epiſcopi ſui causâ loco moti ante omnia reſtituerentur*, &c. Quò verò plus autoritatis Legationi conciliaretur, addidit Theodoricus & Senatus Rom. literas ad Imperatorem. Hic Legatos in ſpeciem honorificè excepit, atque in omnia ſe conſenſurum haud difficulter præ ſe tulit; excepto Acacii articulo: re ipsà autem Hæreticis favere perrexit, atque inter alios Soterico Cæſareæ in Cappad. Epiſcopo, qui Imperatoris gratiâ fretus fidelibus gravem ſe præbuit, & maximam provinciæ partem ad Eutychianiſmum

niſmum ſeduxit, ann. C. 515. quo ipſo tamen in Ægypto Monachi, mirabili à Satana obſeſſorum genere perterriti, hæreſin ejurârunt, & Severum exſecrati ſunt, teſte Anaſtaſio Bibl. Poſtquam autem ſatis diu ſecum retinuiſſet Pontificis legatos Anaſtaſius, remiſit illos cum ampliſſima conciliationis ſpe, quam ut luculentiùs teſtaretur, duos ad Hormiſdam Comites, Theopompum & Severianum, cum formula confeſſionis, per omnia orthodoxæ, viciſſim ablegavit, Acacii cauſam ad arbitrium futuri Concilii remiſſurum ſe ſignificaturos. Sed doloſè hæc omnia, quemadmodum & Vitaliano veteratoriè impoſuit: (ſ) audito enim Illyrici Epiſcopos cum Hormiſdâ facere, nonnullos eorum accerſitos CPolim duriter habuit, inter quos tamen Oeniandus eum liberè corripuit, additâ arreptâ illius veſte clauſulâ, *Hæc te veſtis, ô Imperator, non ſequetur in cœlum.* Alcyſon verò Epiſc. Nicopolit. cum Gajano, Conſtantinopoli κατακεχύμενος obiit: cujus ſucceſſor Johannes cùm Synodo habitâ, inter alios, Acacium damnâſſet, & ab Hormiſdâ formulam, cui ſubſcribendum eſſet, accepiſſet, Dorotheus Theſſalonic. licèt in iis partibus Papæ Vicarius, factum ejus neutiquam probavit, neque parùm indignati ſunt Orientis Præſules, ſe inconſultis, ab Epiri Epiſcopis euſque fuiſſe proceſſum, ann. C. 516. Novi igitur mox ad Anaſtaſium Legati ab Hormiſda, cum literis binis ad Imperatorem, aliiſque ad Dorotheum, de quo Epiſcopi Epirotæ conqueſti fuerant, ad Timotheum Patr. CP. & Præſules Orientis: additâ Fidei confeſſione, cui ab omnibus ſubſcribi volebat. Quam cùm vidiſſet Johannes Baſilides Patr. (qui Timotheo interea defuncto ſucceſſerat), is ad Legatos Romanos, velut alienam juria-

juriſdictionem involantes, *Scio*, inquit, *Auguſtorum eſſe, non Pontificis, imperare. Aut ſi quid foret, in quo hunc, cui Divina curæ ſunt, jubere oporteat, me eum eſſe, à quo alii multò meliùs expectent juſſa, quàm ſua exſequenda proponant*, teſte Sabellico *Enn.8. l. 2.* (t) Ipſe Anaſtaſius, cùm imperioſiùs illi agere viderentur, per poſticum emiſſis omni Græciâ interdixit, quia verò, antequam diſcederent, per Monachos paſſim Papæ literas vulgari curavere, literas indignationis plenas ad Hormiſdam dedit, quibus inter alia, *Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus*, inſertum voluit. Brevi itaque à Romana communione iterum Dardaniæ, Sclavoniæ & Epiri Epiſcopi avulſi, & recrudeſcente perſecutione Severus Antioch. ac Petrus Apameæ Præſules, in Monachos, Synchytico-rum ſectæ adverſantes, immaniter graſſati ſunt, omni auxilii ab Imperatore, cui ſupplicaverant, ſpe præciſâ. Circa quæ tempora, in Occidente, diverſis provinciis, Galliæ Narbon. Avitum Vienn. Hiſpaniæ cis Bætim Johannem Tarracon. & trans Bætim Salluſtium Hiſpalenſem, *Vicarios* Papa impoſuit: qui, ut ſupra fratres ſe extollerent, haud inviti munus illud ſuſceperunt. Mox Synodi habitæ, Gerundæ, præſide Johanne Tarracon. Epaone, moderante Avito Vienn, quâ inter alia cautum, *ut Clerici ad Iudices ſeculares vocati parere non detrectent*, & Lugduni, cui Viventiolus Epiſcop. præerat, anno C. 517. Quia verò Syriæ Monachi gravia ab Hæreticis paſſi nullam levaminis ab Imperatore ſpem erant conſecuti, Johannem & Sergium Romam miſerunt, cum literis XXV. Abbatum ſubſcriptione ſignatis, quos Hormiſda humaniter exceptos cum reſponſo exoptato ad ſuos remiſit. Interea Anaſtaſius ob fraudes multiplices, & rigorem in orthodo-

xos,

xos tantopere ſe populo reddidit exoſum, ut ſeditione, ob Triſagii appendicem, denuò exortá, à vitæ diſcrimine parùm abfuerit: quò meliùs referas, quæ de humillima ejus, diademate quoque depoſito, ſupplicatione retro diximus. Nec tamen vel ſic edoctus meliora, dum pergit fideles inſectari, dum Juſtino & Juſtiniano, qui poſtmodum ambo Imperio ſunt potiti, inſidias ſtruit, audiit in ſomniis terribilem vocem, *En ob perverſitatem fidei tuæ ſedecim tibi vitæ annos deleo,* (*u*) breviqúe pòſt in cubiculo mortuus repertus eſt, Juſtino I. ſucceſſore, vide Evagrium *l. 3. c. ult. Chronicon* Marcellini, Zonaram, Alios. Sub hoc jam paulò lætior rerum facies, occiſi Theocritus & Amantius Anaſtaſio rigoris in orthodoxos auctores, quòd contra Principem conſpirâſſent: habitaque Synodo, præſide Johanne Baſil. cognom. Cappadoce Patr. (qui *Oecumenici* nomine, tum Patriarchis uſitato, in ea perpetuò inſignitur) revocati Epiſcopi exules, confirmatæ Synodi IV. Oecumenicæ, Euphemii & Macedonii nomina (renitente tamen Hormiſdâ) Diptychis inſerta, addito quoque Leonis I. Epiſc. Rom. & anathema Hæreticis, interque eos, Severo dictum eſt; quam mox aliæ paſſim in provinciis ſecutæ, Chalcedonenſem in toto Imperio Fidem reduxere. Hinc ab Imperatore & Patriarcha literæ ad Hormiſdam, quibus ille CPolim invitatur, ut de utriusque Eccleſiæ pace reſarcienda eò felicius ageretur. Sed Synodo hanc in rem Romæ coactâ denuo probatus Simplicii, Felicis Gelaſiique rigor, ac decretum, niſi Acacii & Euphemii, imò & Macedonii, nomina delerentur, iniri pacem nullâ ratione poſſe, an. C 518. quod miſsâ legatione & literis Juſtino Joanniqúe (in quibus *Hormiſdà Epiſcopus Iohanni Epiſcopo CP.* ſcribit)

ſcribit) ſignificatum; ſimulque oblatus libellus eſt, quo, quid ſubſcribendum eſſet EpiſcopisOrientis, ſiquidem cum Romano in gratiam redire vellent, aliaque pro Romano magnifica, continebantur. Quibus inter alia Juſtinus reſpondit: *Pro una eademque habeo utrasque Eccleſias, tam ſenioris, quàm novæ Romæ.* Johannes verò CP. Hormiſdam *Fratrem & Commini-ſtrum* vocavit, ſuamq; Eccleſiam Romanæ ſubordinari ubiq; vetuit. In gratiam etiam (x) Hormiſdæ Acacii tandem, Euphemii aliorumq; quorundam, inter quos Zenonis quoq; & Anaſtaſii Impp. nomina ſublata ſunt: non tamen cœterorum, qui cum iis communicâſſent, uti quidem Hormiſdas petebat, vide Cl. Heideggerum *Eccl. Rom. Period. II.* Sequutæ literæ *Hormiſdæ Archiepiſcopo & (y) Patriarchæ* ab Imperatore inſcriptæ; exilium Severi Antiocheni, cui lingua abſcindenda erat, niſi fuga prævertiſſet malum; lis inter Dorotheum Epiſc. Theſſalon. & Hormiſdæ legatos, quorum uno, in capite ſauciato, quum Hormiſdas Dorotheum Romam adduci peteret, ibi judicandum, obſtitit Juſtinus, illiusque causâ CPoli diſceptatâ, eum ad paucos dies Heracleam amovit, iis elapſis ſedi ſuæ reſtituendum. Poſt quæ Scythiæ Monachi petentes, ut Symbolo annecteretur, (z) *unum de Trinitate crucifixum eſſe pro nobis*, à Papæ Legatis primùm qui CPoli erant, dein ab ipſo Papa rejecti ſunt, *Epiſt. Rom. Pontific. tom. I.* inter *Epiſt.* Hormiſdæ, 65. 70. & 77. cui poſtmodum contradixit Johannes II. ut patet ex *Epiſt. ejus in Bibl. Patr. Tom. IV.* Sed & Afri Præſules hæc verba receperunt, interque hos Fulgentius, ſcripto ea de re libro, cui tit. *de Incarnatione Verbi*: de quorum ſenſu vide Joh. le Sueur *ad ann. C. 519.* Inter eoſdem Monachos contentione de libris Fauſti Rheg. Semipelagiani, à

Gelaſio

Gelaſio Papa rejectis, obortâ, monitus à Poſſeſſore Epiſc. Afro Hormiſdas, deceſſoribus ſuis damnatum hunc errorem, & in Gratiæ puncto unicè B. Auguſtino inhærendum, reſpondit. Johannis dein ſucceſſor Epiphanius Synodi CPoli coactæ nomine, per literas, ab Hormiſda petiit iis Orientis Eccleſiis indulgeri, quæ Epiſcoporum, qui cum Acacio communicâſſent, aliàs orthodoxorum, nomina retinerent, ſimulq; eum ſuper propoſitione Monachorum ſuprà indigitata, conſuluit, an. C. 520. quo ipſo Neſtorianos Syriç *Edicto* coërcuit Juſtinus. Sed manſit ad utrumq; inflexilis Hormiſdas, donec rigorem ſuum ingratum Juſtino animadvertens, Epiphanii arbitrio rem totam commiſit, ſicq; poſt 37. annos ſchiſmati utriuſq; Eccleſiæ finem impoſuit, d. 26. Mart. ann. C. 521. Defunctus die 6. Aug. an. C. 523. ſedis 9. d. 11. Juſtini I. Imp. anno 5. eruditione, & zelo pro veritate Sedisq; inprimis ſuæ auctoritate, clariſſimus. Scripſit *Epiſtolas* complures, Baſilicas varias, S. Petri inprimis, magnificis donis locupletavit, ordinavitq; XXI. Presbyteros, & LV. Epiſcopos. Pſalmodias inſuper Clerum docuiſſe & Manichæos Româ expuliſſe legitur: vide Platinam cœteroſq; qui *de Pontificibus* ſunt commẽtati. *(a)* Eo Rom. Eccleſiam gubernante, in *CPolitana* obiit Macedonius exul, an. C. 518. & Timotheo ſucceſſit Johannes Cappadox, an. C. 517. an 518. huicque Epiphanius, an. C. 520. In *Alexandrina*, poſt Johannem cogn. Machiotam, in ſedem ab Anaſtaſio Imp. Dioſcorus Jun. prioris nepos, non ſine ſeditione & ſanguine intruſus eſt, an. C. 516. In *Antiochena*, Severo pulſo ſurrogatus eſt Paulus à Clero populoque Antiocheno, electionem ejus fruſtra CPlitano Patr. ad ſe trahente, cui Hormiſdas quoque obſtitit, an. C. 519. ei verò ob vitia ſede indigno judicato ſucceſſit Euphra-

Euphraſius Presbyt. Hieroſolymis accerſitus, teſte Evagrio *lib.4.* qui etiam Alexandrinis Aſterium orthodoxum à Juſtino Imp. Epiſcopum datum eſſe ſcribit, eod. anno C. 521. &c. Præter quos floruere Johannes Maxentius Mon. *Apologiæ* aliorumque Scriptorum auctor, circa ann. C. 520. Avitus Abbas, Palladius Epiſc. Ebrodunenſis in Galliis, Brigida Virgo in Hibernia, ann. C. 521. Ad fidem verò converſi ſunt Immeres bellicoſi, reginæ quondam Auſtri, quæ Salomonem inviſit, ſubjecti, ann. C. 516. Lazi quoque, ann. C. 522. quo ipſo Boëtius Conſul fuit. De Impp. Anaſtaſio & Juſtino, Concilii Chalcedon. acerrimo propugnatore, dictum ſatis. Addam ſaltem de Juſtino, titulum *Pontificis Max.* adhuc geſſiſſe, uti patet, ex *Inſcr.* Juſtinopoli in Iſtria inſculptâ, cujus initium D. N. CÆSAR. JUSTINUS. P. SAL. PIUS. FELIX. VICTOR. AC. TRIUMPHATOR. SEMPER. AUG. PONT. MAX. FRANC. &c. apud Gruterum *p. 164. n. 5.* attamen jam V. ſeculo *Pontifices* Epiſcopi vocitari cœperunt, paſſim, & Sidonius *l. 4. Epiſt. 21.* & *l. 5. Epiſt. 14.* & *l. 4. Epiſt. 25.* & *l. 8. Epiſt. 14.* & *15.* nec non *ſub finem Poëmatis*, Mamertum Vienn. Patientem Lugd. Remigium & Principium fratres Remenſ. ac Sueſſion. Proſperum porrò Aurelian. & Fauſtum Rheg. Epiſcopos, appellat *Pontifices Maximos*, Vide quoque Iſidorum *Orig. l. 7. c. 12.* Perſecutio Eccleſiæ Afric. poſt Thraſimundum à Mauris occiſum, ceſſavit ſub ejus ſucceſſore Childerico, Hunerici ex Eudoxia, Valentiniani III. filia, nato, qui matris fidem ſecutus Epiſcopos, interque hos Fulgentium, revocavit, iiſque Eccleſias, poſtquam eas 74. annos Ariani tenuiſſent, reddidit, ac juramentum deceſſoris decreto, ante-

quam

quam Regno inaugurаretur facto, eluſit, ann. C. 522. Procopius *de Bello Vandal. lib.* 1. & Paul. Diaconus *l.* 15. De Hæreticis quoque dictum: addo, Manichæos non ſolùm edicto Cæſaris, toto Imperio pulſos, ſed & à Cabade Perſarum R. quòd filium Pharſuaſam in ritus ſuos tranſire feciſſent, in unum locum convocatos, ac unà cum Epiſc. ſuo Indagaro, libris combuſtis, internecione deletos eſſe, an. C. 523. de Hormiſdæ erga eoſdem, zelo, qui libros illorum itidem coram Baſilica Vatic. flammis dedit, eosque virgis cæſos in exilium pepulit, jam ſuprà aliquid innuimus. V. P. Diaconum *Ibid.* &c.

XXII. JOHANNES (b) I.

Me Rex Oſtrogothus (c) *Juſtini ad mœnia* (d *mittit,*
Atq; Arî ſectæ parcat (e) *ut ille, petit.*
Hîc nimiùm cultus (f), *dum poſt ea geſta revertor,*
Lautia, Legato debita, carcer (g) *erant* (h).

Enarratio.

(*b*) GEnte Tuſcus, Presbyter, Hormiſdæ ſurrogatus eſt, ſeptiduo poſt obitum ejus, an. C. 523. Juſtini I. Imp. 5. quo tempore magnâ doctrinæ & virtutum omnigenarum gloriâ floruit Anicius Severinus Boëtius, Conſulatu priore anno defunctus, dignisque à Theodorico R. elogiis ornatus, apud Caſſiodorum *l.* 1. *Epiſt.* 45. inter Epiſcopos, Eleutherus

rus Tornac. & Eŭterus Carnut. ſanctitatis opinione celebres fuere: quorum ille obiit hoc ipſo anno C. 523. At quo eminentior Boëthii virtus, eò invidiæ inſidiisque obnoxia magis: quibus paulò pòſt impetitus ab inimicis, & conſpirationis cum Juſtino accuſatus apud Theodoricum, jam alium à ſe ipſo, in vincula conjectus eſt, ibique *de Trinitate* librum compoſuit, quem ſocero ſuo Symmacho dedicavit: dum Juſtinus Edictis contra Arianos (*c*) Theodoricum offendit, an. C. 524. qui ne idem in Catholicos ſtatueret, Legati venerunt (*d*) CPolim præſtantiſſimi Romanorum, Theodorus, Importunus, Agapetus Conſulares viri, & Agapetus Patricius, cum Johanne Papa, capite legationis, exoratum Juſtinum, (*e*) ne ſuâ in Hæreticos auſteritate Theodoricum in orthodoxos efferaret. Aliam legationis cauſam addit Boëthius tum in vinculis detentus, quòd Theodoricus de clandeſtino Juſtini cum Senatorum præcipuis commercio, per Legatos hoſce queſtus fuerit. His honorificè habitis, (*f*) Johanne inprimis, (ante quem à Conſtantini I. & Sylveſtri I. temporibus Rom. Præſulum nullus CPolim venerat) Juſtinus Imperatorum primus, ab illo, qui ſuperiorem ſe ferret Epiphanio CP. à quo jam priùs coronatus fuerat Imperator, inſignibus eſt Auguſtalibus denuo redimitus, Anaſtaſius Bibl. ejusq; precibus ac lachrymis delinitus, abolitis contra Arianos edictis, templa iis adempta reſtituit, ſi *Hiſtoriæ Miſc.* eidemq; Anaſtaſio fides. Tum Johannem invitatum, ut pari loco cum Patriarcha CP. ſederet, idque recuſantem obtinuiſſe quoque, ut ſupra Epiphanium collocatus altius ſubſellium occuparet, ſcribit Nicephorus Call. *l. 17. c. 9.* quod alii factum volunt, quia Theodorici R. nomine Legatus aderat.

Marcelli-

Marcellinus verò, ejus ævi ſcriptor, nil aliud, quàm *dextrum dextro Eccleſiæ aſſediſſe ſolio*, memorat, an. C. 525. quo Boëthius capite plexus eſt, poſt 6. menſium in carcere pædorem. At Legatis honor habitus ingenti indignatione Theodoricum accendit, Oratores in ſuam Regnique Occidentalis perniciem cum Juſtino conſpiràſſe arbitratum. Itaque tum reliquos, tum Johannem præcipuè, (*g*) reverſum in Italiam, Ravennæ diuturnâ maceravit cuſtodiâ, cumque jejuniis & ſqualore carceris, uti comites partim igne, partim aliis ſuppliciis, (*h*) extinxit, an. C. 526. Epiſc. ejus ann. 2. m. 9. & dim. V. præter Marcellinum *Chron. Hiſtor. Miſc. c.* 15. & Anaſtaſium *in Iohanne I.* jam laudatos, Gregorium *M. l.* 3. *Dial. c.* 2. Card. Baronium *Annal.* ubi *Epiſtolæ* Johannis, quam è carcere ad Italiæ Præſules ſcripſerit, meminit, &, qui de eadem Epiſtola judicium ſuum exponit, Blondellum *Cenſurâ Epiſtolarum Decretal.*

XXXIII. FELIX (i) IV.

Lis (k) *fuit, at Gothicus* (l) *Rex, ut ſuccurreret, iſti*
Me ſedi impoſuit, conſtituitq; (m) *Papam.*
Libera jura dedit natus (n), *Clerumq;* (o) *reprendit:*
Cætera ſi quæras, ædificator (p) *eram* (q).

Enarratio.

(*i*) E' Samnitibus oriundus, Caſtorii filius (*k*) poſt 58. dierum de ſede contentionem, (*l*) Theodorici R. auctoritate, quòd doctrinæ & pietatis laude præ reliquis floreret, (*m*) in Johannis locum

cum ſuffectus eſt d. 2. Aug. ann. C. 526. Juſtini I. Imp. 8. ipſius Theodorici 33. & ult. qui, cùm in Proceres Rom. ſævire pergens, Symmachum quoque Patricium, ſocerum Boëtii, & divinâ humanaque ſapientiâ non minùs excellentem, gladio itidem puniviſſet, 98. poſt facinus die, piſcis fortè appoſiti caput, tanquam Symmachi eſſet, torvis oculis exertiſque dentibus, exitium minitantis exhorruit ſubitaque eſt morte defunctus, ſucceſſore ex Amalaſuenta filia, probè literis exculta muliere, Athalarico nepote, eod. anno. Mox ſequutus Theodoricum Juſtinus, poſtquam Juſtinianum, ſuum è ſorore nepotem, quem Proceribus commendaverat, coronatum vidiſſet: quem, ut primùm throno potitus eſt, *Epiſtolâ* inſigni, regnandi præcepta continente, adiit Agapetus Diaconus CP. Fœdere dein cum Athalarico renovato, publico Edicto præclaram Fidei confeſſionem complexus Imperator, Neſtorii, Eutychetis & Apollinaris hæreſes execratus eſt, inde ad Remp. reparandam toto animo converſus, vide Marcellinum *Chron.* & Zonaram *Annal. l. 3.* In Italia verò, (*n*) rogatu Felicis, ſuſtulit legem Valentiniani II. *de appellatione à Papæ ſententia ad Magiſtratus*, in certis cauſis Clerum concernentibus (de qua vide Caſſiodorum *lib. 8. Epiſt. 24.*) Athalaricus, gravi tamen exhortatione (*o*) admonens Clericos, ut vocatione ſuâ dignè viventes à criminibus hujusmodi caverent, quæ in laicis quoque vindicem poſcerent juſtitiam, ann. Ch. 527. quo ipſo Dionyſius Exiguus Scytha Mon. eruditione omnigenâ inſtructiſſimus, tempora A' CHRISTO NATO pietati convenientiùs ſupputare incepit, quum antea à Cæſarum initiis aut aliis rebus geſtis numerarentur. Idem primus *Decretalium* collector, & *Codicis Canonum*

num, ex Græco Interpres, qua de re vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccl. n. 73.* &c. Poſt quæ, inter alias LL. Eccleſiaſticas, unam tulit Juſtinianus, Epiphanio Patr. inſcriptam, quâ, *ne Epiſcopi, relictis Eccleſiis, in Aula morarentur, ſine Principis venia*, ſub pœna indignationis ſuæ, & excommunicationis inſuper, in eos ſtringendæ, vetuit. Idem, *ut clarâ voce Sacra peragerentur*, juxta monitum Apoſtoli, 1. Cor. *c.14. v.16.* piè ſanxit, ann. Ch. 528. Synodo dein II. Arauſionenſi, *neceſſitas & efficacia Gratiæ ejusque in hominis voluntatem agendi ratio*, contra Pelagianos & Semipelagianos, egregiè aſſerta eſt: cui non omnes ſolùm qui aderant Epiſcopi, ſed & Præfectus Liberius, Syagrius, Opilio, Pantagathus, Deodatus, aliique Viri Illuſtres ſubſcripſere, confirmatæ quoque poſtmodum à Bonifacio II. *Epiſt. ad Cæſarium Arelat.* qui Synodo præſederat. In eodem regno Synodo II. Vaſione celebratâ, inter alia decretum, ut Κύριε ἐλέησον, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, in omnibus Eccleſiis cantaretur, &, contra Hæreticos, æternitatem Filii Dei negantes, ad exemplum Italiæ, Africæ & Orientis Eccleſiarum, *δοξολογίᾳ* u[illegible]atæ adjiceretur, *qui erat à principio*, ann. C. 52[illegible] Inde in Africa Childericus, orthodoxiæ inſtaurator, re adversùs Mauros improſperè geſtâ, ab agnato Gilimere regno privatus & carceri incluſus eſt, fruſtra pro illo deprecante Juſtiniano. Felix verò Pont. Rom. deceſſit d. 12. Octobr. ann. C. 530. Sedis ann. 4. m. 2. d. 10. Juſtiniani I. Imp. ann. 3. non aliâ re magis, quàm (*p*) ſubſtructione Baſilicæ Coſmi & Damiani, reparatione Baſilicæ Saturnini Mart. & ejus, quæ Stephano Protomartyri dicata, exornatione, clarus. Binis vicibus ordinavit LV. (al. XV.) Presbyteros, IV. Diaconos

N &XXIX.

& XXIX. Epiſcopos: plura apud Platinam, Anaſtaſium, Revium alioſque, qui *de Pontificibus* ſcripſere, uti *de Epiſtola* ei tribui ſolitâ, apud Blondellum *d. l.* (*q*) Eo Romæ ſedente, *CPli* ſacris adhuc præfuit Epiphanius. *Antiochia*, iterato quaſſata motu, cives ſuis obrutos ædificiis extinxit, ultra quadringenties mille, anno C. 526. & 528. quorum priore, Euphraſio Patr. ipſo oppreſſo, Ephrem vir prudens, Præfectus Orientis, *throni hujus Apoſtolici*, uti ait Evagrius *l.4. c.5.* & *6.* Epiſcopus creatus eſt. Præter quos floruere varii, jam ſuprà indigitati: porrò Arator, Poëta Chriſtianus, Legationis Athalarici ad Juſtinianum caput, ann. C. 527. Eugippius it. Abbas Afer, Petruſque & Ferrandus Diaconi in eadem Orbis parte, ſcriptis omnes clari. Fulgentius verò, *ſeculi ſui Auguſtinus*, obiit ann. C. 529. quo ipſo Nicetas Epiſc. Trevirenſis eruditione, pietate & ſanctâ παῤῥησίᾳ celebris fuit; & Benedictus Pater Monachorum, fundatis in monte Campaniæ Ital. Caſino (ubi hucuſque Apollinis ædes ſteterat) Oratoriis, Ordinem ſui nominis inſtituit, ac *Regulâ* nomen ei daturos adſtrinxit. Ad Fidem verò circa hæc tempora converſi, regina Hunnorum Boazer, vidua; Rex Hunnorum ad Boſporum habitantium Gorda: item Lazorum ſeu Colchorum Dux Tzatus, de quibus le Sueur *ad ann C. 527.* Porrò, Zanorum gens, Armeniæ vicina, bello Perſico, à Romanis victa, & Herulorum Rex Gretas cum ſuis, ann. C. 528. Nabathæi tandem & Samaritani, Chriſtianiſimum ſunt amplexi, ann. C. 529. de quibus omnibus, aliiſque huc pertinentibus, V. præfatum Joh. le Sueur in *Felice IV.* De ſtatu Eccleſiæ ſub utroque Imperatore, Theodorico it. R. nec non de Hæreticis, nil opus addere.

XXIV.

XXIV. BONIFACIUS (r) II.

Diſſidio fervente (s) *creor* (t), *poſt funera damno*
Rivalem (u), *hæredem mox quoque dico* (x) *mihi.*
Sed damnor (y), *fateorq́; reum me criminis* (z) *eſſe,*
Plus æquo Angelicis (a) *deditus uſque choris* (b).

ENARRATIO.

(r) NAtione Romanus, patre Gotho, cui Sigivulto nomen, genitus, Felici (*ſ*) à parte Cleri populoque, in æde Julii congregato, ſurrogatus eſt, (*t*) d. 15. Oct. ann. C. 530. præf. dum Senatus, parsque Cleri altera Dioſcorum Diac. in Baſilica Conſtantini, ſucceſſorem elegit: unde *Schiſma V. in Eccleſia Rom.* ingenti Senatus, Cleri Pque diſſidio infame. Sed finem impoſuit ipſe Dioſcorus decimo octavo pòſt die defunctus: quem (*u*) quòd poſt mortem excommunicaverit Bonifacius, id Agapeto, qui eum excepit, adeò atrox viſum, ut Dioſcoro veniâ datâ illum communioni reſtituere non dubitârit. (*x*). Sequente anno Bonifacius, ne ſimilis ſe mortuo oriretur rixa, Synodo Romæ convocatâ, ſucceſſorem ſibi vivus dixit Vigilium Diac. quod ambitu hujus factum, Sylverius Papa monet *Epiſt.* 2. Verùm quia hæc electio contra Canones erat, & in Populi Clerique, penès quos hactenus

eligendi jus fuerat, præjudicium vergebat, alterâ Synodo paulò pòſt habita, quâ Bonifacius (*y*) errorem fateri, decretum prioris Synodi flammis dare, & ſe (*z*) *reum Majeſtatis* agnoſcere coactus eſt, illa improbata eſt atque reſciſſa. Crimen autem Majeſtatis ei ideo impactum, quòd Italiæ Regis, in eligendo, aut ſaltem confirmando ac repudiando Epiſcopo Urbis, juri, hac electione derogatum videretur. Poſt quæ mox deceſſit Bonifacius, d.17.Oct.ann. C. 531. ſedis ann.1. d.2. Juſtiniani I. Imp. anno 4. Athalarici Ital. R. 5. homo, ut ſcribunt, elatus, & (*a*) Angelorum cultui, vetere errore incruſtato, nimiùm deditus, cujus indicium in S. Michaëlis honorem Baſilica magnis impenſis exſtructa. *Epiſtolam ad Eulalium Alexandr.* nomine ejus, ante 600. annos in apricum productam, ac Decretalibus inſertam, ſuppoſititiam eſſe, Baronius oſtendit. Eodem anno CPoli, ſeditio, auctoribus Hypatio, Pompejo & Probo conſobrinis, nepotibus Anaſtaſii I. Imp. orta ultra 30. m. hominum abſumpſit, parumque ipſe Imperator ab exitio abfuit, Zonar. *tom.3.* V. quoque Nicephorum *l.17. c.10.* at de Bonifacio plura, apud Onuphrium, Platinam, aliosque *in eo*, Genebrardum *Chron.* Baronium *ann.C.* 530. 531. &c. (*b*) Illius tempore *CPoli*, Epiphanius adhuc: *Alexandriæ*, Timotheus: *Hieroſolymis*, Johannis Petrus ſucceſſor, ſacra curabant. Præter quos floruit Montanus Archiep. Toletanus, qui impudicitiæ calumniam memorabili ratione abſterſit, ann. C. 531. Inter Hæreticos, Origeniſtas iterum caput extuliſſe, refert Cyrillus Mon. Judæos verò Hæreticosque infames ab Imp. declaratos, obſervat Joh. le Sueur *ad eund. ann.*

XXV.

XXV. JOHANNES (c) II.

Haſtæ ſubjecta eſt (d) *Sedes, ringente Senatu* (e),
Et Duce Gotthigenûm (f) *non tolerante* (g) *ſcelus.*
Hormisdam (h) *contra, crucifixum eſſe ex Tribus unum*
Aſſero, me eximio Cæſar honore (i) *colit* (k).

ENARRATIO.

(c) PAtriâ Romanus, Projecti filius, ob inſignem eloquentiam, *Mercurii* cognomen nactus, poſt (*d*) ingentes concertationes, electus eſt, an d. ult. anni C. 531. an d. 1. ſeu Kal. Januar. 532. Juſtiniani I. ann 5. mox (*e*) ambitus decreto Senatûs damnatus, ut videre eſt apud Caſſiodorum *l.* 9. *Epiſt.* 15. & 16. decretumque auctoritate (*f*) Athalarici (lachrymis Defenſoris Eccleſiæ Rom. ac precibus Senatûs permoti) & (*g*) Statuto hac de re evulgato, ipſique Johanni inſcripto, atque unà cum SC. marmoreæ tabulæ inſculpto, roboratum eſt. Dum CPoli Juſtinianus, Severianos ad Eccleſiam reducturus, colloquium inſtituit, Hypatio Epiſc. Epheſino præſide, in quo Hæretici, ex lib. Dionyſii *de Hierarchia Eccl.* quædam loca afferentes, mox in ruborem dati ſunt, oſtendente Hypatio, illa Dionyſii Areopagitæ, cujus nomine liber prodiit, non

eſſe, cùm neque Athanaſio, neque Cyrillo, nec ulli alii Vett. quidquam de iis innotuerit. Perſtiterunt nihilominus in errore Severiani, niſi quòd Philoxenus Epiſc. Dulichii, cum Clericis compluribus Monachisque, fraudibus illorum ſeductis, ad Eccleſiam redicre. Sequuta peſtis, quæ in Æthiopia exorta, inde in Orientem Occidentemque tranſiens, immenſam mortalium vim rapuit, ann. C. 532. præf. Mox Gilimere in Africa fugato, Carthago, duce Beliſario, recepta anno 95. poſtquam à Genſerico adempta Romanis fuerat, Vandalorumque in illa Orbis parte Imperio finis impoſitus eſt, ann. C. 533. quo ipſo Synodo II. Aurelianenſi, in Galliis habitâ, Injurioſus Epiſc. Turon. contra Clotharium R. Eccleſiæ jura acriter defendit. Triumphato dein Gilimere, Juſtinianus Africæ res non magis civiles, quàm ſacras, cum zelo ordinavit, Mauros religione Chriſtianâ imbuit, Arianos adhuc ſuperſtites, quà poſſe exſtirpavit, gratiisque Deo pro victoriâ ſolenniter actis, etiam partem ejus B. Virginis interceſſioni ac precibus acceptam tulit, V. *Præfationem* Codicis: quæ opinio de interceſſione ac meritis SS. orta poſt tempora Synodi Nicenæ, quantum differat ab invocatione eorum, per preces ac litanias ad ipſosmet directas, poſtmodum excogitatâ, docet le Sueur *ad ann. C.* 534. Poſt quæ, quæſtione, *an Unus è Trinitate crucifixus ſit*, ab Acœmetis Mon. denuo motâ, miſſisque ea de re ab illis Cyro & Eulogio ad Johannem, Juſtinianus literis ad eundem datis ei, ut cujus operâ ac favore contra Gothos Italiâ mox pellendos uſurus erat, inſigniter abblanditus, literas *Sanctiſſimo Iohanni Archiep. & Patriarchæ Eccleſiæ urbis Romæ* inſcripſit illasque ſic orſus eſt: *Honorans Sedem Apoſtolicam*, & paulò

& paulò pòſt : *Semper nobis fuit magnum ſtudium unitatem veſtræ Apoſtolicæ ſedis & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nullâ intercedente contrarietate. Ideoque omnes ſacerdotes univerſi Orientalis tractus & ſubjicere & unire ſedi veſtræ Sanctitatis properavimus*, &c. Extant illæ in Cod. *l.* 1. *t.* 1. *de S. Trin.* ſi modò germana eſt epiſtola, quod pluribus argumentis negat, Jac. Lectius *in Præſcriptionibus Theolog.* Addidit Confeſſionem Fidei ſuæ ſimulque calices aureos argenteosque pro Baſilica S. Petri aliaque munera ampliſſima, Johanni miſit. Eodem fere tempore Edicto, quod Epiphanio Patr. CP. inſcripſit, contra Neſtorianos, Eutychianos & Apollinariſtas, publicato, eadem ferme, quæ literis ad Johannem, complexus eſt. Et quidem, uti Eccleſiam Rom. epiſtolâ ad Johannem, ſic Eccleſiam CP. *Caput omnium Eccleſiarum*, *l.* 16. *Cod. de Sacroſ. Eccl.* & *l.* 2. 16. definivit, tum Zeno etiam repetiit, ut inde judicare proclive ſit, ibi Occidentales, hic Orientales Eccleſias intelligi. Tituli certè, quibus Epiphanium inſignit, ampliores, ut quem Beatiſſimum *Archiepiſcopum Vrbis Imperialis & Patriarcham Oecumenicum* appellat. Reſpondit Johannes, ex conſilio Synodi hanc in rem coactæ, damnare ſe Acœmitarum Neſtorianorum loquendi modum, adeoque, aſſerere ſe, (*h*) contra quàm Hormiſdam feciſſe vidimus, *Vnum ex Trinitate crucifixum eſſe*, ſimulque venerationem Juſtiniani, erga Sedem Rom. utpote caput & matrem omnium Eccleſiarum, *juxta regulam Patrum & Conſtitutiones Principum*, multis prædicavit. V. *Epiſtolam* ejus *in Bibl. P. Tom. IV.* Quæ dum Romæ fiunt, Ferrandus Diaconus Carthagin. Fulgentii diſcipulus, ad

literas Anatolii Diaconi Rom. ſuper eadem re ad ſe ſcriptas, admitti poſſe hanc phraſin, *Unum ex Trinitate paſſum eſſe*, ſi addatur, *quoad carnem*, ſicque ad ſecundam perſonam reſtringatur, ingenioſè reſpondit. Circa idem fere tempus Synodo in Galliis præſide Cæſario Arelat. habitâ, Contumelioſus Epiſc. Rheg. ob vitia depoſitus, ac ſententia à Johanne Papa confirmata eſt, monente inſuper Galliæ Præſules, ut Epiſcopos Presbyteroſque vitiis illigatos, inprimis *ſi uxoribus cohabitent*, loco moveant, juxta Canones Synodorum, eam in rem olim congregatarum. Nihilominus ad Agapetum, Johannis ſucceſſorem, provocavit Contumelioſus, &, ut cauſa denuo cognoſceretur, effecit. Interea Athalarico mortuo, ſucceſſit Theodahatus, qui Amalasventam ſtrangulari curavit, ann. C. 534. præf. cujus indignam cædem vindicaturus Imperator, inter alia pietatis & charitatis opera, (*i*) Eccleſiam Rom. & CP. æquali 100. annorum præſcriptione muneratus eſt, Clerum dein magnæ Baſilicæ CP. diſtinxit, ac Mundum cum Beliſario Duces exercitus contra Gothos deſtinavit, ann. C. 535. in cujus initio, Januario jam menſe, obiit Johannes, poſtquam Sedem tenuiſſet annos 3. dieſque aliquot. Ordinavit XV. Presbyteros, & XXI. Epiſcopos: *Epiſtolam* verò, quæ ejus nomine ad Valerium Epiſc. ſcripta dicitur, manifeſtè ſuppoſitam eſſe ab Iſidoro Mercatore, docent Eruditi. Plura apud Alciatum *Parerg. l. 4. c. 23.* Cujacium *Obſerv. l. 12. c. 26.* Anaſtaſium, cœteroſque qui *Pontificum geſta* expoſuere, *in Illo.* (*k*) Ejus tempore, Marcellinus Com. finiit *Chronicon* ſuum, ann. C. 534. de quo V. Caſſiodorum *Lect. Div. c. 17.*

XXVI.

XXVI. AGAPETUS (*l*) I.

Presbytero (m) *genitus* (n) *ſuccedo*, *Dioſcorus* (o) *à me*
Solvitur, *à Domino* (p) *credita juſſa fero*:
At fruſtra (q): *à magno monitus mox Caſare ſacra*
Ordino (r), *& bis factus mortuus* (s) *aſtra peto* (t).

ENARRATIO.

(*l*) ROmanus, (*m*) Gordiano Presb. genitus, Johanni II. (*n*) paulò pòſt ſucceſſit, literis mox ſalutatus, die 12. Mart. ſcriptis, à Juſtiniano Imp. cui, ut Cyrus cum Monachis ſuis acœmetis communione excluderetur, petenti annuit. At iteratis, ut Ariani Epiſcopi ad Eccleſiam reverſi gradum ſuum retinerent, roganti, aſſenſus non eſt, utpote Decretis Patrum & conſuetudine Eccleſiæ refragante. Quod etiam Agapetus Patribus Synodi Carthagine CCXVII. Epiſc. celebratæ, ſub finem Epiſcopatûs Johannis II. ad quem ſuper Lapſis epiſtolam direxerant, reſpondit. Circa quod tempus Claromonte quoque in Gallia, permiſſu Theodeberti Auſtraſiæ R. Synodus coiit XV. Epiſc. quâ inter alia cautum, *ne ad Pontificatum* (i. Epiſcopatum) *quisquam, niſi vitâ ac meritis probatus, liberisque populi ſuffragiis, perveniat*. Item, *ut Presbyteri ac Diaconi, qui poſt ordinationem uxoribus ſuis cohabitârint, deponantur, utpote Sacerdotii honorem inceſtûs quadam ſpecie violantes*,

N 5 anno

anno C. 535. (o) De Dioſcoro, ab Agapeto, excommunicationis vinculis ſoluto, jam diximus, *in Bonifacio II.* At, occupatâ à Beliſario Siciliâ, Theodahatus ſibi timens, (p) Agapetum poſt iſta, quà promiſſis quà minis permotum, CPolim Legatum ire juſſit, cum Imperatore de pace acturum, (q) Vid. infrà: à quo is honorificè exceptus, (r) Anthimum Patr. causâ ejus ſuo arbitrio ab Imperatore, Clero ipſoque Anthimo permiſsâ, damnavit, eique, rogatu Juſtiniani, Menam ſeu Mennam Abbatem magni Monaſterii CP. ſubſtituit, atque ea de re Præſules Orientis pro more certiores reddidit. Dein ab Epiſcopis ac Abbatibus orthodoxis, qui in urbe tum erant, compellatus, ut Severum Antioch. Petrum diſcipulum ejus, Zoaram porrò & Iſacum Perſas Hæreticos, excommunicatos declarare, operamque inſuper dare, ut Anthimus Sede quoque Trapezuntinâ moveretur, velit, annuit, niſi à criminibus ſibi impactis ſe Anthimus purgaret. Ulteriùs eum proceſſiſſe & Theodoram ipſam Imperatricem communione excluſiſſe Victor Tun. ſed. is ſolus, refert. Cœterùm, pro Theodahato, cujus miſſu venerat, nihil obtinuit Agapetus, (s) brevi pòſt CPoli extinctus, cujus corpus Romam translatum, ac menſe Sept. magnificè tumulatum eſt, ann. C. 536. ſedis circiter 1. ann. cum dim. Juſtiniani 9. Ordinavit IV. Diaconos & XI. Epiſcopos; cumque eruditorum virorum copia non eſſet, de publicis Scholis conſilium propoſuiſſe, ſed, ingruente bello, non auditus fuiſſe dicitur. V. Nicephorum *l. 17. c. 9.* Anaſtaſium Bibl. alioſque Pontificiæ Hiſtoriæ conditores: è quibus tamen Anaſtaſius, circa adventum illius CPolim, & quæ ibi acta, ſæpius impingit, uti ex Procopio, Liberato, & Au-

& Auctore Anonymo, cujus Baronius meminit, diſcimus. (t) Eo Roman. Eccleſiæ Epiſcopo, *CPoli*, Epiphanio defuncto, Theodoræ Aug. quæ Eutychianis favebat, ope ſubſtitutus Anthimus, Hæreticus occultus, ann. C. 535. re poſtmodum detectâ, pulſus primùm ſede CPolitana, ſuſpenſus dein ab Epiſcopatu Trapezuntino, utrumque vivo adhuc Agapeto, tandem & hoc, Synodo à Menna, qui ei ſucceſſerat, habitâ, motus eſt, ann. C. 536. *Alexandriæ*, Timotheum extinctum excepit Theodoſius itidem Eutychianus, Theodorâ ſatagente, cui Gajanus à populo & Monachis oppoſitus, ſed & is ab hæreſi non immunis: hinc in *Gajanitas* & *Theodoſianos* Eccleſia diviſa. Quorum illi, *Incorruptibiles* & *Phantaſtici*, quòd corpus Chriſti ſtatim ab unione incorruptibile fuiſſe aſſererent, Leontio & Euthymio refutati: hi *Corruptibiles*, ſ. *Corrupticolæ* dicti ſunt. Effecit autem Theodoſius, gratiâ Theodoræ ſuffultus, ut Gajanus paulò pòſt pelleretur, ann. C. 535. *Antiochiæ* Ephremus, & *Hieroſolymis* Petrus adhuc præerant. Sub Juſtiniano Imp. quæ Eccleſiæ facies, ex præcedd. videre eſt. Hæretici, præter jam dictos, memorandi veniunt, Agnoetæ, ex Eutychianis illi, qui occaſione loci Matthæi *c.13.v.32*. Chriſtũ quædam *ignoràſſe* aſſerebant, quibus ſe Theodoſiani oppoſuerunt: præter quos, & Gajanitas, Concilii Chalcedon. hoſtes, in Themiſtianos quoq;, & poſtmodum Jacobitas ac Barſanitas, omnes *Acephalorum* nomine, quòd, dum tot capitibus ſubeſſent, *caput non tenerent*, comprehenſi, abivere. Sed & Philoponus, dum contra Severum & Proclum Philoſophum Platon. Chriſtianos adortum, egregiè rem gerit, in alium errorem lapſus, *tres Perſonas aſſerendo, tres quoque Deos eſſe*, ſtatuit, & *animas*

ultimo die nova corpora accepturas deliravit, quam hæreſin Sociniani temporibus patrum noſtrorum ex orco revocavere; V. Joh. le Sueur *ad ann. C. 535. & 536.* quo Synodo CP. ſub Mennâ coactâ, Severus Antioch. Petrum Apameenſem & Zoaram inſuper damnatos memorat, &c.

XXVII. SYLVERIUS (*u*).

Filius Hormisdæ (x), *ſedem ſum à Principe* (y) *juſſus*
Scandere (z), *ſed Vigilî* (a) *fraudibus inde fugor* (b).
E Lycia (c) *nova tempeſtas* (d) *mihi oborta reverſo eſt,*
Exilium hîc rurſus (e), *mors mihi dira* (f) *fames* (g).

ENARRATIO.

(*u*) E Campania; (*x*) legitimus Hormisdæ Pontificis, de quo ſuprà, filius, binis circiter poſt Agapetum menſibus, auctoritate potiùs (*y*) Theodahati Italiæ R. quàm liberis Cleri ſuffragiis, adeoq; *ſine deliberatione Decreti*, ut Anaſtaſius ait, (*z*) in Agapeti locum ſuffectus eſt, ann. C. 536. Juſtiniani I. Imp. 9. cui (*a*) mox ſe Vigilius, cujus jam in *Bonifacio II.* mentionem fecimus, oppoſuit: qui, inſtigatu, pecuniâ & literis ad Beliſarium, Imperatricis Theodoræ, cui ſe Eutychianum fore promiſerat, inſtructus in Italiam

Italiam venit, Sylverium deturbaturus: dum Theodahatus ipſe, expugnatâ à Beliſario Neapoli, occiſus à ſuis eſt Ravennæ, & conſobrinæ Amalaſventæ pœnas illati exitii dedit. Et quidem Gothi Vitigem illius in locum Regem creârunt, ſed Beliſarius invitatus à civibus Romam obtinuit, muroſque Urbis inſtauravit: cujus viri virtutem admirati Italiæ populi, certatim in Juſtiniani ditionem tranſierunt, Procopius *de bello Goth. l.* 1. & Evagrius *l.* 4. *c.* 19. quod factum anno eod. 536. Vitiges, Francorum pactus amicitias, obſidione mox Romam cinxit: quâ durante Theodora Sylverium CPolim invitat, aut ſaltem Anthimum reſtituat, petit. Quod cùm ille recuſaret, (*b*) mittit Auguſta ad Beliſarium, Vigilium, *duo centenaria auri* Beliſario pollicitum, ut Sylverio amoto Vigilium in ſede reponeret. Beliſarius Sylverium, à Marco Scholaſtico & Juliano prætoriano proditionis cum Gothis inſimulatum, ad ſe acceſſit, cumque ipſe tandem eum cogitâſſe ſcelus credere non poſſet, ut ſaltem rejiceret Concilium Chalcedon. & cum Hæreticis communicaret, petit. Quod cùm ille magno animo rejiceret, atque aliquot poſt dies, invitatu Beliſarii, ad eum ſolus, poſt ardentes ad Deum preces, cui cauſam ſuam uni commendabat, reverſus eſſet, à ſuis porrò viſus non eſt, teſte Liberato. Anaſtaſius verò, eum à Subdiacono in quoddam cubiculum deductum, ibique veſtibus ſuis exutum, atque in Monachum verſum eſſe, tradit. Alio itaque die, Vigilium Synodo ſuo juſſu coactâ eligi curavit Beliſarius, & Sylverium (*c*) Pataram Lyciæ relegavit: cujus cauſam cùm loci Epiſcopus Juſtiniano accuratè commendâſſet, effecit ut ille in Italiam remitteretur. Verùm (*d*) mox Vigilio, qui negaverat, illo

illo reſtituto promiſſa Beliſario præſt[illegible]e ſe poſſe, in manus traditus, atque ab eo (*e*) in Palmariam inſ. relegatus eſt. Mox literis ad Eutychianorum præcipuos datis, eandem cum illis fidem tenere ſemperque tenuiſſe ſe teſtatus Vigilius, rogavit ſaltem, ut iſta clam haberentur. Confeſſionem ſimul ſuam ad eos miſit, cujus hic tenor: *Duas in Ieſu Chriſto naturas eſſe non agnoſco, ſed unum ſolum Filium, unum ſolum Chriſtum & unum ſolum Dominum, conflatum ex duabus naturis: ac contrarium ſentientibus anathema dico*, apud Liberatum Archidiac. Carthagin. *Breviario* c. 21. & Anaſtaſium *Pontific.* Inde Eutherio, Episc. Hiſpano, ad varia quæſita reſpondit, quæ ille Sylverio propoſuerat: ubi inter alia, Petrum appellatum eſſe *Cepham*, quòd is *Caput eſſet omnium Apoſtolorum*, eum docet, ann. C. 537. quo ipſo fundamenta templi S. Sophiæ, quinquennio poſtquam arſerat, denuo poſita, d. 23. Febr. narrat Cedrenus. Soluta poſthæc Romæ obſidio, at Mediolanum à Gothis, quibus Theodebertus Metenſium Rex ſubſidio venerat, expugnatum, Dacio Epiſc. CPolim profugo: tantaque exſtitit per Italiam fames, culturâ agrorum neglectâ, ut ſolo Piceno 50. m. hominum periiſſe, narret Procopius. In Gallia verò, Synodus Aureliani III. Lupo Epiſc. Lugd. præſide habita eſt, permiſſu Regis Childeberti, Papâ non conſulto, quod tam in nationalibus, quàm provincialibus, tum Synodis ſolenne: in ea tum de aliis, tum *de conjugio ac cœlibatu Clericorum* actum, ut apud Sirmondum & Petavium videre eſt, ann. C. 538. Pelagius dein, Vigilii apud Imperatorem Nuntius, cùm in Palæſtina fortè eſſet, ubi Paulum Alexandrinum condemnaverat, à Monachis contra Origeniſtas incitatus, operam dedit CPolim redux, ut ex

ut ex Synodi ſententia denuo damnaretur Origenes, ac ſectatoribus ejus anathema diceretur: occaſionem hanc Vigilio avidè arripiente, ut Theodorum Cæſar. qui hactenus Origenem tuebatur, & apud Auguſtum gratiâ florebat, gradu moveret. Hæc origo litis *Trium Capitulorum*, de qua in ſeqq. plura: V. Joh. le Sueur *ad ann. C. 539.* Tandem Sylverius, in Vigilii vinculis, (*f*) *defecit inediâ*, d. 20. Jun. ann. C. 540. ſedis exiliique anno circiter 4. Juſtiniani I. Imp. ann. 13. Ordinavit XV. Presbyteros, V. Diaconos & XIX. Epiſcopos. *Epiſtolæ*, quæ ei tribuuntur, *ad Vigilium* una, quâ ei delicta ſua exprobrat: altera, quâ *Amatori Epiſc. Auguſtodun.* pro συμπαθείᾳ & argentario ſibi ſubſidio miſſo gratias agit; ſuppoſititiæ ſunt, docente Blondello, & ante eum, ex parte, Baronio: plura apud Anaſtaſium, Platinam, aliosque *in eo.* (*g*) Dum verò ille ſic jactatur, *CPoli* Menna adhuc præfuit: *Alexandriæ*, Theodoſii ſucceſſor Paulus, ut diximus, à Pelagio Vigilii Legato damnatus eſt, anno C. 539. *Hieroſolymis*, Petro Macarius ſucceſſit, quem, quaſi Origeniſmi reum, Monachi Schiſmatis illius unici auctores pepulerunt, anno C. 539. de quibus aliisque huc pertinentibus, Vid. Joh. le Sueur. *in. Hiſtoria Eccleſ.* ubi de *Sylverio.*

XXVIII.

XXVIII. VIGILIUS (*h*).

Hæreſis (i), *ambitio* (*k*), *cædes* (l), *in pectore vulpes* (m)
Haud una, haud unus Proteus (n), *una lues* (o).
Omnia ſi juncta hæc poterunt abſolvere Sanctum (p),
Sanctior hoc certè præſule nullus erit (q).

Enarratio.

(*h*) ROmanus gente, jam à Bonifacio II. ſedi deſtinatus, ut vidimus, Sylverio in carcere fame necato, eam hoc vivo raptam inſeſſamque porrò tenuit: (*i*) in Eutychianam hæreſin, juxta promiſſum, quo ſibi à Theodora dignitatem pactus fuerat, pronus; (*k*) ambitione turgens; (*l*) cæde deceſſoris aliorumque infamis; (*m*) fraudibus coopertus; (*n*) in fide & vita varius; aliiſque (*o*) criminibus illigatus, uti eum deſcribit Card. Baronius *in Annalibus Eccl,* & ſic *ex Lupo & Antichriſto* Eccleſiæ Rom. Paſtor, ut idem ait; quem tamen, poſt obitum Sylverii, pœnitentiâ prioris vitæ ductum ſeipſum aliquod ad tempus depoſuiſſe, dein canonicè electum, longè à ſeipſo abiiſſe, talemque factum, ut (*p*) Sanctorum in numerum referri fuerit meritus, addit; cui quàm lubentes fidem commodaremus, modò idoneo iſta teſte dicerentur, neque ſequentia ei multùm derogarent. Sexto itaque ſtatim, poſt extinctum Sylverium, die; qui erat

erat 26. Jun. anni C. 540. Beliſario ac Senatu annitente, in ſede confirmatus, paulo pòſt pravi regiminis & homicidii à Romanis poſtulatus eſt, teſte Anaſtaſio Bibl. Quo tempore Ephrem ſeu Ephraimus Patr. Antiochenus, Coſroë I. Perſarum R. vaſtante Syriam, ipſamque Antiochiam regionis caput, ut majus urbis Templum ac vicina loca ab igne conſervaret, illud undique ſacris exornavit monumentis, ſicque lytro hoc ab hoſtium violentia redemit. Thomas item Apameæ Epiſc. magnanimo reſponſo eundem Coſroëm à mœnibus ſuis avertit, uti narrat Evagrius *Hiſtor. l. 4. c. 24.* & 25. ubi *de S. Cruce*, quam Apameenſes apud ſe adſervari credebant, aſt alii Hieroſolymis ivere aſſertum, quædam addit. V. Joh. le Sueur *ad ann. præf.* Poſt quæ Juſtinianus edidit *Novellam 124.* Epiſcopos & Clerum ſpectantem: quorum illi quòd auctoritate ſuâ abuterentur non rarò, Lege latâ Magiſtratibus eorum cauſas cognoſcendi facultatem dedit, &, poſt appellationem ad Præfectos, ad ſuum tribunal iri juſſit. Urbem dein natalem, exigui antea in Bulgaria nominis, quam magnificè ornaverat auxeratque, &, *Iuſtinianea* nomine inſignitam, Archiepiſcopi atque Exarchi ſedem in poſterum eſſe voluerat, Vigilii hanc in rem conſenſu, quem Agapetus, poſt factum de ea monitus, negaverat, impetrato: die 18. Martii *Conſtitutione* hac de re factâ Sedi Rom. ſubjecit, ann. C. 541. Feſtumque *Purificationis B. Virginis* toto orbe celebrari juſſit d. 2. Febr. quo prius *Feſtum Hypapantes* agitari ſolebat, anno C. 542. In Italia, poſt Vitigem, Theudibaldus, Araricus, Baduilla cogn. *Totilas*, præfuere Gothorum rebus: quorum ultimus Neapolim cepit, ann. C. 543. ingreſſusque urbem, præſidium

præſidium benignè dimiſit & incolas magnâ curâ refocillavit, tantâ militaris diſciplinæ obſervantiâ, ut ſtupratorem virginis, licèt ſanguine ſibi junctum, morte afficeret, ejusque omnia bona daret vim paſſæ: quibus artibus cùm pleraque amiſſa recepiſſet, Juſtinianus revocatum è Perſia Beliſarium rurſus mittit in Italiam, ann. C. 544. ſed exiguo rerum profectu, quòd veterani aut dilapſi, aut contumaces, qui remanſerant, eſſent, nec novi facilè comparari poſſent, ann. C. 545. Sequutæ in Oriente *ob Tria Capitula* turbæ, prioribus, de quibus ſuprà, longè acriores. Sic autem dicebantur ſcripta Theodori Mopsveſteni, Neſtorii præceptoris habiti, Theodoreti hujus auditoris, & Ibæ Edeſſæ Epiſc. Maris Perſæ Hæretici fautoris, qui tamen Synodo Chalcedonenſi omnes probati, aut in ſedes ſuas reſtituti fuerant, poſtquam jam tum de eorum ſcriptis, quæ ſibi favere Neſtoriani jactaverant, controverſia exorta eſſet, illi verò Neſtorio & Eutycheti anathema dixiſſent. Hæc itaque ſcripta cùm Edicto publico condemnaret Imperator velletque ei Epiſcopos omnes ſubſcribere, reſtiterunt acriter non pauci, jam mortuos non eſſe anathematizandos damnandosque dicentes: inter quos Stephanus Apocriſiarius Vigilii & Dacius Epiſc. Mediol. Ipſe Menna diu obnixus eſt, nec reliqui Patriarchæ, niſi minis tandem adacti, Juſtiniano morem geſſerunt. Dum in Italia, Totilas urbem Romam, Arianorum expulſione inde paulo antè à Johanne urbis præfecto factâ irritatus, obſidione cinxit: Pelagio Diacono, qui induciarum causâ ad illum à populo Rom. ablegatus erat, re infectâ remiſſo, ann. C. 546. Fame tandem domitam, atque à quatuor Iſauris proditam, ingreſſus, eidem

Pelagio,

Pelagio, pro incolarum vita ſupplicanti, annuit, urbem tamen militibus diripiendam tradidit: mox Pelagio cum literis ad Juſtinianum miſſo amicitiam ejus & pacem ambivit, quâ non obtentâ iratus murorum partem diruit, ab excidio tamen abſtinens, quòd ille, *ne vel victor propria, vel victus diceretur aliena perdidiſſe*, à Beliſario fuiſſet monitus. Sic tum quidem Pelagii Diac. pietate ac Beliſarii monitu, antea quoque Benedicti Mon. precibus delinitus Totilas, iram remiſit, Deoque victoriam hanc, non Gothicæ virtuti, adſcripſit. At brevi à Beliſario Roma recepta. Imperator verò, Conſtitutioni ſuæ contra Tria Capitula acriter inſiſtens, Epiſcopos ut ſubſcriberent omni ratione adducere perrexit. Quo fine Vigilium, ut ejus exemplum cœteri faciliùs ſequerentur, Conſtantinopolim evocare ſtatuit. Acceſſere Romanorum de illo querelæ, & indignatio Theodoræ Aug. quæ ab illo promiſſa fruſtra repetebat. Videns enim Vigilius, totum Clerum ſuum ac Diœceſanos omnes, Eutychianos Severianosque toto pectore execrari, ne illorum gratiâ excideret, publicè Eutychianos damnavit, neque in Anthimi reſtitutionem, quod maximè Auguſta avebat, conſentire ampliùs voluit. Quare Theodora illi per Anthemium ſibi à Secretis manus injici, & Româ abduci, inter diras populi mala omnia Præſuli ſuo ominantis, CPolim curavit, uti apud Anaſtaſium Bibl. legimus. Dum verò in itinere eſt Vigilius, è Sicilia Valentinum Epiſc. & Ampliatum Presb. Romam remiſit, qui Cleri curam haberent. Ibidem literas accepit, ab Epiſcopis Africæ, Illyrici & Sardiniæ, quibus, ne ſubſcriberet Juſtiniani Edicto, monebant: inter quas Pontiani, Epiſcopi, Afri,

Aſri, ſapienter & eruditè ſcriptæ, eximiæ fuere. Quare obniti Edicto Vigilius ſibi omni ratione propoſuit, ann. C. 547. CPolim inde ut venit, ab Imperatore primò honorificè exceptus, at, poſtquam Theodoræ Anthimi reſtitutionem urgenti non ex voto reſpondiſſet, exprobrata illi cædes deceſſoris Sylverii, ejus quem à Secretis habuerat, & nepotis ex ſorore, ſimulque is injecto cervici fune per urbem ad veſperam uſque raptatus eſt, eodem Anaſtaſio teſte. Addit Nicephorus, Vigilium de rigore ſuo ne ſic quidem remittentem, excommunicâſſe inſuper Mennam & viciſſim ab illo excommunicatum eſſe, *l. 17. c. 26.* Gregorius I. etiam Theodoræ, cum Severo Acephaliſque omnibus, anathema dixiſſe, adjicit, ſed ſilentibus de hac re Hiſtoricis. Hoc certum, paulo poſt Vigilii adventum, Cæſarem acriter apud eum, ut Conſtitutioni ſuæ ſubſcriberet, inſtitiſſe, illum verò diſertè ſe id facturum negâſſe, inſuper ejecit in Mennam, omneſque qui ſignaverant Epiſcopos, anathematis fulmen ſtrinxiſſe. Sed quinque pòſt menſibus Synodo LXVI. Epiſcop. juſſu Imp. CPoli convocatâ, condemnationi III. Capitulorum aſſenſit, hac lege, *ut auctoritati Chalcedonenſis Synodi nihil inde præjudicii crearetur*: quæ ipſiſſima erat Mennæ, cæterorumque Epiſc. quos Vigilius paulò antè excommunicaverat, ſententia. Unde Vigilium, velut prævaricatorem, Epiſcopi Africæ, Dalmatiæ & Illyrici, etiam in Italia & Gallia non pauci, averſati, non ſolùm à communione illius receſſerunt, ſed etiam ſcriptis factum ejus improbârunt refutaruntque, quos inter Facundus Epiſc. Hermian. in Africa, qui præfatæ Synodo intererat, XII. libris Juſtiniano inſcriptis III. Capitula doctè & ingenioſè defendit,

alioque

alioque c. Morian: m, Vigilii fraudes arteſque perſequutus eſt: qui, poſtquam ad hoc uſque ſeculum in Bibliotheca Vaticana delituiſſent, nunc demum eruditi Sirmondi Jeſ. operâ in lucem producti ſunt. V. Joh. le Sueur ad *ann. C. 548.* Ipſi è Vigilii Diaconis, Stephanus (al. Sebaſtianus) & Ruſticus, agnatus illius, contra ipſum inſurgentes, quidquid Subdiaconorum, Defenſorum & Notariorum ſecum Vigilius habebat, in partes ſuas pertracto, literis in Occidentem & Auſtrum miſſis, Vigilium deſertæ in gratiam Imperatoris Conc. Chalcedonenſis cauſæ accusârunt: ſimulque Victor Epiſc. Tun. & Liberatus Diac. Carthagin. III. Capitulorum cauſam tutati ſunt, ſtylo nec Vigilio, nec Juſtiniano parcente. Quò etiam referas Synodum V. Aurelianis, juſſu Childeberti R. coactam, anno C. 549. quo ipſo Theodora, tot turbarum promacunda, deceſſit. Sed nec appendix Vigilii placebat Imperatori, qui mox novo Edicto Tria Capitula condemnavit, graves pœnas ſubſcribere recuſantibus interminatus, impulſu maximè Cæſareenſis Epiſc. Theodori; quod cùm Vigilius iviſſet impeditum, indignationem Imperatoris acriùs accendit. Circa quæ tempora iteratâ Iſaurorum proditione, Roma denuo in Totilæ manus pervenit, ann. C. 550. Dum verò apud Vigilium Imperator inſtare non ceſſat, ut III. Capitula, non expectato Concilio Oecum. ad quod ille provocaverat, ſine clauſula damnaret, Vigilius vim timens in Baſilicam S. Petri confugit, ibique XIII. Epiſcopis in Synodum coactis, Theodorum Cæſar. Mennam Patr. cœteroſque, qui illis adhærebant, communione denuo indignos ſtatuit, d. 14. Aug. inde domum ſuam reverſus, cùm alapæ ictu & homicidæ convicio

convicio à quodam exceptus eſſet, noctu urbe profugus Chalcedonem ſe recepit, & in S. Euphemiæ æde aſylum quæſivit, anno C. 551. Ibi publicatâ, quam hactenus clam habuerat, Synodi ſuæ ſententiâ, in propoſito perſtitit, donec Imperator Edicto abolito, nihil hac in re uſque ad Concilium proximè habendum ſe immutaturum, pollicitus eſt. Sic CPolim reverſus Vigilius, cum adverſariis in gratiam rediit, paxque Eccleſiæ reddita eſt, d. 21. Jun. qua de re V. Sigonium *l. 20.* qui à Juſtiniano in gratiam receptum Vigilium, & Nicephorum Call. qui Mennam, audito ſe à Vigilio excommunicatum, illum viciſſim communione excluſiſſe, memorat, *l. 7. c. 26.* Quæ dum CPoli fiunt, Narſes pro Beliſario Italis dux ab Imperatore miſſus, contra Totilam res gerere egregiè cœpit, ann. C. 552. occiſoque Totila, cui Tejas ſuffectus, cepit Romam. Inſtare verò ut Concilium vidit Vigilius, illud primò in Sicilia, quò commodiùs Occidui Præſules venire poſſent, agi petiit: quod cùm Juſtiniano non placeret, rogavit ſaltem, ut Italiæ Africæque Epiſcopi ad illud quoque invitarentur, quod admiſit Imperator, ſic tamen ut numerus eorum Orientales non excederet. Scriptum dein ſuum de III. Capitulis, & aliud continens 66. articulos, erroribus refertos & ex Theodori Mopsveſteni libris excerptos, ad Vigilium miſit Imp. ejuſque ſententiam ſuper utroque expetiit, qui, valetudinem cauſatus, 20. dierum moram rogavit, impetravitque. Interea coiit *Concilium V. Oecum.* CLXV. Epiſcoporum, CPoli II. Imperatoris juſſu & invitatu, d. 4. Mai, quo Eutychio Patr. CP. qui paulò ante Mennam exceperat, præſide, damnati ſunt Theodorus Mopsveſt. Theodoretus Cyr. & Ibas præfati: Origeniſtæ item,

item, Didymus atque Evagrius: qui *animas ante corpora exſtitiſſe, ſuppliciorum infernalium finem fore, dæmones priſtinam recuperaturos felicitatem*, & alia id genus plura, fabulabantur: ſimul priorum IV. Conciliorum Fides ſtabilita eſt. Vigilius, etiamſi ſcripto interveniente conſentiret, *aſſidere tamen illi in Synodo noluit, ſed altiore collocari throno*, quod antea Johanni II. Theodorici R. Legato, datum noverat. Itaque *conſeſſu abſtinuit, prodito nimis arrogantiæ ſpiritu, qui quidem nimiùm jam Romanos Præſules cæperat agitare*, Joh. Cluverus ex Nicephoro *l. 17. c. 6.* & 27. Die dein 13. Mart. Imperatori ad quæſita reſpondens, errores, ex Theodoreti libris depromtos, refutavit, cœterùm Theodorum, Theodoretū & Ibam, utpote nec Concilio Epheſ. nec Chalced. damnatos, anathemati ſe ſubjicere poſſe, negavit; addens, *anathematizare mortuos* Eccleſiam R. neutiquam ſolere: ſimul ut nemo Conſtitutioni ſuæ refragari auſit, ſub finem hortatus. Verùm, eo invito, perrexere Patres, &, uti dictum, præfatos Epiſcopos condemnârunt: unde Schiſma ortum, quod per 100. annos perſeveravit, magnâ Epiſcoporū parte ſententiam Concilii averſante, & Synodo Aquilejæ coactâ velut erroneam rejiciente quoq; ac condemnante, Liberat. *c. ult.* Hinc in Epiſcopos hosce Vigiliū inprimis, Iuſtiniani rigor, quos ille in exiliū pepulit, an. C. 553. Quo audito Clerus Rom. apud Narſetem, Gothorum victorem, pro Vigilio intercedens, ut libertati reſtitueretur, obtinuit quidem, ſed eâ lege, ut Concilio ſubſcriberet. Quare is ab exilio, cùm Concilium illud, Epiſtolâ ad Eutychium Patr. C P. exaratâ (& non ita pridem ex *MS.* veteri, unà cum Petri de Marca *ad eam Animadverſionibus*, à Steph. Baluzio editâ) approbare ſe confiteretur, 6. poſt finem Concilii menſe, revocatus eſt,

teſte

teſte Evagrio, Photio, Zonarâ, Cedreno & Nicephoro. Secuti exemplum, qui cum ipſo erant, Africæ & Illyrici Præſulum multi: Iſtriæ verò Epiſcopi in defenſione III. Capitulorum perſeverârunt, uſque ad tempora Honorii I. Interea CPolis, Aſia & Ægyptus, immani terræ motu, per 40. dies tremuerunt, ann. C. 554. quo ipſo Tejas, ultimus Gothorum R. occubuit. Poſt quem reliquiis quoque gentis deletis aut pulſis, Roma Italiaque ad Juſtiniani Imperium redière, & Gothorum ſimul in illa dominationi, ac Arianiſmo finis impoſitus eſt. Quo tempore, *Conſtitutione* Imperatoriâ, circa electionem Pontificum, factâ, cautum eſſe, *ut Papa, à Clero, Senatu Populoque pro more electus, in poſterum non niſi Imperatoris aſſenſu exorato ac certa pecuniæ ſummâ à novo Pontifice Imperatori perſolutâ, conſecraretur ac ordinaretur*, refert Onufrius *Chron.* qui id juris Benedicto II. ab Imp. remiſſum, ab Hadriano verò I. Carolo M. reſtitutũ, ſubjungit. V. quæ de Odoacro ſuprà diximus, *in Simplicio.* At Vigilius, dum libertate impetratâ domuitionem parat, Syracuſis calculi defecit dolore m. Jan. ann. C. 555. Juſtiniani I. Imp. 28. ſedis circiter ann. 15. *Inde*, verba ſunt Cl. Heideggeri, *Aquilejenſis, Mediolanenſis, Ravennenſis, aliique tractuum eorum Epiſcopi, ſeſe auctoritati Eccleſiæ Rom. cujus propemodum conclamatæ tum res erant, ſubtraxerunt, Synodum etiam CP. ejurantes. Quos Pelagius I. per Narſetem & Pelagius II. per Smaragdum Exarchum in ordinem redigere nequicquam laborârunt, Eccl. Rom. Periodo II.* qua de re infrà paſſim. Ordinavit autem Vigilius binis vicibus, XLVI. Presbyteros, XVI. Diaconos & LXXI. Epiſcopos, ac Monaſterium Montis maj. à Childeberto R. extructum, privilegiis quibuſdam

inſtruxit,

inſtruxit, Gregorius M. *l. 7. Epiſt. 115.* plura apud Liberatum *Breviar.* Aimoinum *de Geſtis Franc. l. 2. c. 17.* & 32. Albonem Floriac. Anaſtaſium, Ciaconium aliosque in *Sylverio* & *Vigilio.* (*q*) Eo Rom. Eccleſiam adminiſtrante, *CPoli,* Mennam defunctum excepit Eutychius, ann. Ch. 553. In Eccleſ. *Alexandrina,* Zoilo Pauli ſucceſſori, poſtquam præfuiſſet annos 7. ſurrogatus eſt Apollinaris, qui Concilio præfato Oecum. interfuit, anno d. *Antiochiæ* ſ. Theopoli, poſt Ephraimum, Domnus præfuit, ejusdem Concilii pars. *Hieroſolymis,* poſt Macarium, Euſtochius circa ann. Ch. 552. qui Legatos ſuos ad Concilium miſit, ann. C. 553. quo Patriarchæ Hieroſolymitano metropoles, *Cæſarea Palæſtinæ* & *Scythopolis,* quæ hactenus Antiocheno Patr. & *Berytia* ac *Rubenſis* in Syria, quæ Alexandrino hucusque ſuberant, ſunt ſubjectæ: cùm à Nicænæ Synodi tempore Hieroſolyma quidem Metropolis eſſet, ſed ſuffraganeis deſtituta. Præter hos floruit, Juſtus Urgellenſis Epiſc. in Hiſpania, circa ann. C. 543. Cerbonius in Tuſcia Epiſc. quem immiſſo urſo terrere nequicquam Totilas conatus eſt, ann. C. 546. jamque ſuprà memoratus Facundus, è cujus *libro 9. c. ult.* veteris Eccleſiæ *de S. Eucharistia* fidem liquidò diſcimus: Primalius it. Uticenſis & Junilius Epiſc. circa ann. C. 553. David verò ſeu Adad Axumitarum Indorum R. Homeritarum victor, ex voto Chriſtianiſmum ſuſcepit, Epiſcopumque CPoli petivit, cum quo Monachi in Indiam profecti ann. C. 541. Armenii dein converſi, novem æram inceperunt d. 9. Jun. ann. Ch. 552. De ſtatu Eccleſiæ ſub Juſtiniano Imper. dictum: ejus anno Imp. 14. *extremum Romæ Conſulatum* Fl. Baſilius ſine collega geſſit, ann. Chr. 541.

V. Procopium *de Bello Gothor. l. 3.* De Hæreticis itidem diximus. Cœterùm Auxanius, qui Cæſario Arelatenſi ſucceſſit, *S. Euchariſtiæ uſum abſolutè ad ſalutem neceſſarium, adeóque illam infantibus quoque adminiſtrandam eſſe*, docuit, adſtipulante Ferrando Diac. Fulgentii diſcipulo, de quibus V. le Sueur *ad ann. C. 543.* uti *de more Paſchatis diem per Epiſcopum feſto Epiphaniæ indicandi*, Concilio IV. Aurel. inſtituto, *ad ann. C. 546.* de *titulis honoribusque nimiis Impp. primùm, non Gentilibus ſolùm, ſed & Chriſtianis, tribui ſolitis: poſteaque, imminutá illorum in Italia potentiá, ad Pontifices Rom. devolutis*, *ad ann. C. 549.* & 550. *de reliquiis S. Cœnæ infantibus dari ſolitis in Eccleſia CP. ad ann. C. 552.* aliisque eruditè agit, *in Vigilio.*

XXIX. PELAGIUS (r) I.

Me ſedi imponit Cæſar (ſ), *me Presbyter* (t) *ungit,*
Mi ſe apices (u) *Latii ſubdere poſſe negant.*
Narſetem imploro, fruſtra aſt (x) : *Aquileïa* (y) *ſurgit,*
Præficiturque illi nunc Patriarcha (z) *caput* (a).

ENARRATIO.

(r) ROmâ itidem oriundus, Archidiaconus Vigilii, quem magnis jam rebus adhibitum ſuprà vidimus, vivo adhuc Vigilio, juxta nonnullos, cathedram conſcendit. Certè, Romanis Epiſcopum ſuum per Narſetem ab exilio repetentibus, optionem

nem dediſſe (ſ) Juſtinianum, recipere ne Vigilium, an vice ejus Pelagium habere Præſulem, mallent, Anaſtaſius Bibl. adnotat, V. Joh. le Sueur *ad ann. C.554*. Operam is dedit, ut Vigilii corpus Romam delatum in Æde S. Marcelli ſolitâ pompâ tumularetur. Verùm ut Romam pervenit, Clero Populoque Vigilii proditi atque hinc mortis ejus procuratæ ſuſpectus, neminem Epiſcopum Romæ nanciſci potuit, à quo ordinaretur, (t) Presbyterum hinc quendam, Andream nomine, Oſtiâ accerſere coactus, *à quo conſecratum eſſe, quod hactenus nunquam factum fuerit*, ait Baronius. Poſt conſecrationem, ut juxta Vigilii conſtitutionem reciperetur Concilium V. Oecum. operam ſtatim dedit, ſed reſtiterunt Epiſcopi, quòd nec illi interfuerint, nec de iis, quæ ibi acta, plenè informati ſint, prætexentes. Imò ſuſpicionem mortis Vigilii promotæ palàm teſtati, eò adegerunt Pelagium, ut juramento, per ſancta Evangelia in æde divi Petri, quò à Narſete magna cum pompa deductus erat, concepto publicè purgare ſe habuerit neceſſe. Quo facto, Narſetis favore, & Imperatoris, cujus unius auctoritate, abſque Cleri populique ſuffragiis liberis, Præſulatum nactus fuerat, gratiâ ſubnixus, apud Occidentis Epiſcopos Concilii ſubſcriptionem acriter urſit. (u) Perſtiterunt tamen in ſententia Ligures, Veneti, Iſtrii, Tuſci, Hiſpani, ac per Longobardiam, Franciam, Hiſpaniam, varii Epiſcopi, quorum omnis ſcrupulus in damnatione Theod. Mopsveſteni, jam demortui, ac Synodo Chalcedon. abſoluti, verſabatur. Inprimis Ligures, Veneti ac Iſtrii, in Synodum Aquilejæ (cui interfuere inter alios Macedonius, moxque hoc mortuo Paulinus, loci Epiſcopi, Honoratus Mediolan. & Maximianus

Ravennæ Præſules) coacti, Concilium V. unanimi conſenſu rejecerunt, ſicque à Pelagio & Eccleſia Rom. ſeceſſionem fecerunt, teſte Sigonio *de Imp. Occid. l. 20.* Pelagius Patrum hoc facto offenſus (x) Narſetis imploravit auxilium, cumque hic vim adhibere conſultum non judicaret, iteratis cum literis urſit, ut Præſulum horum præcipuos ad Imperatorem vinctos mitteret, in cœteros rigore Legum uteretur. Nominatim in Paulinum & Honoratum invectus, quaſi hic illum contra Leges, utpote *non expectato Principis conſenſu*, ordinâſſet. Ad quæ quid reſponderit Narſes, non liquet: illud verò, (y) quòd Archiepiſcopus Aquilejæ in dignitate ſua manſerit, ſucceſſoresque ejus, per 100. annos, ad Sergium uſque I. eandem retinuerint. Adde quòd Veneti Iſtriiq; Epiſcopi, (z) *Patriarchæ* nomine Aquilejenſem Præſulem ſibi præpoſuerint caput, qui, nequicquam obnitente Papâ, illum apicem tenuit, uti docet Baronius *ad ann. C. 570. art. 11.* Circa quæ tempora, mortuo Theobaldo Auſtraſiæ R., inter patruos ejus Clotarium & Childebertum ingens de hæreditate contentio exarſit, ann. C. 555. Poſt quæ Judæi & Samaritani, ſeditione Cæſareæ Palæſt. excitatâ, in Chriſtianos cædibus, ac Templa eorum vaſtatione, atrociter graſſati, pauloque pòſt, per Adamantium, ab Imperatore coërciti ſunt. In Italia verò manſit Schiſma etiam inter Epiſcopos Romæ maximè vicinos, ut ex Pelagii literis ad *Gaudentium, Maximilianum, Gerontium, Juſtum, Terentium, Vitalem & Laurentium, fratres dilectos, qui ſunt in Tuſcia annonaria*, perſpicuum eſt: in quibus acerbè queritur, quòd divortium à ſe fecerint, neque nominis ſui ampliùs in Sacris faciant mentionem, ac ſimul Fidei ſuæ Confeſſionem illis exhibet.

Quod

Quod &, Childeberti R. Pariſior. rogatu circa eadem tempora fecit, additis ad eum literis, quibus S. Scripturam imperare Epiſcopis, *ut Regibus ac Magiſtratibus ſe ſubjiciant*, agnoſcit, ann. Ch. 556. quo ipſo Pallium ac Vicariatum Apoſtolicum Sapaudo Epiſc. Arelatenſi contuliſſe dicitur. Habitâ deinde Pariſienſi Synodo III. inter alia ſtatutum, ut in poſterum Epiſcopi, *more priſco, Cleri populique ſuffragiis, non mero Principis juſſu*, eligerentur, atque à Metropolitano ordinarentur: quod Regio quoque Edicto confirmatum eſt. Terræ poſt hæc motu vaſtatæ ſunt ambæ Urbes Regiæ, Roma & CPolis, ut apud Agathiam videre eſt *l.4.* Juſtinianus autem admirabile Sophiæ (Æterni Sapientia indigitabatur) Templum, de novo molitus eſt, cujus deſcriptionem, *Menſa* inprimis *Sacra*, habes apud Cedrenum. Eodem tempore Monachi duo telam ſericam texere, allatis ex India (quò ad Axumitarum R. iverant, ut ſuprà *in Vigilio* viſum) bombycibus monſtrataque vermium generatione, Romanos docuere, ignorantes hactenus *vermium telam eſſe, quâ tantum hæc mortalitas inſoleſcat*, Nicephorus *l.17. c.32.* dum in Colchide Juſtinus egregiè rem gerens ad pacem Perſas adegit, ann. C. 557. Sequuta peſtis, immenſam CPoli vim hominum rapuit. Juſtinianus proin, poſito diademate, pecunias ſpectaculis impendi ſolitas in egenos erogari, maſculæque Veneris reos genitalibus puniri mandavit, teſtatus etiam ſacrilegis manus abſcindi, quibus facinus patrare ſolent. Quorum criminum complures tum Epiſcopi rei meritas pœnas dedere, ann. Chr. 558. Zabergæ dein, Hunnos in Cherſoneſum & Thraciam immiſſuro, oppoſuit Beliſarium jam ſenem & incurvum, qui etiam tum ſtrenuè hoſtes repulit:

ſuitque aliquandiu in Oriente ac Occidente quies. Quo tempore deceſſit Pelagius, d. 5. Mart. ann. C. 559. ſedis circiter ann. 4. an 5. ut illi habent, qui ſuperſtiti Vigilio jam ſucceſſiſſe dicunt. Ordinavit binis vicibus XXVI. Presbyteros, IX. Diaconos & XLIX. Epiſcopos, affecit Baſilicam S. Jacobi & S. Philippi Apoſtol. quam Succeſſori perficiendam reliquit, & ſcripſit *Epiſtolas* varias, zelum pro Sede ſua ubique ſpirantes: plura apud Anaſtaſium, Platinam, Alios. (*a*) Eo ſedente, *Hieroſolymis*, quam Eccleſiam, *utpote Orbis primam*, Concilio V. Occum. ingenti acceſſione auctam diximus, præeſſe cœpit Johannes II. Niceph. Calliſto teſte, &c.

XXX. JOHANNES (b) III.

Italiæ inſtantem potis haud arcere procellam,
Narſetem (c) *ah! vanâ voce rogâſſe gemo.*
Affectas abſolvo ædes (d) *monumentaque quondam*
Inclyta Martyribus (e) *rurſus adorno pius* (f).

ENARRATIO.

(*b*) ROmanus, cogn. *Catellinus*, fil. Anaſtaſii viri primarii, ſucceſſit Pelagio, ordinatus d. 20. MaI ann. C. 559. Juſtiniani I. Imp. 32. Sub cujus initia, ob rumorem de morte Imperatoris ſparſum, ſeditio CPli orta, teſte Cedreno, ann. C. 560. dein conjuratio, contra eundem, jam ſenem & auctoritate minùs validum, auctoribus Ablavio, Marcello & Sergio, proceribus Romanis inita ſimul ac detecta eſt.

eſt: & Beliſarius, vir plenus gloriæ, ad extremum invidiæ, excellentes ſemper viros comitari aſſuetæ, dentibus appetitus, quaſi conjurationis ejus particeps, carceris ſubiit moleſtias, ann. C. 561. ſed, re ad liquidum exploratà, reſtitutus eſt in integrum, d. 29. Mart. ann. C. 562. incolumemque ſepulchro gloriam intulit, aut potiùs immortalem ad Superos ſubvexit, anno ſequ. quo Juſtinianus, à Theodoro Cæſar. ſeductus, in Severitarum opinionem, quâ *carnem Domini immortalem & paſſionum expertem, ex quo adſumpta fuit,* docebatur, incidit. In quam cùm publico Edicto omnes ſecum adductos vellet, Orientis inprimis Epiſcopos, atque horum Patriarcham Anaſtaſium adortus eſt, ſed fruſtra, viro hoc eruditione pariter ſacrâ ac ſanctitate inclyto conſtantiſſimè renitente, & miſſis quaquaverſum per Diœceſin literis ſuos præmonente ac in Fide confirmante, teſte Cedreno, qui immani circa hæc incendio CPoli oborto magnam urbis partem in favillas ſediſſe addit. Eodem verò anno Theodemirus Suevorum in Hiſpania R. Arianiſmo abjecto ſanam doctrinam amplexus, Synodo Bracaræ, Gallæciæ metropoli, convocatâ, Priſcillianiſtas denuo condemnavit, & circa diſciplinam Eccl. varia conſtituit, anno ſc. 563. Poſt quæ Imperator, ſententiæ ſuæ pertinaciter inhærens, cùm Eutychii Patr. CP. conſtantiam non magis labefactare poſſet, illum primò Chalcedonem relegavit, Synodo dein CP. coactâ Epiſcoporum errorem ſuum ſectantium, eum deponi curavit, ſubſtituto Johanne Scholaſtico, Eccleſiæ Antioch. Apocriſiario, *homine planè ſervo gloriæ & nundinatore rerum ſacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus eſt dignitatem*, ut quidem Baronius eum deſcribit ad

ann. Chr. 564. n. 14. Cujus Synodi Patres cùm excommunicâſſet Eutychius, inde Apameam deductus ibique Monaſterio, quod ipſemet fundaverat, incluſus eſt: conſtantiâ ſuâ maximæ Præſulum parti, ut Imperatorio Edicto fortiter obniterentur, auctor, donec elapſis 12. annis libertati ac Sedi redditus eſt. Similem verò rigorem dum in Anaſtaſium Patr. Antioch. præfatum meditatur Juſtinianus, obiit d. 13. Nov. expletis potentiæ annis 38. m. 3. d. 10. ſucceſſore Juſtino II. ſeu Jun. qui ut primùm Imperio potitus eſt, quidquid Epiſcoporum CPoli erat, in ſuam quemque diœceſin dimiſit ac gregem ſuum fideliter paſcere juſſit. Circa quæ tempora Italia & Gallia peſte, quam *inguinariam* dixere, maximopere fuit afflicta, & non paucis in locis planè incolis denudata, ann. C. 565. In Gallia inde, cùm Emeritus, Clotarii ope, contra *Can.* Synodi Pariſienſis, cujus paulò antè meminimus, invito & Metropolitano & Clero, ad Santonenſem Epiſcopatum, eſſet evectus, in eo à Chariberto, poſt Clotarii patris obitum, vi magnâ, contra Synodum Santon. præſide Leontio Burdigal. habitam, defenſus eſt. Victor verò Tun. in exilio *Chronicon* ſuum perduxit, uſque ad ann. C. 566. Interea Juſtinus Imper. Conſularem dignitatem, ab avunculo abolitam, ut diximus *in Vigilio*, Romanis redditurus, ſeipſum Conſulem fecit, ſed ad breve tempus manſit id gaudium populo, dignitate paulò poſt iſta æternæ oblivionis caligine ſepultâ. Et quia orthodoxæ doctrinæ tenax erat, ad illam publico Edicto omnes invitavit, quod legere eſt apud Evagrium *l. 5. cap. 4.* ac miſſo Alexandriam Photino, Beliſarii privigno, diſſidia illius Eccleſiæ tollere eſt conatus. Verùm alio Edicto, quo divortiorum

tiorum licentiam conceſſit, & legis Juſtinianeæ de illicitis matrimoniis abrogatione, bonos offendit: circa eadem tempora, Avarum & Turcarum legationibus excultus, anno C. præf. Sequuta in Galliis Synodus II. Lugdun. quâ Salonius Vapincenſis & Sagittarius Ebrodunenſis Epiſcopi, ob mores & vim Sacrorum miniſtris illatam, depoſiti, ad Papam, permiſſu Guntrami R. provocârunt, qui, more Deceſſorum, occaſione hac avidè arreptâ, illos ſedibus ſuis, Guntramo conſentiente, reſtituit, ſed malo illorum, ut qui, ob atrociora prioribus crimina, duodecennio pòſt, Synodo Cabillonenſi denuo removeri neceſſe habuerunt. Succeſſit Synodus Turonenſis, cujus *Canon* 12. Epiſcopis rationem cum uxoribus ſuis converſandi præſcribit: & 13. *ut Epiſcopum, Epiſcopam non habentem, nulla ſequatur turba mulierum*, præcipit. *Canones* verò 11. & 14. incommoda Cœlibatus, quem quidem *can.* 15. ſancit, ſatis clarè indigitant. Circa quæ tempora Radegondis Regina, Clotarii R. uxor, primum in Gallia Virginum monaſterium erexit, Pictavii: cùm à ſeculo quidem jam tertio, votum caſtitatis à Virginibus factum, ſed apud Parentes manentibus, ex Tertulliano & præcipuè Cypriano, diſcamus, quales fuerè Paula & Euſtochium, ſcriptis Hieronymi celebres; jam verò Monaſteriis includi cœperunt Seculo VI. qua de re V. Joh. le Sueur *ad ann. C.* 567. Cœterùm Juſtinus Narſetem, liberatorem Italiæ, à Romanis accuſatum, quòd tetrior ipſe dominus, quàm Gothi, foret, exauctoravit, ſubmiſſo in locum ejus Longino, qui primus Ravennæ *Exarchus* dictus eſt. Auctâ verbis ignominiâ, Sophia Aug. Narſen, ut eunuchum, ad penſum in gynæceo abſolvendum, revocare auſa eſt. Qua ille irritatus contumeliâ,

Alboinum Langobardorum R. è Pannonia, ubi aliquanto antè ſedes gens ceperat, in Italiam pellexit, qui mox eò *cum omnibus Langobardorum familiis commigravit*, ac Aquilejam, Paulino inde cum vaſis ſacris in inſulam propinquam, incolisque in inſulas Venetiis vicinas, profugis, anno C. 568. inde ulteriùs progreſſus, Tarviſium, Vincentiam, Veronam, aliaque facilè, Longino copiis impare & proin contrà ire non auſo, occupavit: dum aliâ parte Bulgari in Thraciam irrupere, Tiberii virtute repreſſi: & in Africa Iſmaël, Imperatori rebellis, copias ejus delevit, anno C. 569. Pergens poſt hæc Alboinus, Liguriam intravit, captoque Mediolano Rex Italiæ à ſuis proclamatus, *Longobardiæ regnum* iis in locis orſus eſt, d. 5. Sept. oppidisque *Ducum* plerunque nomine præfectos dedit. Juſtinus contrà, receptis in fidem Armeniæ maj. Iberiæque incolis, Perſicam ſolvit pacem, ann. C. 570. In Gallæcia, Ariamirus Rex Suevorum orthodoxus, irruptione in Bituricenſem Galliæ agrum vicinasque regiones factâ, ibi aliquandiu dominatus eſt, anno C. 571. Synodis dein aliquot Bracaræ alibiq; celebratis, Fidem ſtabilivit: Erat tum Bracaræ Epiſcopus, Martinus, celebris *Canonum* collector, & Suevorum in Hiſpania, qui priùs Ariani fuerant, Apoſtolus, de quo V. Gerh. von Maſtricht *Hiſtoriâ Iuris Eccl. num.* 171. & *ſeqq.* Circa quod tempus, Sigibertus Auſtraſiæ R. ab Hunnis ſuperatus, & anguſtiis locorum clauſus, poſtquam magnâ vi auri inde ſe extricâſſet, Arelatum cepit mox à Guntramo Aurelian. R. per. Celſum Patricium receptum. Interea dum Johannes III. (c) poſtquam nihil non egiſſet, ut, Narſete Neapoli Romam revocato, Langobardos procul averteret, deceſſit, d. 13. Jul. anno Chr. 572. ſedis.

circiter

circiter anno 13. Juſtini II. anno 7. nullâ præterea re, niſi (*d*) Baſilicâ Jacobi & Philippi Apoſtolor. quam Pelagius inchoaverat, ad umbilicum perductâ, in quo magna tum pietatis pars ponebatur, (*e*) Cœmeteriis item Martyrum reparatis, & binis vicibus creatis XXXVIII. Presbyteris, XV. Diaconis & LXI. Epiſcopis, memorabilis. Quod enim *Epiſtolam* de Chorepiſcopis agentem & ad omnes Germaniæ Galliæque Præſules ejus nomine directam ſpectat, ſuppoſititiam eſſe Baronius aliiq; docent: quemadmodum & illam, ad Edaldum Archiep. Vienn. quâ ei Pallium ſe deſtinâſſe, & de crinibus Pauli Apoſt. munus ipſi mittere, Eccleſiæ illi ſolatio futurum, ſignificat, ſuſpectam Eruditi habent, V. Joh. le Sueur *ad an. præf.* Illum tamen cum Pelagio decessore è Græco, *Vitas Patrum deſerti*, tranſtuliſſe volunt Photius *Bibl.* 198. Sigebertus *in Catal. c.* 117. & 118. Voſſius *de Hiſtoricis Lat.* Alii: plura apud Papyrium Maſſon. Platinam, Chenium. Alios, in *Vitis Pontificum*, (*f*) Eo ſedente, CPoli, Eutychio pulſo, ut diximus, Johannes Scholaſticus ſucceſſit, anno Chr. 564. auctor *Collectionis Canonum*, cui primus Canones Apoſtolicos ſic dictos inſeruit, & *Nomocanonis*, de quibus vide præf. von Maſtricht *d. l. n.* 166. & *ſeqq.* In Eccl. *Alexandrina*, Apollinaris adhuc præfuit. *Antiochiæ* Domno ſeu Domnino Jun. qui Concilio V. interfuerat, ut vidimus, ſucceſſit Anaſtaſius Sinaita, ann. Ch. 561. quem Juſtiniano hæreſin Aphthardocitarum introducere ſatagenti liberè contradixiſſe memorat Evagrius *l.* 4. *c.* 39. V. ſuprà. A Juſtino dein, in calumniatores ejus facili nimis, pulſus eſt, ſuffecto Gregorio Abbat. Montis Sinai, ann. Ch. 572. donec 23. pòſt annis in Sedem rediit, ut videbimus.

In Eccleſ. Arelatenſi, Honoratum Fronto excepit, anno eod. Præter quos clari fuere Germanus Epiſc. Pariſ. Johannes Mon. montis Sinai, cogn. *Climax*, à libro, cui id nomen indidit, ann. C. 560. Licinus, ex Duce Andegav. Epiſcopus Andegavenſis, circa ann. C. 561. S. Gallus Epiſc. Claromont. in Gallia, ann. Ch. 563. Alii. Nec omittendi, Aur. Caſſiodorus, novi Computi ad diem Paſchatis & Indictionem inveniendam Auctor, jam ſuprà memoratus ob alia præclara, de quo V. le Sueur *ad ann. C. 562.* Procopius & Agathias Hiſtorici, huicque poſteriori memorati Philoſophi Ethnici, Damaſcius in Syria, Simplicius in Cilicia, Eulamius in Phrygia, Priſcianus in Lydia, Iſidorus Gazæ, Hermias & Diogenes in Phœnicia, qui omnes Coſ. ois gentisque Perſicæ famâ illecti in Orientem ſe contulerunt, ſed moribus illorum offenſi rediere ad ſua: porrò Procopius Gaz. de quibus idem *ad ann. Ch. 563.* &c. De ſtatu Eccleſiæ ſub Juſtiniano & Juſtino In pp. dictum: quorum poſteriori Armenios ob fidem ſub Perſis gravia paſſos, ſponte ſe ſubjeciſſe *ad ann.* quoque *C. 572.* idem adnotat. At in Gallia, Chramnus fil. Clotarii, in Dei Miniſtros ſævit, inde rebellis Patri, victusque, cum uxore & filiabus, in tuguriolo concrematus, ann. Ch. 560. De Hæreticis ſatis diximus: his verò gravior peſtis Mahometes natus eſt, d. 5. Maj, ann. C. 570. quo ipſo Donatus Mon. Afer, Maurorum rabiem fugiens, in Hiſpaniam trajecit, illique Monachatum primus intulit, teſte Vaſæo, præcedd. Viris claris adnumerandus. Plura apud Joh. le Sueur *in Johanne III.*

XXXI. BE-

XXXI. BENEDICTUS (g) I.

Bis quinos menſes (h) *vix tandem eluctor* (i) *in altum,*
Tanta ſedem iſtam ſcandere molis erat.
Diſſidium in Sacris (k) *doleo non tollere poſſe,*
Nec poſſe Italiæ regna (l) *quiete frui* (m).

ENARRATIO.

(g) Alii *Bonoſus*, (h) poſt 10. menſium ſeditioſam cathedram ambientium contentionem, (i) patriæ Eccleſiæ Epiſcopatum nactus eſt, menſe Martio ann. C. 573. Juſtini Jun. 8. quo tempore Ravennæ Paulino Patr. Probinus ſucceſſit, (k) qui deceſſoris veſtigiis inſiſtens, à Rom. Eccleſia ſeparatus manſit. (l) Alboinus verò Ticinum urbem toto triennio & ſex menſibus obſeſſam cepit tandem, regniq́ue ibi ſedem conſtituit: cui dein *Papiæ* nomen inditum, anno præf. Regnum inde ſuum in tres Ducatus diviſit, unum Foro-Julianum, in aditu Italiæ: alterum Spoleti, mediâ fere terrâ; tertium tandem Beneventi, ad inferiorem Italiam regendam. Sed paulò pòſt Roſimundæ, conjugis, quæ pudicitiæ pretio marito percuſſores emercata eſt, inſidiis, dum meridiano indulget ſomno, occubuit. Cum adultero dein Helmiche ad Longinum Exarchum profuga mulier, dum Longini ſperat nuptias, atque Helmichen veneno perimit, & ab illo viciſſim perimitur, ſponſo the-

ſauros relinquit, mox CPolim mittendos. Alboino Clephus, Langobardorū nobiliſſimus ſucceſſit: dum in Gallia Chilpericus Sueſſionum & Sigibertus Metenſium Reges armis inter ſe decertant, Mummolius vero Patricius Guntrami dux, Saxones, qui Alboinum ſecuti fuerant, in Provinciam illapſos, fortiter repellit, ann. Ch. 574. Poſt quæ Juſtinus, contra Perſas infelix, ſuperbiâ in mœrorem versâ nimium phrenitidem contraxit, è qua reſtitutus aliquantiſper, de conſilio Sophiæ Aug. quæ interea cum Perſis pacem dexterrimè pepigerat, Tiberium excubitorum Com. Cæſarem creavit egregiisque illum monitis inſtruxit, ut videre eſt apud Nicephorum *l.* 17. *c.* 37. 38. 39. In Italiá autem, Clephus, cùm ſeſquiannuo principatu multos Romanorum, potentiâ aut natalibus claros, gladio aut exiliis puniviſſet, ſervuli cujusdam ſui gladio jugulatur: quare Langobardi, ut quondam habuerant, Duces XXX. iterum pro Regibus ſibi creârunt. Hi non tantùm Italiam latè ſubegerunt, ſed & in Galliam excurrendo multas ei attulerunt clades, nec minoribus repulſi, virtute præſertim Mummolii præfati, cui Sagittarius Apinc. & Salonius Ebrodun. Epiſcopi (de quibus retro) in præliis ſtrenuam navârunt operam, decennium Remp. tenuere. Ipſa verò fratrum inter ſe Regum armis Gallia porrò colliſa multas clades ſenſit, ann. C. 575. Inter hos Sigeberti uxor Brunechildis, Athanagildi filia, à Chilperico capta, Rotomagum relegatur, ſed ibi Meroveo nepoti ſuo, Chilperici filio, nubit, Prætextato urbis Epiſcopo nuptias probante, atque inde Metas, ad Childebertum filium elabitur, ann. C. 576. Sequuta Merovei, ab Ægidio Remenſi Epiſc. proditi cædes: Prætextatique Concilio V. Pariſ. auctoritate Chilpe-

Chilperici coacto, condemnatio, & exilium. De die Paſchatis hinc difficultas oborta, cùm Novilunio incidente in Dominicam, d. 18. April. eodem die Galliæ Epiſcopi Paſcha celebrarent, Hiſpanis integrum menſem anticipantibus, qua de V. Gregorium Tur. *Hiſtor. l. 5. c. 17.* & 25. At Romæ, obdormivit Benedictus, d. ult. Julii, ann. C. 577. Sedis ann. 4. m. circiter 4. Juſtini Imp. ann. 12. Ordinavit XV. Presbyteros, III. Diaconos & XXI. Epiſcopos. Inter *Epiſtolas Decretales* una, ad Davidem Hiſpan. Epiſc. directa, in qua *de Trinitate* agitur, nomen ejus præfert, ſed ſuppoſititiam & illo auctore minimè dignam, oſtendunt Eruditi: plura apud Anaſtaſium Bibl. Platinam, Baleum, Alios, *in Eo.* (m) Dum verò is Romanam Eccleſiam gubernat, *Alexandrinæ* præfuit Johannes: *Hieroſolymis*, ejusdem nominis Patriarcha ſedit. In Eccleſia Turonenſi Galliæ, Euphronium Gregorius excepit, *Turonenſis* cognomine clarus, cujus hiſtoriam aliaque huc pertinentia, habes apud Joh. le Sueur *in Benedicto I.*

XXXII. PELAGIUS (n) II.

Poſt litem (o) *electus* (p), *coram me Caſare* (q) *purgo,*
Vim (r) *paro, ſi mihi quis moriger* (ſ) *eſſe negat.*
Obſequium rurſus ſponte induit Inſuber (t), *ægris* (u)
Sum largus, faſtum (x) *rideo, peſte* (y) *cado* (z).

ENAR-

ENARRATIO.

(*n*) ROmanus, Winigili, quod Gothicum nomen, filius, (*o*) poſt controverſiam de ſucceſſione trimeſtrem, (*p*) ſede potitus eſt, menſe Nov. anno Ch. 577. Juſtini II. 12. Antiſſiodori dein in Gallia, Synodo VII. Abbatum, XXXIV. Presbyterorum & III. Diaconorum, præſide Aunachario loci Epiſcopo, varia decreta: inter quæ *Strenæ diabolicæ vetitæ, Can. 1. vigiliæ feſtorum* ſublatæ, *Can. 3.* & 5. prohibitum Presbytero, *ne in conſecratione ſanguinis Domini quidquam præter vinum aquâ mixtum offerat, Can. 8.* fœminis item, *ne nudâ manu S. Euchariſtiam accipiant, Can. 36.* ſed *Dominicali,* h. e. linteo, *veſtitâ. Can. 37.* &c. Sequuta Juſtini Imp. mors, qui diademate Tiberio II. impoſito, d. 26. Septembr. novendio pòſt, non ſine planctu vitæ minùs ſapienter actæ, deceſſit. Tiberius conſpirationem contra ſe à Sophia Aug. quæ ejus nuptias fruſtra ſperaverat, initam, ignoſcendo ultus, Juſtiniano mox Duce Perſas potentiſſimè devicit, præclarâ ex hoſtibus prædâ & tantùm non ipſo Rege capto, ann. C. 578. qui proin rei malè geſtæ percuſſus dolore, ſenex admodum, brevi pòſt deceſſit, ſcriptâ lege, *Ne quis Rex Perſarum deinceps Romanis bellum faceret,* Evagrius *l. 5.* Princeps, omnium in Perſia Regum, à Cambyſis temporibus, fortiſſimus & per annos 48. regni ſui feliciſſimus, niſi quòd ſub finem fortuna ejus ad ſcopulum hæſit. V. quoque Agathiam *Hiſt. lib. 4.* Eodem ferè tempore, in Gallia, Synodo Cabillone Guntrami R. auctoritate convocatâ, Salonius ſeu Saloninus & Sagittarius Epiſcopi, jam ſuprà memorati in *Iohanne III.* & *Benedicto I.* ob vitam militarem magis, quàm Eccl. vitiaque

tiaque enormia ac læſæ inſuper Majeſtatis crimen, denuo damnati, & Monaſterio incluſi ſunt; è quibus tamen clauſtris poſtmodum rurſus elapſi, nihilo magis ad frugem redierunt. Synodo inde Santonenſi, Nantinus Com. Encoliſm. ob vim & cædes, communione excluſus, cùm cenſuram negligeret, paulò pòſt miſerrimè periit. Roma verò, à Langobardis Veroaldo Duci Spoleti junctis, arctè obſeſſa eſt, ann. C. 579. cujus incolæ, fame laborantes, cùm magno numero ad hoſtem deficerent, Imperator ab Ægypto ingentem frumenti copiam ſubmiſit, depulſaque inopiâ, obſidionem eluſit Barbarorum; dum in Francia, Fregedundis ex pellice uxor Chilperici, Clodoveum hujus ex priore conjuge filium, unà cum matre, occidit, ac Baſinam, ſororem ejus, Monaſterio incluſit, calumniis marito ſic excæcato, ut ad innocentis ſobolis exitium facilè conniveret, ann. C. 580. Neque verò hactenus ſaltem peccavit Chilpericus, ſed &, eruditionis gloriam affectans, edito libro, Sabellii hæreſin reducere conatus eſt, verùm à Gregorio Turon. ac Salvio Albienſi Epiſcopis monitus, eum paulò pòſt ſuppreſſit. Circa quæ tempora, Pelagius Gregorium, Monaſterii Roman. Abbatem ac Diaconum, CPolim miſit, apud Tiberium Apocriſiarii ſeu *Reſponſalis*, ut ipſe Gregorius vocem Latinè expreſſit, munere, pro more Patriarchis uſitato, functurum. Qui (*q*) primò Pelagii conſecrationem, inſcio Imperatore, in urbe obſeſſa factam, purgavit, *nihil enim tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, niſi ejus electionem Imperator approbaſſet*, Sigebertus *Chron.* V. quæ de Conſtitutione Odoacri, in *Simplicio*, & Juſtiniani I. Imper. in *Vigilio* diximus. Eutychium dein Patr. tractatu *de Reſurrectione corporum.*

porum compoſito, Origenica ſectantem deliria, ſaniorem ad ſententiam reduxit, ut ipſe de ſe ſcribit *Expoſ. Moral. in Iobum l. 14. c. 29.* Sed in genuinis Origenis ſcriptis nihil *de impalpabilitate corporum glorificatorum*, unde nec id Origeni ab Hieronymo objectum, & Eutychium orthodoxiæ ac ſanctitatis laude euſque claruiſſe, ut Eccleſia Græca Sanctorum eum numero adſcripſerit, obſervat eruditè Joh. le Sueur. Secutus Antiochiæ terræ motus, & ob Anatolium idololatram in eadem urbe, inde CPoli, ſeditio ingens, cui beſtiis illo demum objecto finis impoſitus eſt, Evagrius *Hiſt. Eccl. l. 5. c. 17.* & 18. In Hiſpania verò Leovigildus, Athanagildi fil. debellatis Suevis atque Toleti Gothorum regni ſede fixâ clarus, in ea urbe Synodo XIV. Epiſcoporum habitâ, Catholicos ad Arianos deficientes, non eſſe rebaptizandos, ſed manuum impoſitione ſolâ recipiendos, additâ formulâ, *Si dat gloriam Patri per Filium in Spiritu S.* decrevit, ann. C. 581. Sub quæ Tiberius Mauritium Cappadocem, cujus fortitudo & fides enituerat bello Perſico, CPolim reducem, Cæſarem creavit d. 10. Aug. & datâ ei Conſtantiâ fil. generum adſcivit Auguſtumque ac Imperatorem ſalutavit, d. 13. ejuſd. menſis, ſequ. die defunctus, V. Nicephorum Call. *Hiſtor. l. 28. c. 6.* & Paul. Diaconum *l. 17.* ubi, inter alia, egregia ad bene imperandum monita, quibus inſtruxit ſucceſſorem Tiberius. Ut verò Mauritius, cujus elogia habes apud Evagrium *l. 5. c. 19.* & *l. 6. c. 1.* thronum conſcendit, miſſo ad illum Legato Laurentio Diacono Cardin. Pelagius auſpicia Imperii felicia ei gratulatus eſt, ac Gregorium inde domum revocavit, qui Conſtantinopoli ſecum allatis brachio S. Andreæ & S. Lucæ capite, ut ipſe narrat, paulò pòſt

ſuos

ſuos *in Iobum Commentarios* Romæ abſolvit. At in Hiſpania Leovigildus, cùm Hermenigildo filio uxorem impetrâſſet Ingundem, Childeberto Auſtraſiæ R. genitam, illam primò ad Arianam labem ſeducere, mox eam, cum filio uxoris ope converſo, Catholicosque in ſuis ditionibus omnes acerrimè perſequi cœpit, inter quos non pauci, Presbyteri quoque nonnulli, ac ipſe Epiſc. Cæſar-Auguſtanus Vincentius, ſuppliciorum metu, à Fide deſciverunt, ann. Chr. 582. Filium dein, à ſuis deſertum, cùm nulla ratione ad Arianiſmum revocare poſſet, ſecuri ipſis in Paſchalibus feriis percuſſit, ut habet Gregorius Turon. an Valentiam relegavit, ut Iſidorus Hiſpal. *Chron.* ac perſecutione in rectè ſentientes inſtauratâ, Epiſcoporum non paucos exilio mulctavit. Quæ tamen citiùs facta haud ſine ratione videntur. Mox Andecane ultimo Suevorum in Hiſpania Rege capto ac in Monachum tonſo, gentem quoque illam, jam penitùs ſubactam, ad Arianiſmum amplectendum adegit, anno 170. à quo Suevorum illud regnum incepit, anno verò Chr. 583. quo ipſo, Longino Exarcho revocato, Smaragdum in Italiam Imperator miſit, qui, Veroaldo cæſo & Droctulfo in ſuas partes pertracto, res aliquanto in melius retulit. Guntramus verò ſævitiam Leovigildi in Hermenigildum, & Ingundem, quam in Africam relegaverat, ulturus, non ex voto rem geſſit, ann. Chr. 584. Felicior Pelagius, cui Laurentius Frontonis Epiſcop. Mediolanenſis ſucceſſor ſe denuo ſubmiſit, alioſque ut idem facerent Epiſcopos exemplo ſuo pertraxit anno eod. triceſimo circiter, à quo ab Eccl. Romana, propter Tria Capitula, fecerant ſeceſſionem, ut *in Pelagio I.* vidimus. In Gallia, poſt hæc, Prætextatus

Sedi

Sedi ſuæ reſtitutus juſſu Guntrami, ſed proxime Paſchatis die, percuſſore à Fregedunde immiſſo, in ipſo templo, trucidatus eſt, Gregorius Turon. *l.* 8. At Langobardi, poſt Ducum regimen, ultro ſibi Regem creârunt filium Clephi Autharit, augendæque dignitati *Flavium* cognominârunt, Romanorum id nobiliſſimum eſſe nomen edocti. Is, triginta Ducibus in ſua dignitate confirmatis, ad poſteros eam deferri permiſit hæreditariamque fecit, hac tamen lege, ut ſingulis bienniis dimidiam redituum partem ſibi largirentur, ut ſtatum ſuum novus Rex tueretur decentiùs. Leges dein egregias tulit, & paganiſmo deſerto Chriſtianam fidem amplexus eſt, ſed ab Epiſcopo Ariano tinctus, ac cum magna ſuorum parte eadem hæreſi imbutus, ann. C. 585. In eum Mauritius, conducto Childeberto Franco, ad ſummam ſanè rei profecit nihil, niſi quòd variis turbis Langobardiam implicuit. In Hiſpania autem, Leovigildus conſcientiâ preſſus, paulò ante mortem, Ricaredum fil. & ſucceſſorem, à perſecutione orthodoxorum dehortatus eſt: dum Philippicus, Mauritii dux & affinis, Perſas, quorum Rex Hormiſda, legem patris adſpernatus, bellum in Romanos nequaquam deponebat, vicit; quod ope imaginis Jeſu Chriſti, ad Abgarum olim ab ipſo miſſæ, *ἀχειροποιήτε*, *Eliſreſa* dictæ & à Philippico militibus oſtentatæ, factum ſcribunt Cedrenus, Nicephorus, Alii, ex Theophyl. Simocatta, memorato Photio *Bibl. cod.* 65. ſed, ut alia omittam, ſilet hac de re Evagrius temporis ejus ſcriptor ſatis diligens, neque imaginum, quæ jam tum, non alibi tantùm, ſed & in templis, ſatis erant frequentes, inimicus. In Galliâ, inquiſitione in Prætextati occiſores factâ, compertum, Fregedundem percuſſo-

rem

rem ſubornâſſe, Melantium verò Prætextati in Præſulatu ſucceſſorem cum pecuniâ inſtruxiſſe: manſit nihilominus hic in ſede ſua, cui aliquot pòſt annis Monachos, in Britanniam ituros, commendavit Gregorius I. Mox bellum atrox Guntramo Gundebaldus movit, Epiſcoporum complurium favore & opibus ſuffultus, ſed victor Guntramus, Epiſcopis veniam dedit, Sagittario excepto, qui dignas tandem rebellione criminibusque ſuis pœnas luit. Judæis verò, in publica lætitia, Synagogam ſuam reparandi facultatem petentibus non adnuit. Habita inde, Guntrami & Childeberti auctoritate ac conventione, Matiſcone Synodus XLIII. Epiſc. cujus 1. *Canone, Dominicæ diei ſanctificatio* ſeverè injuncta eſt. 4. *Canon*, Euchariſtiæ adminiſtrationem, *pane & vino peragi, omnibus, qui præſentes erant, communicantibus, ſolitam,* diſertè inculcat. 5. *Canone,* ut *reliquiæ S. Euchariſtiæ infantibus comedendæ præbeantur, vino intinctæ*, jubetur. 8. *Ædibus ſacris aſyli jus tribuitur.* 9. *Epiſcopi à Iudice ſeculari eximuntur*: præcipiturque, ut, ſi quis ab illorum aliquo ſe gravatum ſentiat, adeat *Metropolitam: ab hoc ad arbitrium duorum vel trium Præſulum, tandem ad Synodum, eatur.* 15. *Canibus venaticis* interdicit Epiſcopis, &c. anno C. 586. Sub quæ, Remigio Biturigum Præſule defuncto, cùm varii pecuniæ ſat magnam vim Guntramo offerrent, is nefas hoc abominatus, Sulpitium, doctrinâ ac eloquentiâ ſui ſeculi facilè principem, poëſi non minùs clarum ac natalibus & dignitate illuſtrem, licèt Sacris ſolenni ritu nondum initiatum, illi Eccleſiæ præfecit. Urbs verò Pariſiorum horribili incendio conflagravit: dum in Hiſpania Ricaredus à Leandro Hiſpalenſi Epiſc. (qui CPoli, cùm Legatus Hermenigildi eſſet, Gregorio

Gregorio in Jobum ſcribendi auctor fuerat, catholicâ fide imbutus, Arianam in Hiſpania luem diſcuſſit, ac *Catholici* obtinuit nomen, bello juxtà ac pace inclytus. Interea Schiſma, Trium Capitulorum occaſione ortum, inter Iſtriæ inprimis Epiſcopos, Eliam Aquilejæ Patr. ſequutos, atque Papam, durabat adhuc, quare Pelagius acribus primùm eos literis aggreſſus, (*r*) mox vi utendum ratus, exemplo cognominis Papæ, per Smaragdum Exarchum eos in ordinem redigere conſtituit. Et quidem Smaragdus, cum valida manu Gradum delatus, (*ſ*) Eliæ ſucceſſorem Severum cum tribus aliis Iſtriæ Epiſcopis, ex ſacra æde vi extraxit & Ravennam perductos, unà cum hujus urbis Præſule, atrocibus minis ad palinodiam adegit. Sed *res nova & peſſimi exempli*, ut Sigonius ait, diſplicuit bonis, tantumque invidiæ Johanni Ravenn. & Smaragdo conciliavit, ut Mauritius Imp. rei indignitate commotus, huncce Exarchatu movere decreverit, ann. Ch. 587. Nec ſic ceſſavit Schiſma, ut enim Severus Aquilejam rediit, ab Epiſcopis ſuæ diœceſeos, ac Clero, admiſſus non eſt priùs, quàm ſanctè juraret, quòd Ravennæ cum Hæreticis communicâſſet, vi miniſque ut faceret, coactum fuiſſe, cœterùm nunquam ſibi in animo fuiſſe hactenus, nec in poſterum fore, ut vel latum unguem à Synodo Chalcedonenſi recederet. In quâ ſententia XI. alii Epiſcopi, qui tum præſentes erant, fuere. Poſt quæ Childebertus, Mauritii rogatu, tertiâ vice cum exercitu Italiam ingreſſus, magnam cladem ab Autharito accepit, qui victoriâ inflatus, & Smaragdo remoto, cui Romanus ſucceſſerat, audacior factus, reliquum quoque Italiæ ſibi ſubjicere conſtituit. Eodem tempore, Gregorius Patr. Antiochenus, qui

odio

odio Aſterii Præf. Orientis, hincque calumniis impetitus, *ad Imperatorem & Concilium appellatione factâ* CPolim venerat, anno præterito, Synodo à Johanne Patr. convocatâ abſolutus eſt. Pelagius duplici nomine graviter commotus, quòd Gregorius ſe ſubmiſiſſet judicio Synodi, cui præſediſſet Patr. CPol. neque ad ſuum tribunal provocâſſet; quòdq; in Synodi Actis Johanni *Epiſcopi Oecumenici* titulus tributus eſſet, literis ad Synodi Patres datis, irritam illam Synodum pronuntiat, atq; in Johannem invectus, alludendo ad locum *2. Theſſ. c. 2. v. 4. Quia enim*, ait, *juxtà eſt ille, de quo ſcriptum eſt: Ille eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ, quod non ſine gravi dolore dicere compellor, dum frater & Coëpiſcopus noſter Iohannes mandata Dominica & Apoſtolica præcepta, regulasque Patrum deſpiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine* putà Antichriſtum. Subjungit alteram rationem, *quòd ex ea, quam prætendebat, humilitate, univerſa ſibi tentet adſcribere, quæ ſoli uni capiti cohærent, nempe Chriſto*, &c. Johannem inſuper *diſtrictiſſimâ*, uti Gregorius ſucceſſor Pelagii loquitur *l. 7. Epiſt. 69. increpatione* admonet, *ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis* nomine cohibeat: qua de lite plura infrà in *Gregorio I.* Pelagii verò *ad univerſ. Epiſc. Epiſt.* 1. habes apud Gratianum *Diſtinct. 99. cap. nullus. 4.* Ut verò Antiochiam rediit Gregorius, mox terræ motu horribili iterum urbs, ipſo nuptiarum Evagrii die, quaſſata ſexaginta m. civium perdidit: Gregorius verò, collapſo poſt ejus egreſſum ſtatim tecto, in quo morabatur, divino favore ſervatus eſt, die 29. Septembris. Vid. Evagrium *l. 6. c.* 8. & *ſeqq.* adde Nicephorum *l. 18.* Idem dein Præſul, exercitu Romano multa inſolenter patrante, multis tandem precibus magnaq; eloquen-

eloquentiâ, captato inſuper Paſſionis tempore, obtinuit, ut Mauritio parceret, ac Philippicum, quem aſpernatus erat, Ducem ſuſciperet: qui validis in Mediam Perſiamque expeditionibus rem Romanam feliciter geſſit, ann. Ch. 588. Sequuta Beneventi in Italia expugnatio, quam in Ducatum evexit Autharit: ingens aquarum diluvium & Romæ etiam muros ſupergreſſum, magno dracone per urbem mediam in mare deſcendente; ſecutaque hinc peſtis ingens, ann. Chr. 589. quâ ipſe Pelagius abreptus, obiit d. 8. Febr. ann. C. 590. Sedis an. 12. m. circiter 3. Mauritii Imper. ann. 8. (*t*) Præſule Mediol. ad obſequium reducto, (*u*) charitate in pauperes exercitâ, Baſilicâ S. Vincentii exſtructâ, (*x*) faſtuque titulorum calcato, clarus: ſed (*y*) communi cum grege Paſter lue peremptus. Binis vicibus, quod Decembri fieri ſolitum menſe, ordinavit LXXXII. Presbyteros, LXVIII. Diaconos & XLVIII. Epiſcopos, in Diœceſeos ſuæ, Italiam, Siciliam, Iſtriamque complexæ, uſus. V. P. Diaconum, Sigonium, Gregorium Tur. *l. 10. c. 1.* Gregorium I. *Dial. l. 3. c. 19.* & *l. 4. c. 36.* Luithprandum, Platinam cæteroſque, qui *Pontificum Vitas* publico dedere, Phil. Mornæum *Myſter. Iniqu.* Alios. (*z*) Illo ſedente, *CPoli*, extincto Johanne Antioch. Eutychius ſedi à Juſtino Imp. redditus eſt, ann. C. 577. cui defuncto ſucceſſit Johannes, à jejuniis crebris Νηστευτὴς, i. *Iejunatoris* cognomen nactus, vir eruditione & ſanctitate clarus, an. C. 582. quem tamen, *ut Romanos Epiſcopos novâ præſumptione atque ſuperbiâ*, verba ſunt Gregorii I. *Regiſtr. l. 4. Epiſt. 34. ſuperaret; contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectum & injuriam Sacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos excedentem, illicitè in Synodo ſuperbum ac*

peſtiferum

peſtiferum Oecumenici Patriarchæ, ſeu Univerſalis Epiſcopi, *ſibi vocabulum uſurpaviſſe*, ait idem *l. 7. Epiſt. 69.* V. quæ paulò antè de Pelagio, quæque pluribus dicemus infrà in *Gregorio I.* In Eccl. *Alexandrina*, Johanni IV. demortuo ſurrogatus eſt Eulogius. *Antiochiæ*, Gregorius adhuc præfuit, de quo retro plura. *Hieroſolymis*, Johannes itidem Eccl. adhuc præfuit. Præter quos, floruere tum Agricola Epiſc. Cabillon. Rupertus Epiſc. Wormatienſis, circa ann. Ch. 580. Gregorius Turon. qui res Francorum ſcripſit, ſed *non ſine fabularum fermento*, Joh. Cluvero: Evagrius Scholaſticus, qui hiſtoriam Eccleſiæ ad Mauritii Imp. annum 12. pertexuit, Leander Epiſc. Hiſpal. Alii. De ſtatu Eccleſiæ, ſub Juſtino II. & Mauritio Impp. de perſecutione item à Leovigildo mota diximus. De Hæreticis pauca occurrunt, in quos Eulogius inprimis Alex. acrem & vigilantem ſe præbuit. At vanitas, ſacrorum neglectus, luxus, in Galliæ Præſulibus ingens: Melantius quoque Prætextati proditor, ad Rotomag. & Innocentius Lupentii Abb. S. Privati percuſſor. ad Segodunenſem Epiſcopatum, Fregedundis ope ſubvecti ſunt. De imaginum increbreſcente uſu aliquid quoq; jam dictum, plura V. ap. Joh. le Sueur *Hiſt. Eccl. in Pelag. II.*

XXXIII. GREGORIUS (a) I. MAG. (b).

Illuſtres numeravit avos, (c) *illuſtrior* (d) *ipſe,*
Eloquio (e), *ſcriptis* (f), *moribus* (g), *atque fide* (h).
Servi ſervorum (i) *ſe inſcripſit nomine, multis*
Sed titulus fauſti haud (k) *ominis ille fuit* (l).

Enarratio.

(*a*) Gente Romanus, ſtatim poſt obitum Pelagii, conſenſu Cleri Populique unanimi, ei ſuffectus, cùm electio pro more ab Imperatore confirmanda eſſet, ſcripſit Mauritio, ne electioni ſuæ conſentiret: ſed ſubſtitutis à Germano Urbis Præf. epiſtolis, quibus confirmatio petebatur, invito honor impoſitus eſt, *quem tanto majori devotione geſſit, quanto minori ambitione ſumpſerat*: jure (*b*) *Magnus* cognominatus, ut qui (*c*) decus à Majoribus acceptum (*d*) meritis ſuis in Eccleſiam ac rem Rom. dotibusque clariſſimis immensùm auxit. Filius fuit Gordiani Senatoris, (*e*) eloquentiâ & (*f*) eruditione, quam Scriptis ſuis probatam dedit, eo clarior, quòd ſtudia tum ubique languebant, & *Italiam* ſub Tiberio II. ac inprimis *Romam*, *barbaries adeò invaſit, ut Latinè loqui deſitum ſit*, in ipſo Latio, Pantal. *Chronol.* Qua de re ſic Cluverus, *Tanta paſſim eruditionis inopia valeſcebat, ut nec Gregorius, doctorum ſui temporis clariſſimus, Græcè; nec CPoli verò quisquam tantum Latinè ſciret, ut Romano ſermone dictata, in Græcum bene transfunderet*, in *Mauritio Imp.* ex Gregorio ipſo *l. 6. Epiſt. 57.* & Evagrio *l. 6. c. 8.* De (*g*) moribus & (*h*) fide hic paſſim, V. & quæ jam in *Pelagio II.* de eodem. Interea, dum literæ Imperatoriæ expectantur, Gregorius pro fido gregis Paſtore ſe gerens graſſantem luem *Litaniis*, in ſeptem cœtus diſtributâ civitate, depellere inſtituit: erant illæ publicæ preces, ad Deum directæ, quibus, *Miſericordia, Domine, miſerere noſtri*, populus clamabat, teſte Gregorio Turon. *lib. 9.* Remedio tamen gravius fuit tum malum, atque inter ipſas deprecationes, unâ horâ octoginta homines ani-

mam exhalârunt, Aimoinus *lib. 3. cap. 73.* Poſtquam verò Imperatoris voluntas innotuit, Gregorius nequicquam porrò obnixus, quod in eo Johannes Ravenn. reprehenderat, conſecratus eſt d. 3. Septembr. moxque de *Paſtorum* munere inſigne opus edidit, ac, *cùm alii Pontifices conſtruendis ornandisque vel auro vel argento Eccleſiis operam darent, hic totus ad animarum lucra vacare cœpit,* Beda. Et quidem literas primùm pro more, ad cœteros Patriarchas, cum Confeſſionis ſuæ formulâ, expediit, ut apud ipſum legas *lib. 1. Epiſt. 24.* & *libr. 7. Epiſt. 5.* Urbi dein, non peſte ſolùm, ſed & fame, laboranti, de annona proſpexit: dum Autharitus Langobard. R. paſſim Italiam bello, & pravo Arianiſmi zelo affligebat: cui tamen, paulò poſt nuptias cum Theudolinda Bavara contractas, veneno extincto, Agilulfus Dux Taurin. in regno & matrimonio ſucceſſit. Hunc uxor, quæ orthodoxa erat, & jam priorem maritum omni ratione convertere ſtuduerat, brevi perſuaſit, ut, cum tota gente hæreſi ejuratâ, catholicam *de Divinitate æterna ac Conſubſtantialitate Filii cum Patre* fidem amplecteretur, quo pacto peſtis hæc in Italia, eodem fere quo in Hiſpania tempore, deſiit. Gratulatus Theudolindæ de ſucceſſu Gregorius, inde ad omnes Italiæ Epiſcopos literas miſit, quibus ut infantes Langobardorum, in Arianam fidem prætetitâ Paſchatis baptizati, uti Autharitus juſſerat, Eccleſiæ reconciliarentur, mandavit, menſe Decembri. Priùs autem, Synodo III. Toleti, juſſu Ricaredi convocatâ, nationali LXIII. Epiſcoporum & V. Procuratorum, qui vices abſentium gererent, poſt jejunium ac preces triduanas, Ricaredus confeſſionem Fidei, juxta Nicænæ ac Chalced.

Synodorum normam, exhibuit, ſuâ ac uxoris Clodoſvindæ propriâ manu ſignatam; varia dein decreta, inter alia, ut ante Euchariſtiæ celebrationem, exemplo Orientis Eccleſiarum, Symbolum in poſterum recitaretur, omneſque ſic, cordibus verâ fide purificatis, *ad accipiendum corpus & ſanguinem Ieſû Chriſti*, accederent, *Can.* 1. ut *voce clara & diſtinctâ Sacra peragerentur*, *Can.* 2. ut accumbentibus ad menſam Epiſcopis Presbyteriſque *Sacra Scriptura prælegeretur*, *Can.* 7. &, quia erant, qui Confeſſionem auricularem introducere conabantur, *pænitentiæ ratio ad priſcum rigorem revocata eſt*, *Can.* 11. &c. ann. C. 590. quo ipſo *Tunicam Chriſti inconſutilem*, in loco *Zaphat*, Judæi cujusdam indicio, repertam atque à Gregorio Antiocheno & Thoma Hieroſolym. devotè ſuſceptam, Hieroſolymas delatam eſſe, tradunt Aimoinus Mon. Floriac. & Sigebertus Mon. Semblac. qui ſeculo IX. & XI. floruere: ſed Patriarchæ tum Hieroſolymitano *Iohannis* nomen fuiſſe, docet Evagrius *l.* 6. *c. ult.* & in urbe quadam Galatiæ, Tunicam illam adſervatam eſſe, refert Gregorius Turon. *de Gloria Mirac. c.* 8. Tandem precibus jejuniisque extra ordinem inſtitutis, propitiatus Deus peſtisque Romæ extincta eſt: ubi quæ de imagine B. Virginis à S. Luca facta, & acclamatione ad illam ab Angelo, *Gaude Regina cæli, Allelujah*, inſtitutâ, adfert Sigonius, caret auctoritate ipſius Gregorii, aliàs à talibus non abhorrentis: adde quòd nec Lucas Pictor, nec elogium *Reginæ Cæli* tum temporis inter Chriſtianos fuerit uſitatum. Secuta ſiccitas immanis à Januario menſe in Septembrem uſque, ſiccitatem ſterilitas, quâ Gregorius à Petro, patrimonii in Sicilia Rectore, miſsâ pecuniâ, frumentum urbi ſuſtentandæ

petere

petere coactus eſt. Terror porrò ingens, à Ducis Spoletani Ariulphi vicinia, cum quo pacta quædam initurus Pontifex, à Romano Exarcho prohibitus eſt. At graviùs Gregorium Schiſma urgebat, quod Epiſcopi Inſubres, Iſtrii & Veneti, quibus magna pars Procerum Neapolitanorum ſe junxerunt, ob Tria Capitula, fovere non ceſſabant. Etiam Hiberni Præſules, Rom. Sedi propterea adverſabantur, V. *Epiſtolam* Gregorii *ad Demetrium Neapol.* & *ad Hibernos.* Quare, Imperatoris monitu, Synodum hac de re coëgit Gregorius, cui verò quòd ex Iſtria Epiſcopi intereſſe detrectarent, rationibus Imperatori probatis, hic Gregorio cauſæ cognitione in poſterum interdixit. Gregorius igitur aliâ Synodo convocatâ, ex ejus ſententia Epiſtolam Synodicam ad Epiſcopos Orientis expedit, in quâ, Johannem CP. primum nominare neutiquam dubitans, poſt illum Eulogium, Gregorium, Johannem & Anaſtaſium, exulem licèt, compellat, ac Concilia IV. Oecumenica priora toto pectore ſe amplecti, neque CPolitanum II. ſeu V. Oecumen. minori honore venerari profitetur. In Africam inde, quia Donatiſtæ iterum movere ſe cœperant, literas ad Epiſcopos, Gennadium Præf. & Hilarium Chartularium Eccleſ. Roman. qui Carthagine tum erat, ut conatibus illorum maturè ſubveniretur, miſit. In Siciliam quoque Petro Subdiacono, de cœlibatu Subdiaconorum, qui in illa provincia plerunque uxorati adhuc erant, ſcripſit, ut illum pro viribus tueretur. Circa quæ tempora, conſpiratum in Childebertum R. filiumque ejus Theodebertum, Fredegundis inſtinctu, quæ Præſules quoque aliquot in facinoris conſcientiam pertraxerat: ingentesque turbæ, à Crodielda fil. Childeberti & Ba-

ſina fil. Chilperici ex Audovera, in Monaſterio S. Crucis Pictavii, ubi degebant, excitatæ ſunt, ob quæ, aliaque enormia, in Arvernis, Verodunique Synodi habitæ. In Perſia verò, Commentiolus Philippici ſucceſſor ad Martyropolim Perſas fugavit: mox, Hormiſdâ privato luminibus, Coſroëm Patri inviſum ſui Regem conſtituunt, qui aliquantiſper benignè habito patre, quum perpetuis ejus maledictis laceraretur, tandem fuſtibus illum curavit occidi, eoque facinore totius gentis ſibi odium peperit. V. de ſuperbia ejus, & titulorum luxurie, Theophanem *Hiſtor. Mauritan. lib.* 4. Itaque deſertus à ſuis, cùm quo ſe verteret neſciret, tandem Deo Chriſtianorum, de quo multa hactenus audiverat, ſe committens, equo concitato quàm celerrimè in Romanorum ſe caſtra recepit. Receptus à Probo Patricio, ac commendatus Mauritio Cæſari, jubente ipſo, per Narſeten ducem brevi pòſt, in regnum reductus eſt, quâ de re prolixè Evagrius *l. 6. c. 20.* &c. à quo tempore, poſito bello, profunda Orientem pax occupavit, & ingentibus donis Gregorium Antioch. Coſroës excoluit, paganiſmum tamen, quod volunt nonnulli, non deſeruit. Tum Mauritius Cæſarem creavit filium ſuum Theodoſium quadriennem: Agilulfus verò, cum Childeberto Auſtraſiæ R. fœdere inito, Francos ab Italia amolitus eſt, qui proin ad Pipini uſque tempora illâ abſtinuerunt, ann. Chr. 591. Poſt hæc, Adrianus Epiſc. Thebarum, qui à Metropolita ſuo Johanne Lariſſ. condemnatus erat, ad Imperatorem provocavit, cujus juſſu Honoratus Diac. Pontificis res CPoli agens, & Sebaſtianus quidam, causâ cognitâ illum abſolverunt. Verùm non acquieſcens ſententiâ Imperator, Johanni Juſtinianeæ

Epiſc.

Epiſc. cauſam ulteriùs examinandam commiſit, qui cùm Adrianum non auditum condemnâſſet, ille ad Gregorium ſe Romam contulit, de injuria conqueſturus. Gregorius abſolvit illum, ſuſpendit 30. dies à munere Juſtinianeæ Præſulem, & Lariſſæo Epiſc. ut Pelagii II. qui ejus jurisdictioni Thebarum Epiſcopatum ſubtraxerat, conſtitutionem revereretur, ſub pœna excommunicationis injunxit. At Imperator, tertiâ vice Anaſtaſio Corinthio cauſam excutiendam commendavit, qua de re Vid. Gregorium ipſum *lib. 2. Epiſt. 6.* & 7. Dein Lege latâ, inter alia vetuit, *Ne milites monachi fierent*, eamque Gregorio miſit, cum ſuæ Diœceſeos Epiſcopis communicandam: qui Imperatori ſubmiſsè reſcribens, juſſui quidem ejus morem ſe geſſiſſe, cœterùm eam partem Legis, utpote Legi divinæ contrariam, ſe probare non poſſe, reſpondit, Vid. *lib. cit. Epiſt.* 61. & quæ hanc in rem le Sueur *in Hiſtor. Eccl.* Interim attonitus crebris Langobardorum aſſultibus, etiam renitente Exarcho, pacis aliquam pactionem cum iis inivit, Mauritium, ut ratam eam haberet, precatus, ann. Chr. 592. Conſtantio dein, Laurentii Mediolan. in locum electo, Pallium miſit: audito verò, Theudolindam Reginam, ob Tria Capitula, à ſua communione, cum tribus Præſulibus, receſſiſſe, miſſo Johanne Abbate & Hippolyto Notario, cum literis, illam à propoſito retrahere conatus eſt. Circa quæ tempora, in Gallia, Guntramus Rex obiit, ſucceſſore Childeberto Auſtraſiæ Rege, ſuo ex fratre nepote: quem paulò pòſt Fregedundis, Clotario filio hæreditatem aſſertura, ingenti prælio vicit, anno Chriſti 593. quo ipſo Romanus Exarchus, Romam veniens, Gregorium

throno inſidentem, in Æde Laterana, *adoravit*, ut ait Sigonius, qui hinc moris, quo Exarchi, Romam advenientes primùm, iſtiuſmodi defungerentur ſalutatione, primordia arceſſit. Sequuta Urbis ab Agilulfo obſidio, & induciæ: quibus durantibus *libb. 4. Dialogorum* ſcripſit Gregorius, iisque ſui temporis miracula expoſuit, ſed vulgò potiùs magnam partem credita, quàm accuratâ exactitudine comperta, V. Melch. Canum Epiſc. *Loc. Theolog. l. II. c. 6.* & Joh. le Sueur *ad ann. C. 594.* quorum hic prima Purgatorii fundamenta in libris illis poſuiſſe Gregorium contendit, ex *lib. 4. c. 25. 30. 36.* 40. 51. & 55. cùm contrarium alibi doceat, viz. *Expoſit. Moral. l. 4. c. 32. & l. 13. c. 20.* Sub hæc Judæorum converſioni intentus, vim quidem damnavit omnem, ut triennio antè Virgilium Arelat. & Theodorum Maſſil. monuerat, *fidem perſuaderi* dictitans, *non imperari*: pollicitationibus tamen muneribusque pellicere pium duxit, literis ad Cyprianum Diac. At barbaros quosdam idololatras, qui ex Africa pulſi in Sardiniæ montibus conſederant, etiam tributorum gravitate premi poſſe, ut levaminis ſpe eò alacriùs Chriſtianiſmum amplecterentur, cenſuit literis ad Januarium Calaritanum: in quibus inſuper Archidiaconum quendam laſcivientem à Sacris removeri juſſit; ac, quod eidem Januario præt. anno negaverat, jam retractans, Presbyteris quoque, ſi abſit Epiſcopus, *Chriſmate frontem baptizatorum conſignandi*, quæ tum Baptiſmi appendix quædam erat, facultatem indulſit, V. ejus *lib. 3. Epiſt. 9.* & 26. Eodem fere tempore, Conſtantiæ Aug. petenti caput, aut membrum aliquod aliud Pauli Apoſt. ſibi mitti, quo Baſilicam eidem à ſe deſtinatam exornaret, negavit gratificari ſe poſſe,

poſſe, ob rationes, quas exponit, *Regiſtr. l. 3. Epiſt. 10.* in alios tamen rerum harum largus, Dynamio Gall. Patricio, *cruciculam*, in cujus cavitate de catenis S. Petri quiddam incluſum, extremitates verò ferro de Laurentiana craticula præmunitæ erant, ut illà collo appensâ ab omni peccato in perpetuum liber eſſet, *l. 2. Epiſt. 33.* Childeberto verò Auſtraſiæ R. *claves S. Petri*, quibus de limatura catenarum ejusdem ſimiliter quiddam incluſum, *libr. 5. Epiſt. 6.* aliis alia miſit. V. *l. 6. Epiſt. 23. l. 7. Ep. 88.* & 128. *lib. 12. Epiſt. 17. l. 15. Epiſt. 50.* &c. unde eſt, quòd *imaginum reliquiarumque uſum*, ejus auſpiciis maximè invaluiſſe, ſcribunt Auctores, V. Joh. le Sueur *ad ann. Chr. 594.* & infrà. Sub initium anni ſequentis Joanni Ravenn. Archiepiſcopo Marinianus ſucceſſit, & ipſe dignitate urbis, quæ Exarchi ſedes, ferox, ac proin Gregorio minùs concors. Mox induciis cùm Agilulfo, de quibus ſuprà, finitis, novi Romanis terrores, quare Gregorius omni ratione pacem cum Langobardis fieri deſideravit, *ſimplicis* hinc appellatione à Mauritio Imp. adſperſus, cui proin per literas ſe purgare neceſſarium duxit. Sed magis anxium eum habuit titulus *Epiſcopi Oecumenici* ſ. *Univerſalis*, quem Johannes Patr. apud Imperatorem & Populum maxima in æſtimatione, more Deceſſorum ac cœterorum Patriarcharum, etiam Epiſcoporum Rom. Leonis I. Hormiſdæ, & Agapeti I. (ut videre eſt in *Actis* Concilii Chalced. ann. C. 451. in Literis Abbatum Syriæ, ann. C. 517. & Abbatum CP. Monaſteriorum Or. ac Epiſcoporum Diœceſis Orientalis, an. C. 536.) uſurpare perrexit. Nempe mos fuit Sanctis Patribus, omnes Patriarchas *Oecumenicos* ſeu *Univerſales*, h. e. univerſalis Eccleſiæ contutores ſeu Catholicæ Ec-

cleſiæ curam in ſua portione ſuoque diſtrictu gerentes, nuncupare. Quo ſenſu in Nicæna Synodo, ab ipſo Adriano Pont. *Patriarcha generalis* Tharaſius dictus eſt. Gregorius verò & hunc vocis ſenſum rejecit, & alterum magis, qui imperium in cœteros Epiſcopos importare videbatur. Quare is, *Epiſt. ad Iohannem, Univerſalem* Epiſcopum dici, & *Solum* Epiſcopum dici, perinde eſſe aſſerit. Revera enim, ſi unus eſt Univerſalis Epiſcopus, reliquis non datur eſſe Epiſcopis, ſed Univerſalis illius vicariis duntaxat & ſubdelegatis. *Epiſt. ad Conſtantiam Aug. Per omnipotentem Dominum rogo,* inquit, *ne pietatis veſtræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari:* alludens ad illum ὑπεραιρόμενον, *ſeſe efferentem*, ſ. *elatum*, de quo Paulus vaticinatur, 2. Theſſ. *cap.* 2. *v.* 4. ut ipſe in ſeqq. docet, *In hac ejus ſuperbia quid aliud, niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur,* V. *lib.* 4. *Epiſt.* 34. Et *Epiſt. ad ipſum Imperatorem, Petro, ait, cura totius Eccleſiæ ac principatus committitur, & tamen Univerſalis Apoſtolus non vocatur. Et Vir Sanctiſſimus Conſacerdos meus, Iohannes, vocari Univerſalis Epiſcopus conatur -- Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis nomina ſibi expetunt, & novis ac prophanis vocabulis gloriantur.* Cumque Mauritius Imp. præcepiſſet, ne frivoli vocabuli hujus, quod Patriarchæ CP. ultra 70. jam annos, nemine contradicente, uſurpâſſent, prætextu ſcandalum inter Epiſcopos digladiantes exoriretur, Epiſtolâ ad eum denuo datâ, inter alia, *Ego autem*, ait, *fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit;* Vid. *libr.* 4. *Epiſt.* 32. & *l.* 6. *Epiſt.* 30. alibique rationem aliam addens, *Si unus*, inquit, *Epiſcopus vocaretur Univer-*

ſalis,

ſalis, corruituram Eccleſiam univerſam, ſi unus caderet, &c. Ut verò magis horrorem tituli hujus teſtaretur, (*i*) *Servum Servorum*, ſe indigitavit ipſe, quod tamen (*k*) ominis haud fauſti meritò viſum: & quidem, licèt eundem Succeſſores Gregorii ſervarent titulum, alterum tamen, quem tantopere is abominari ſe fuerat teſtatus, neutiquam aſpernati ſunt, ut paulò pòſt in *Bonifacio III.* videbimus. Quòd ſi in cauſas Gregorianæ invectivæ inquiras, inter alias fortè hæc non minima fuerit, quòd Pontifex videns Romam multùm ſplendore priſco imminutam, & à Langobardis tantùm non continuâ circumſeſſione ad incitas redactam, Conſtantinopolim verò, Imperii & Patriarchatûs à Romano ſecundi Sedem, in dies incrementa capere, veritus eſt, ne tandem Patriarcha Conſtantinopolit. ſibi ipſi præponeretur: unde omni tempore hujus Sedis augmento obicem poſuiſſe quà pote Romanos Epiſcopos deprehenſum eſt, Joh. le Sueur *Hiſtor. Eccleſ. ad annum C. 595*. Poſt hæc Johannes Presbyter Chalcedon. erroris in fide accuſatus & à Johanne Patr. condemnatus, ab eo, permiſſu Mauritii, ad Gregorium appellavit, & ex Synodi ab illo convocatæ, XXII. Epiſc. & XXXIV. Presb. Cardin. ſententia abſolutus eſt. Ob Maximum dein Epiſcopum Salonæ, ſine ſcitu ſuo, creatum, favore Exarchi, aliquid negotii Gregorio fuit, uti patet *l. 4. Epiſt. 34.* Pallium circa eadem tempora Virgilio miſit Arelatenſi, eumq; vicarium ſuum, in provinciis Childeberto R. ſubjectis conſtituit, hortatus ut in ſimoniæ reos acriter animadverteret, Petrus verò & Prudentius Iſtrię Præſules, ſpem quidem finiendæ III. Capitulor. controverſiæ fecere Gregorio, ſed mox illa iterum decollavit, Interea

cum Cagano Avarum Rege continuum fere Mauritio bellum fuit, qui multo cum milite in Venetos irruptione facta, Giſulfum Langob. Ducem prælio cæcidit & Romildam uxorem ejus, ſpe nuptiarum illectam, palo infixit, hoc anno 595. Paul. Diaconus *l.* 17. quo ipſo cum Sclavinis, qui aliâ parte in Imperium irruperant, à Priſco feliciter certatum eſt. At in Italia res indies in deterius ire, quare Gregorius, inprimis poſt Crotonem à Duce Beneventi captam direptamque, pacem rurſus ſolicitè urſit, literis ad Secundinum Ravennam miſſis. Inde Brunechildi Reginæ commendavit Candidum Presb. *Patrimonium Petri* in Galliis, h. e. prædia & bona à Gallis quibuſdam Rom. Eccleſiæ, in uſum viz. Miniſtrorum pauperumque Rom. legata, donatave, adminiſtraturum, ſimulque filio ejus Childeberto claves Petri, quarum retro mentionem fecimus, cum limatura catenarum ejus, muneri miſit: ſed paulò pòſt obiit Childebertus, totaque tum Gallia aut infantibus aut mulieribus paruit. Johanne pòſt Patr. CP. defuncto, cùm Cyriacus ſucceſſiſſet, ad literas ejus quidem humaniter reſpondit Gregorius, Sabiniano tamen Apocriſiario ſuo, ne Sacris ab illo celebrandis, niſi priùs titulo *Oecumenici*, quem in Deceſſore ejus damnâſſet, poſito, intereſſet, in mandatis dedit. Circa quæ tempora, Auguſtinum Abbatem cum Monachis aliquot in Britanniam miſit, Anglis, qui Ethelberto Cantii R. ſuberant, & ſemina quædam Chriſtianiſmi à Bertha uxore ejus, filiâ Chariberti Franci, hauſerant, pleniorem lucem illaturum, anno Ch. 596. Beda *l.* 1. Sequuta gentis converſio, de qua V. Gregorium *l.* 7. *Epiſt.* 30. & Bedam *d. l.* In Gallia verò recrudeſcente inter Fregedundem & Brunechildem bello,

bello, illa Pariſios recuperat, & atroci prælio, cum filio ſuo Clotario quadrienni, hoſtem ſuperat: mox placidè defuncta, V. Paulum Æmil. *Hiſtor. l. 3.* Quo tempore, Cyriacus Patr. per Legatos de Sabiniani rigore apud Gregorium conqueſtus eſt, qui illos quidem benignè exceptos ad communionem admiſit, Sabinianum nihilominus Sacris intereſſe, quæ Cyriacus celebraret, porrò vetuit. Pallium inde Leandro Hiſpal. doctrinâ, ſanctitate & in propaganda fide zelo, celeberrimo ſui ævi Præſuli, miſit; quem hoc ipſo anno obiiſſe, ſucceſſore fratre Iſidoro, legimus: dum Caganus, ad pacem quamvis à Mauritio per Priſcum adactus, miſſis clam ad Agilulfum literis, fœdus contra Romanos pepigit, ann. C. 597. In Gallia mox Brunechildis ob mores Proceribus exoſa, à nepote Theodeberto pellitur, & ad fratrem ejus Theodoricum confugit: apud quem effecit, ut Deſiderius ruſticus, qui ipſi ab omnibus deſertæ viam monſtraverat, in Epiſcopatu Antiſſiodor. Aunachario ſurrogaretur. quo etiam adeò dextrè functus dicitur, ut in Sanctorum numerum relatus fuerit. Sub quæ, Gregorius ab Eulogio Patr. Alexandr. *Domini* & *Papæ Oecumenici* (uti is Rom. & CP. Patriarchas compellare ſolebat) nominibus inſignitus, utrumque enixè deprecatur, V. *l. 7. Epiſt. 30.* Judæorum dein converſioni intentus, miſſo in Agrigentinum Siciliæ agrum, ubi illorum non pauci erant, Fauſtino, uno ex *Defenſoribus Eccleſiæ Rom.* illos ad fidem perducere ſtuduit, vi tamen ſeverè prohibitâ. Erat id officii nomen in Eccleſiis Patriarchalibus uſitati, cui pauperum cura & jurium bonorumque Eccleſiaſticorum tutela incumbebat: conſtituitque eorum Regionarios VII. ad numerum Diacono-

rum & Subdiaconorum Urbis, Gregorius. Idem Monachos S. Johannis in urbe Claſſe, juriſdictioni Arch. Ravennenſis exemit: dum apud Langobardos Zotoni Duci Benev. Arechis ab Agilulfo, in Exarchatu verò, Romano Callinicus, à Mauritio Imp. ſuffectus eſt: qui cùm Langobardum quendam Epiſcopum, nomine *Malchum*, à Gregorio in carcere morte mulctatum quereretur, quod etiam Maximus Epiſc. Salonæ priùs huic objecerat, is ſe per Sabinianum accuratè excuſavit, V. quoque *l.4. Epiſt.34.* facta hæc anno Ch. 598. Secuta variorum Iſtriæ & Siciliæ Præſulum cum Eccleſia Rom. reconciliatio, *libr.7. Epiſt.99. 100.* & *101.* nec non pax inter Callinicum, Gregorio proniorem, & Agilulfum, ſed diu haud duratura: morbusque Gregorii, quem arthritici dolores lecto affixere. Sed hoc exquiſitiùs illi dolebat, quòd Cyriacus *Oecumenici* retineret titulum, ſcripſit itaque ad Aſiæ Epiſcopos, ut Cyriaco obniterentur, ni à communione S. Petri Principis Apoſtolorum ſeparari vellent. Etiam Galliæ Præſules, ad ſimoniam, quæ illis in locis nimiùm quantum graſſabatur, funditus exſtirpandam, literis expeditis, graviter hortatus eſt. A Ricaredo verò R. literis & muneribus excultus, viciſſim cum cruce argenteâ, reliquias quasdam continente, eſt muneratus. Vid. *libr.7. Epiſt. 126.* Circa idem fere tempus, cùm Serenus Epiſc. Maſſilienſis, animadverſo *uſum* Imaginum, quæ à medio SEC. IV. primò privatim, dein publicè, in Templis, ornatûs & commemorationis causâ, inter Chriſtianos haberi cœperunt, ſenſim in *cultum* abire, quidquid illarum in ſuo Epiſcopatu erat, tolli frangique præcepit: cujus zelo laudato Gregorius factum tamen improbavit, & Imagines

non

non quidem adorandas eſſe, attamen tolerari poſſe, *ut ſint libri laicorum*, pronuntiavit, quo pacto ad ulteriora via ſtructa eſt. V. *l.7. Ep.109. Indict.2.* cumque Serenus nihilominus in ſententia pergeret, alteram *Epiſtolam* biennio pòſt ad eum exaratam, quæ eſt *num.9. l.9. Indict.4.* adde, quæ hanc in rem Joh. le Sueur habet, uti & quæ *de Quadrageſima*, quæ Gregorii tempore 36. ſolùm dierum, & *de Jejunio*, quod tum adhuc, non in delectu ciborum, ſed abſtinentia ab omni cibo, conſiſtebat, ſubjungit, ex *Homilia* illius 16. *ad ann. C. 599.* Durabat interea à Cagano metus, & clades non una affligebat Romanos, quorum 12. mill. cùm in vinculis haberet Barbarus, dimidium ſaltem numiſma in ſingula capita petebat, fractus animo, quòd peſtifera lues uno die ſeptem ejus filios abſumpſiſſet. Sed ſurdas Mauritii aures pulſavit, ſeu odio, ſeu avaritiâ ſpernentis tot jacturam militum: quare aſperatus Caganus occidit omnes, ac pactus 50. m. aur. in Pannoniam remeavit. Mox facti pœnitentiâ ductus Mauritius, quò eum varia portenta inflexerant, preces in omnibus Eccleſiis pro ſe fieri juſſit, *ut peccatorum ſuorum in hoc ſeculo pœnas penderet*, viſusque eſt ſibi in ſomnis divino judicio, cum uxore & liberis, Phocæ militi traditus, Vid. Nicephorum *lib.18. cap.35. & ſeqq.* Paulum Diac. *libr.17.* &c. Non deſunt tamen, qui, hiſtoriam hanc ſuſpectam habentes, quod de neglecta militum redemptione, quodque de colaphis Phocæ juſſu Imperatoris inflictis, mox apud eosdem Hiſtoricos ſequitur, ad parricidium Phocæ excuſatius reddendum, confictum putent. In Italia, Conſtantino Arch. Mediol. defuncto, Adeodatus ſucceſſit: in Anglia verò, Epiſcopi Londin. & Eborac. Metropolitanâ dignitate

aucti dicuntur, teſte Bedâ, ipſo Seculi hujus ultimo, ann. C. 600. ad quem *de Gregorio Pontif. Scriptis ac Fide ejus, deque differentia Eccleſiæ Rom. illius ſeculi ab hodierna,* prolixè diſſerit, ſæpius laudatus Suerius. Quid in poſterum expectandum, ex eodem Pontifice diſcimus, qui proximè futuram tempeſtatem, tanquam ex ſpecula, proſpiciens, de ſeqq. temporibus ita vaticinatur, *l. 8. Epiſt. 36. Qui poſt nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione ſui temporis felices nos æſtiment dies habuiſſe.* Et *l. 4. Epiſt. 18.* expreſſiùs: *Omnia, quæ prædicta ſunt, fiunt, Rex ſuperbiæ prope eſt; & (quod dici nefas eſt) Sacerdotum eſt præparatus exercitus.* Gregorium certè *ultimum Epiſcopum Romæ* dictum non paucis eſſe, idem le Sueur notanter obſervat. Sub initium novi ſeculi, quòd numerus credentium in Anglia, mirè creſceret, Mellitum, Juſtum, Paulinum & Rufinianum Presbyteros, cum aliis nonnullis, eòdem direxit, in meſſe Domini operarios futuros, *Vid. lib. 9. Epiſt. 43. & ſeqq.* Synodo dein duplici Romæ convocatâ, rem Monachorum, quibus impensè favebat, promotum ivit. Sclaviniſque Siciliæ imminentibus, Litanias novas, ſingulis Mercurii & Veneris diebus obeundas; inſtituit; dum bellum in Italia, perfidiâ Exarchi, recruduit, & Mauritius, cladem à Priſco Avaribus illatam, tanquam in pacis initæ fraudem, per Legatos Cagano excuſavit, ann. C. 601. Idem Callinico, quòd inducias cum Langobardis non ſervâſſet, indignatus, illi revocato Smaragdum denuo ſurrogavit: paulò pòſt Phocæ perfidiâ, cùm ſub ipſo ferali ictu judicia Dei celebrâſſet, occiſus, ſucceſſore parricidâ; qui præſtito juramento, *ſe nihil novaturum in fide,* à Cyriaco Patr. quinque diebus antè, coronam acceperat,

perat, ann. C. 602. deſcriptionem Phocæ apud Cedrenum habes, & Theophyl. Simocatiam, quorum hic eum *Tyrannum Calydonium, ferro obtectum, hominem ſemibarbarum, de Cyclopum genere, in modeſta purpura centaurum peſtilentiſſimum*, vocat. Illé verò, throno conſcenſo, mox ſuam Leontiæque uxoris imaginem Romam miſit, quæ eò delatæ, die 25. April. Gregorii juſſu in Oratorio S. Cæſarii Mart. collocatæ, ſicque Phocas, cum uxore, Auguſti proclamati ſunt, unanimi Cleri ac Senatus conſenſu, cum voto: *Domine Ieſu Chriſte conſerva vitam Imp. Phocæ & Imp. Leontiæ.* Sequutæ Gregorii literæ ad Phocam, quibus judicium ſuum de regimine Mauritii, ſimulque lætitiam de evectione Phocæ, exponens, orditur, *Gloria Deo in excelſis, qui transfert ſceptra*, &c. V. *l. 11. Epiſt. 36.* it. *Epiſt. 45.* & 46. ut & ad Leontiam Aug. *Epiſt.* 44. ubi utrumque, ut Eccleſiam Rom. patrocinio ſuo complecti & meminiſſe verborum J. C. *Tu es Petrus*, &c. dignentur, rogat, illorumque Imperio B. Petri tutelam viciſſim pollicetur. Rogatu dein Phocæ Bonifacium, Apocriſiarii munere apud eum functurum, CPolim mittit, qui nihil eorum omiſit, quæ ad favorem tyranni conciliandum facere videbantur, eò proniore ſucceſſu, ut videbimus infrà, quòd Cyriacus minùs Phocæ gratus eſſet. Eodem anno literis ad Brunechildem datis, Francorum gentem, Reginæ tot doribus ornatæ imperio, ſupra omnes reliquas, beatam prædicavit Gregorius, &, poſt pacem inter Exarchum ac Agilulphum tandem conciliatam, Theodelindæ hujus uxori de felici partu gratulatus, recèns natum infantem dono crucis, cui de ligno Crucis J. C. particulam inſertam ait, filias verò reginæ, aliis munuſculis excoluit: dum Coſroës, Mauritii

Mauritii interfecti amicus, parricidæ bellum intulit, ann. Ch. 603. Poſt quæ, Gregorius deceſſit, die 12. Mart. ann. Chr. 604. Sedis ann. 13. m. 6. d. 9. Phocæ ann. 2. præter alia, *Officii Gregoriani* auctor, quod ſub Carolo M. in Galliam, & aliquanto ſeriùs in Hiſpaniam quoque, circa ann. Ch. 1075. Gregorii VII. Papatu, introductum eſt. Plura de illo Vid. apud Gratianum *Diſtinct. 99. c. ecce. 5.* Polydorum Virg. *de inv. rer. l. 6. c. 11. 13.* & *l. 8. cap. 2.* Platinam, cœteroſque Pontificiæ Hiſtoriæ conditores, ipſum inprimis Gregorium, cujus Opera paſſim habentur. Compendioſè de illius regimine Johan. Cluverus, *Gregorius*, inquit, *in pauperes munificus, divinum cultum Ceremoniis, novis Canticorum formulis & ſtationibus auxit*, in *Vita Mauritii.* (*l*) Ejus tempore, *Conſtantinopoli*, Johanni Jejun. defuncto Cyriacus ſucceſſit, ann. Ch. 596. In Eccleſia *Alexandrina*, Eulogius adhuc præfuit. *Antiochenam* denuò rexit, poſt mortem Gregorii, Anaſtaſius I. ab ann. Chr. 595. quem defunctum triennio pòſt, Anaſtaſius II. excepit, ſub finem ſeculi præt. *Hieroſolymis*, ſacra poſt Heſychium curare cœpit Amos, anno C. 601. Alios illuſtriores Præſules jam ſuprà memoravimus: præter quos floruere, Venantius Fortunatus, Epiſc. Pictavienſis & Poëta, circa ann. C. 596. Theodoſius Siceotes Anaſtaſiopolis Epiſc. circa ann. Chr. 598. Alii: de quibus, aliiſque huc pertinentibus Vid. Johan. le Sueur *Hiſtor. Eccleſ.* in *Gregorio I.*

XXXIV.

XXXIV. SABINIANUS (m).

Poſtquam magna diu lis (n) *ferbuit, eligor* (o), *at ſpem*
De me conceptam tempore fallo (p) *brevi.*
Æra quidem templis (q) *ſuſpendo, durus egenis* (r)
Sed feror, atque hinc eſt cauſa ſevera necis (ſ).

ENARRATIO.

(*m*) VOlaterris Tuſciæ oriundus, (*n*) poſt 6. menſium de ſucceſſione litem, (*o*) electus d. 1. vel, ut aliis placet, d. 14. Sept. ann. C. 604. Phocæ 2. (*p*) ſpem Populi de ſe conceptam, mox feſellit. Cùm enim ingenti annonæ caritate Roma tum adfligeretur, ille pro more quidem granaria aperuit, ſed pretio, nec eo quidem æquo, frumentum populo vendidit. Quo ejus rigore perculſi pauperes, quos in Monaſteriis paſſim ac Ptochotrophiis Gregorius aluerat, eandem ipſum rogârunt gratiam, verùm is non contentus duris à ſe verbis miſeros abigere, in Gregorium inſuper ac Scripta ejus acriter invectus eſt, flammis quoque hæc daturus, niſi à Petro Diacono, columbam ſcribentis Gregorii auribus ſæpe imminentem ſe vidiſſe dicente, fuiſſet impeditus. Interea bellum Phocæ cum Coſroë infelix, quies verò Cagani auro redempta, ann. C.

ann. Chr. 604. præf. Auctum mox in tyrannum odium perfidiâ in Narſen, celebrem contra Perſas victoriis ducem, quem Phocas contemptâ jurisjurandi religione, cùm CPolim veniſſet, vivum incendit: & ſævitiâ in viduam Mauritii filiasque, quas cùm vi è Baſilica maj. ubi latitabant, iret extra. ctum, obſtitit populus, & Cyriacus Patr. inprimis, in quem proin odium altiùs recondidit tyrannus: dum Coſroës longè lateque provincias depopulatur, & Sabinianus, rigoris ſui retinens, in capite vulneratus, decedit d. 15. Febr. ann. C. 605. Epiſcopatûs ſui menſe 6. (q) campanis in templa introductis, juxta nonnullos (eo deceptos, quòd horas is Canonicas primus campanæ ſonitu diſtinxerit) clarus, ſed (r) avaritiâ ac tenacitate infamis, atque hinc extra urbem inſepultus abjectus. (ſ) V. Sigonium, Anaſtaſium Bibl. Ciacconium, aliosque in *Vita ejus*, & quæ de illo in *Gregorio* diximus.

XLIX. EPISCOPI ROM. ANTE BONIFACIUM VI.

I. BONIFACIUS (t) III.

Menſibus exactis bis ſenis (u), *occupo Sedem* (x),
Atque Oecumenici (y) *nomine mactus ovo;*
Roma ſacri Capitis (z). *Phocas* (a) *dedit iſta petenti* (b),
Hinc volumus (c) *fontes*, *hincq;* jubemus (d), *habet* (e).

ENAR-

ENARRATIO.

(*t*) POſt mortem Sabiniani, de Sede, diu certatum: dum interea Auguſtinus Abbas in Anglia operi incepto inſtitit, quod fuiſſe prædicationem Evangelii, ex Baronio aliiſque ſuprà diximus. Sed Doctores Angli horum temporum, Witakerus contra Duræum, Fulco contra Stapletonum, ac inprimis Juellus Epiſc. Saliſbur. *Apologiâ Eccl. Anglic.* Auguſtinum hunc ex priſcis gentis ſuæ hiſtoriis contendunt fuiſſe *hominem crudelem, vanum & arrogantem*, miſſumque à Gregorio, non tam ut prædicaret Anglis Evangelium, ut quibus jam diu antè illud annuntiatum, quàm ut iis Latinos ritus ac liturgiam Latinam inferret. V. quæ nos ſuprà de Anglis, in *Eleutherio*, de Scotis *in Victore I.* de utriſque Tertullianus *Apologet.* Origenes *in Ezech. Homil.* 4. Athanaſius *Apolog.* 2. Hilarius *de Synodis*, Chryſoſtomus *Homil. Chriſtum eſſe Deum*, & Theodoretus *Hiſtor. l.* 4. *c.* 3. dixere. Cùm verò Auguſtino ſociiſque morem gerere detrectarent Inſulani, in hos à Cantii Rege vi agi cœpiſſe, perſecutionemque acerrimam motam eſſe, docent iidem, ex Galfrido Monumet. *Antiqq. Britann.* aliiſque monumentis priſcis, quæ in Angliæ Bibliothecis aſſervantur: Vid. Joh. le Sueur *ad ann. C.* 605. At tandem, Bonifacius, gente Romanus, qui Gregorii apud Phocam Apocriſiarius fuerat, ut vidimus: poſtquam (*u*) annum fermè Sedes vacâſſet, (*x*) in Deceſſoris locum electus eſt, d. 15. Febr. ann. C. 606. Phocæ 4. Qui literis mox ad Phocam expeditis, pro more, illi evectionem ſui ad Papatum, ſignificavit, ſimulque *Oecumenici* (*y*) titulum ſibi, atque Eccleſiæ Rom. *Capitis omnium Eccleſiarum* (*z*) elogium

gium

gium exoravit. Theophylactus Simocatta (*a*), *Phocas, tyrannus – cui de ebrietatis regno erat certamen*; (*b*) *rogante Papa Bonifacio ſtatuit, ſedem Romanæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat*, uti Beda *de VI. ætat. mundi*, Anaſtaſius Bibl. *in Bonifacio III.* aliique commemorant; vel, uti Pomponius Lætus *Hiſtor. Rom. Comp. Vrbem*, inquit, *Romam totius ſalutaris vitæ caput eſſe ſanxit, cùm antea propter ſedem Principis Conſtantinopolis haberetur.* Sic Paulus Diacon. Scriptor coævus *de Geſtis Langobard. libr. 4. cap. 37. Phocas, rogante Bonifacio ſtatuit*, &c. Sic poſteriores, Freculfus, Regino, Anaſtaſius, Hermannus Contr. Alii: quorum nonnulli etiam *Phocæ auctoritate* factum eſſe caput Eccleſiarum Bonifacium ſcribunt. Sigonius, Bonifacium ad Phocam Legationem miſiſſe, quo *decretum* obtinuerit, *ut ſedes B. Petri eſſet prima omnium Eccleſiarum*, tradit. Quod planè quiddam novi inſolitique fuit. Juſtinianus enim jam ante quidem Phocam Eccleſ. Romanam *omnium Eccleſiarum caput inſignivit*, ut videre eſt ſuprà *in Iohanne II.* ſed eodem utique ſenſu, quo etiam Conſtantinopolim ſic appellavit. Nempe certum eſt, ut jam olim obſervavit Benedictus Renatus, S. Euſtachii apud Pariſinos Parochus, *in amica Diſquiſit. ſuper Doctrina Hugenot.* Patres aliquando univerſaliùs de Eccleſia Romana locutos eſſe, eò quòd per eam, Eccleſiam Occid. ſeu Latinam Orientali ſ. Græcę contradiſtinctam intellexerint, & à ſede pręcipua ac metropoli utrumque Imperium atque Eccleſia denominata ſit. Similiter *Oecumenici* titulus aliquot Papis ante Bonifacium tributus eſt; in Oriente verò, inprimis de Patriarcha CP. utpote Patriarchâ

triarchâ Urbis Imperialis, quæ caput erat τῆς οἰκουμένης, *Univerſi*, h. e. Imperii Rom. frequentiſſimus fuit, qua de re diximus ſuprà aliquid, plura exhibet Joh. le Sueur *ad ann. Chr. 595.* ubi inter alia Rectorem Academiæ CP. propterea *Doctorem Oecumenicum*, Anaſtaſio, Zonaræ & Cedreno, ubi de incendio Bibliothecæ CP. appellari docet. Jam verò Phocas Eccleſiæ Romanæ *Capitis Eccleſiarum* & Bonifacio *Univerſalis Epiſcopi* titulum, qui communis antea fuerat, ita proprium fecit, ut ab ejus communione Patriarcha CP. aliique excluderentur, & Romanus in poſterum rerum in Eccleſia potiretur ſolus. Cauſas, cur tam facilis annuerit Bonifacio Phocas, tradunt odium in Cyriacum, metumque Phocæ, ne, ob communem quâ flagrabat invidiam, Italia à ſe deficeret. Joh. Cluverus ita de hac re: *Annuit tyrannus ambitioſis Papæ poſtulatis, gnarus, quanti referret in Italia Pontificum amicitiâ niti.* Quidquid ejus ſit, Bonifacius, ut primùm voti factus compos eſt, Synodum Romæ coëgit Epiſcoporum LXX. vel LXXII. quâ concluſum, ut in poſterum vivo Pontifice de ſucceſſione ſileretur, uſque ad diem tertium, ab ejus obitu, dein citra ambitum communi operâ aptiſſimus eligeretur. Inprimis Phocæ Statutum ſancitum, definitumque, *ut Eccleſia Rom. pro Capite omnium Eccleſiarum, & Epiſcopus ejus pro Epiſcopo ſeu Pontifice Oecumenico vel Univerſali,* nequaquam autem Patriarcha CP. pro tali porrò *haberetur.* Platina addit, viſum eſſe Bonifacio, *Electionem Epiſcopi à Clero pariter & Populo fieri debere, eamque ita ratam fore, ſi à Principe civitatis approbata eſſet, & ſi ſummus Pontifex denique his verbis auctoritatem ſuam interpoſuiſſet:* (c) *Volumus,* & (d) *Iubemus.* Jus tamen ſuum utcunq; tueri ſe velle

velle Patriarchæ Conſtantinopol. etiam ſequentibus temporibus teſtati ſunt, ſervato *Oecumenici* titulo, unde perpetuum utramque inter Eccleſiam ſchiſma poſthac inceſſit, malumque paulatim factum eſt immedicabile. Sed & in Occidrnte, Gallia cumprimis, Germania & Britannia, in maximi momenti rebus, à Romani Pontif. ſententia, divortio facto diſceſſum non rarò, uti infrà paſſim videbimus. Ipſe verò Bonifacius paulò poſt deceſſit, d. 12. Nov. ann. C. 606. Sedis menſe prope 9. Phocæ anno 4. V. præter jam laudatos, Aimoinum *l.* 4. *c.* 4. Marian. Scotum *ad ann. C.* 608. Sigebertum *ad ann. C.* 607. Bedam, Adonem Vienn. *ad an.* 604. Luithprandum, Albonem Floriac. Alios, *in Bonifacio III.* Joh. Henr. Heideggerum *Hiſtoriâ Papatus Period. III.* &c. (e) Eodem anno, æmulus quoque Bonifacii Cyriacus *CPoli* eſſe deſiit, ſicque ambo in aliam mox οἰκουμένην translati ſunt: ſucceſſit Thomas Sacellarius. Cœterùm in Oriente crevit indies Phocæ ſævitia: in Italia verò quies erat, ubi proin Agilulfus R. Comitiis regni habitis, menſe Julio, Adelvaldum fil. quadriennem Regem pronuntiavit ac coronari juſſit. Exarchus verò, Ferrariam ex pago urbem egregiam munitamque fecit: quod tamen & Agilulfo alii aſcribunt, Vid. Sigonium *de Regno Ital.* &c.

II. BONI-

II. BONIFACIUS (f) IV.

Pantheon (g) *accipio, Phocâ* (h) *mihi Caſare dante,*
Atque hoc Divipara Martyribusque (i) *ſacro.*
Tempore, quo Mahomet (k) *ſecta primordia duxit*
Dira ſua, Auſonium paſcere pergo (l) *gregem* (m).

ENARRATIO.

(*f*) DUm Romæ de Epiſcopatu contenditur, Domitianam filiam Priſco Patricio Phocas junxit: verùm quòd utriuſque ſigna ſtatuis ſuis pari columnarum ordine copularentur, graviſſimè indignatus. Mox Conſtantinam Aug. cum tribus filiabus, aſylo Templi extractas, gladio percuſſit: cumque neſcio quid populi in ejus temulentiam cavillarentur, furore percitus multos necavit, alios mutilavit aut demerſit; in Proceres inprimis ſævus. Sequuta tandem poſt decem menſes, à Bonifacii III. obitu elapſos, electio Bonifacii IV. Valeriâ Marſorum oriundi, patre Medico geniti, d. 18. Sept. qui (*g*) ſub initia ſtatim Pontificatûs, *ex Pantheo, omnibus quondam Diis Romanorum* (*h*) *ſacrato templo,* (*i*) *omnium Martyrum & Mariæ virginis Rotundæ Baſilicam effecit, ejusdem indultu Phocæ, commutatâ in melius, non abolitâ, ſuperſtitione,* Joh. Cluverus *in Phocâ:* addidit dein, *Omnium Sanctorum* Gregorius IV. ann. C. 830. In Gallia verò, dum nepotes

ſuos Theodoricum & Theodebertum inter ſe Brunechildis committere, per Protadem ſuum, conatur, in hujus caput dirum conſilium exiit, anno Chr. 607. Poſt quæ Priſcus, contra ſoceri ſui ſanguinaria cœpta, Heraclii Patricii, Africi Prætoris, auxilium implorat: Perſæque Syriam, Phœniciam, Palæſtinam ſubigunt; Cappadociam, Paphlagoniam & Galatiam vaſtant excurſionibus, ac populabundi Chalcedonem uſq; procurrunt, ann. C. 608. Niceph. *l. 18. c.* 43. Antiochiæ dein Judæi excitatâ ſeditione, complures Chriſtianorum, interq; eos Anaſtaſium Patr. trucidârunt, ac cadaver illius publicè cremârunt, quæ ob facinora per Bonoſum Com. Orientis, coërciti, capiteq; aut genitalibus multati ſunt. Nec CPoli quies, ubi in Circenſibus ob cavillos ſuprà indigitatos, quos huc potiùs referas, tumultu oborto in multos ſævitum, alii prætorio incluſi, quo à multitudine incenſo captivi diffugerunt. In Gallia, cùm Theodoricus Burgund. R. ſibi ex conſilio Procerum Hermenburgim, Waterici Hiſpani filiam, junxiſſet, inter neogamos diſſidio brevi excitato Brunechildis effecit, ut nepos uxorem non ſine ignominia Patri remitteret, ann. C. 610. unde bellum ingens, quod tamen cum Theodorici jactura brevi in pacem deſiit. Ut verò nulla tyrannis vel quieta eſt, vel diuturna, Heraclius Africæ Dux, à Priſco & Gregora Patriciis adjutus, ea pacta iniit, ut, qui præveniſſet ex iis Phocam, Imperio frueretur. Prævenit Heraclius, ac navali ſuperior pugnâ urbe regiâ potitur. Photius vir illuſtris, cujus conjugem Phocas polluerat, eum vinctum exhibet Heraclio, qui dictis ejus exaſperatus calcibus in illum inſilit, detractisque ob adulteria virilibus æreo cum camino exurit. Sic peſte hac humani generis ſublatâ, Heraclius

clius Auguſt. proclamatus & à Patr. Sergio coronâ Imp. inſignitus eſt. In Italia adhuc tranquillitas, quâ bene uſurus Bonifacius Synodum LXXII. Epiſc. Monachorum rebus ordinandis, coëgit: interfuit & Mellitus paulò antè ex Anglia reverſus. In eadem, Smaragdo Exarcho ſucceſſit Johannes Lemigius, exemplo deceſſoris, pacis cum Agilulfo cultor. In Hiſpania, quòd Carthaginis Novæ Epiſcopus Toleti Præſuli ſubeſſe nollet, Synodus itidem à Gundemaro R. Toleti habita eſt, an. C. 610. fuit autem hic Viterici, qui Liubam Ricaredi fil. interfecerat, ſucceſſor. Interea Remp. tyrannide diſſolutam egregiè, ſed lentè, reſarcit Heraclius. In Gallia verò, ruptâ pace, Theodoricus, Brunechildis inſtinctu, fratrem Theodebertum imparatum aggreſſus, fundit necatq́; an. C. 611. mox ipſe à Brunechilde veneno perimitur. Circa quæ tempora (k) Mahometes Pſeudopropheta Saracenus novam ſuam Legem vulgare cœpit, cui Judæorum non pauci ſe aggregabant, Meſſiam hunc eſſe ſuum rati, ſed cùm camelo eum veſci vidiſſent, retroceſſerunt, an. C. 612. ille verò decennium integrum Meccæ, vel in vicinia, verſatus, verbis armisque nihil non egit, quò novam ſibi ſectam regnumq́; conderet, donec inde fugere coactus eſt, ut dicemus. At Perſæ, qui præter. anno quieverant, jam denuo reverſi Damaſcum capiunt. In Gallia, dum ſcelerũ Brunechildis tandem Nemeſis appropinquat, ejus pertæſi Proceres utriuſque Regni, Burgundici & Auſtraſii, Clotario II. clam evocato, illum Regem ſibi conſtituunt, ac in manus ejus Brunechildem tradunt, ann. Ch. 613. Quo pacto ille universâ iterum Franciâ, quam proavus illius Clodoveus Magnus poſſederat, potitus, regnum ſuum à juſtitiæ adminiſtratione auſpicaturus, Brunechildem, tum

aliorum immanium ſcelerum, tum *Regicidii decuplicis* ream in Comitiis peractam, camelo priùs impoſitam oſtentui circumduci, inde *ferocium equorum curſu diſcerpi* juſſit: Componendo dein ornandoque regno incubuit, jam tum cognomine *Magni*, quod poſtea ei impoſitum eſt, non indignum ſe oſtendens. Circa quæ, Heraclius Imp. inceſtis ſibi nuptiis junctâ Martinâ, fratris ſui filiâ, indignationem Dei irritavit, quæ & in poſteros, ut ſolet ejusmodi in crimine, deſæviit. (*l*) Romæ verò obiit Bonifacius, d. 8. Mai, ann. C. 614. Sedis ann. 6. m. 8. d. 13. Heraclii Imp. anno 4. V. Paulum Diac. *l.* 18. Marianum Scot. *ad ann.* 610. Sigebertum *ad ann. C.* 609. Adonem Vienn. *ad ann.* 604. Bedam *de VI. ætat. Mundi ad ann.* 4557. Anaſtaſium Bibl. Platinam, Luithprandum, Albonem Floriac. Alios *in Eo*, &c. (*m*) Illo Romæ ſedente, *CPoli*, ſacra curavit, poſt Thomam Patr. extinctum ann. C. 608. Sergius. *Alexandriæ*, Eulogius obiit, ſucceſſore Theodoro, anno eod. quem Johannes Eleemoſynarius excepit, anno C. 610. *Antiochiæ*, Anaſtaſio à Judæis, ut diximus, occiſo, anno Chr. 609. ſurrogatus eſt cognominis Patr. *Hieroſolymis*, Amoſum Zacharias excepit, ann. eod. Præter quos illuſtres tum fuere, Columbanus Scotus, Pictorum Apoſtolus; ejusque diſcipulus Gallus, qui Helvetios convertit, circa ann. C. 612. Jonas item, Scotus itidem, &c. At Mahometes, è Chriſtianiſmo, Judaiſmo, ac Ethniciſmo, inuſitatum Religionis chaos ſtruxit, illaqueandis indoctis & ſimplicibus, ac deliniendis voluptatum ſectatoribus aptum, Vid. ſuprà: & plura hanc in rem apud Joh. le Sueur *in Bonifacio IV.*

III. DEUS-

III. DEUSDEDIT, ſeu DEODATUS (n).

Sex iterum menſes (o) Sedes Romana vacavit,
Cùm me Paſtorem grex (p) jubet eſſe ſuum.
Succedo huic oneri, defungor munere, patres
Suſcipere è ſacro pignora fonte (q) veto (r).

Enarratio.

(n) NOnnullis etiam *Theodatus* & *Adeodatus* E Romanus, fil. Stephani Subdiaconi, (o) poſtquam Cathedra Romana 6. iterum menſes præſide caruiſſet, (p) illam nactus eſt, d. 13. Nov. ann. C. 614. Heraclii Imp. 4. Interea Perſæ provincias Imperii vexare non ceſsârunt, quin pergens Coſroës, expugnatâ Hieroſolymâ, infinitam Chriſtianorum multitudinem perdidit, ferturque, Judæos vili pretio commercatos ſanguinem Chriſtianorum ad 90. m. captivorum occidiſſe. Ipſum Crucis lignum, quod Hieroſolymis hactenus adſervatum dicebatur, & Zacharias Patr. captivitatem ſubiere Perſicam: quo tempore Johannis Patr. Alexandrini erga profugos mira fuit benignitas. Heraclius verò facinore Judæorum irritatus, inſuperque, ut Aſtronomiæ addictior erat, edoctus ab Aſtrologis, *Imperium ſuum à circumciſa gente vaſtandum*, coëgit eos abjurare perfidiam, & Chriſtiana ſacra ſuſcipere, reluctantes undique ejecit; vetans quoque eos, intra 3. milliaria appropinquare Hieroſo-

roſolymæ, ut infrà videbimus. Quod ipſum Siſebutus in Hiſpania & Dagobertus poſtea Francorum R. in Gallia fecere, *quem zelum vocat Dei* Iſidorus, *ſed non ſecundùm ſcientiam*, in *Chron*. Nec porrò in Italia quies, avaritiâ Johannis Exarchi, & Johannis Compſini Duc. Neapolit. rebellione interturbata: acceſſit terræ motus & lues ingens, ac Langobardis à Cagano Hunnorum Rege clades in Foro-Julio non una illata. Quare Johanni Eleutherium ſubſtituit Imperator, prudentiâ & armis validum. In Anglia, Ethelberto Cantuar. R. defuncto, fil. Edualdus, Chriſtianiſmo ejurato, in ejus confeſſores ſæviit, pòſt tamen facti pœnitens. Sabareti ſimiliter Eaſt-Saxon. R. filii ad paganiſmum revoluti, Chriſtianis graves fuere. Quæ cauſa, quòd Mellitus & Juſtus, magni nominis Præſules, tum in Franciam ſe receperint, ann. C. 615. quo ipſo Secundus Epiſc. Tridentinus, ſanctitate ac zelo inclytus, deceſſit. Poſt quæ Perſæ arma in Ægyptum protulere, captaque Alexandria, totam Ægyptum & Libyam, uſque ad Æthiopes ſubegere, ditatique immenſa præda ad ſuos remeârunt fines. In Italia, Agilulfo Langobard. R. mortuo fil. Adelvaldus, jam priùs regni conſors, ſucceſſit. Eleutherius verò, punitis qui Johannem occiderant, & Duce Neapolitano victo ſupplicioq; affecto, in idem mox crimen lapſus eſt, cumque Heraclium alibi occupatum videret, Italiæ Regem ſe venditare non eſt veritus, ann. C. 616. At Romæ, deceſſit Deusdedit d. 8. Nov. an. C. 617. Sedis ann. circiter 3. Heraclii 7. Hiſtoricis parùm notus. (9) Conſtituiſſe tamen dicitur, *ut, ſi parentùm alter unum ex liberis ſuis è ſacro Fonte ſuſceperit, matrimonium diſſolvatur, nec niſi anno exacto illud* cum aliis *redintegrari poſſit, Epiſt. Decretali*, quæ illi adſcribitur; ſed

ſuppo

ſuppoſititiam hanc quoque eſſe Blondellus docet: (*r*)Plura V. apud Anaſtaſium Bibl. cœteroſque *Pontificum* enarratores, Baronium *in Annal.* Alios.

IV. BONIFACIUS (ſ) V.

Ut clavum admiſi juſſus, ſumpſiq; (t) regendum,
Direxi cymbam fluctibus abſque meam.
Sed loca tuta reis conceſſi templa (u) ſacrata,
Dum Mahomet (x) celebrem corripit ille (y) fugam (z).

ENARRATIO.

(*ſ*) NEapolitanus, (*t*) in Deodati locum ſuffectus eſt, d. 14. Dec. ann. C. 617. Heraclii Imp. 7. quare Eleutherius, qui diu vacaturam Sedem, atque interea urbe Româ facilè ſe potiturum fruſtra ſperaverat, dum militibus ſuis blanditur, ſcelus abominantibus, captus ab illis ac capite truncatus, d. 24. ejusdem menſis: caput dein Heraclio miſſum eſt. Circa quod tempus, capta à Perſis Carthago & direpta. Matiſcone verò in Burgundia, Synodus habita, contra ſucceſſorem Columbani Euſtaſium, quem ad exemplum deceſſoris barbam raſam, aliaque, præter morem tum uſitatum, Monachi ſibi imperâſſe quiritabantur, ut apud Baronium videre eſt. Columba nempe ſ. Columbanus ex Hibernia in Galliam, comitatusque S. Gallo in Helvetiam pervenit, ubi cellam hic, futuri Monaſterii inſignis rudimentum, poſuit, anno Chr. 617.

De pace dein, per Legatos, compellatus ab Heraclio Coſroës, ſucceſſu ſuarum rerum ebrius reſpondit, *nunquam ſe parſurum Chriſtianis, niſi Crucifixum inficiati Solem adorarent:* ſed audiit hoc, cujus ille confeſſores extinctum ibat, & ultus eſt, ut videbimus. Quia verò plurimi erant, qui, ut ab oneribus variis immunes eſſent, Clero nomen dabant, Lege latâ obviàm Heraclius ivit, anno C. 618. Poſt quæ Cagani inſidiis tantùm non oppreſſus Imperator: Iſaacium in Italiam miſit, Exarchi munere functurum, cui cum Romanis ac Bonifacio ſat bene convenit. Bonifacius autem audito, in Anglia Eccleſiæ res bene habere, Juſtum Roceſtriæ Præſulem miſſo Pallio Archiepiſcopum ac Vicarium in illo regno ſuum conſtituit: moxque (*u*) conſuetudinem, jam nimiùm inolitam, *de ſecuritate etiam ſceleratorum maximè hominum in ædibus ſacris*, novâ Conſtitutione confirmavit. Quo tempore Siſebuti R. auſpiciis Hiſpali, præſide Iſidoro, Synodus celebrata: ipſe autem paulò pòſt extinctus eſt, Ricaredo II. fil. ſucceſſore, ann. Ch. 619. At nondum ceſſârunt Imperio graves eſſe Perſæ, denuoque in Aſiam min. ac præcipuè Galatiam irrumpentes Ancyram expugnârunt, ulteriusque progreſſi Chalcedonem uſque, nemine obnitente, omnia infeſta habuerunt. Haſce tantas calamitates attraxerat Imperio Phocas, quòd, indigniſſimâ Mauritii filiorumque ejus nece, Coſrois amici illius animum efferâſſet, Chriſtianis interim plerisq; verbum divinum ac fas omne conculcantibus, ann. C. 620. Ne tamen ludibrio eſſet hoſtibus nomen Chriſtianum, indutus tandem zelo Dei Heraclius, ann. C. eod. compoſitâ quomodocunque Avarum pace, exercitus Europæos in Aſiam tranſtulit, ac

detracto

detracto etiam templis auro, quod daret militibus, profectus eſt in Perſas, Theophanes & Cedrenus. Quo tempore in Hiſpania Ricaredo II. extincto Suintilla ſucceſſit, Viſigothorum R. qui primus, pulſis undique Romanis, totâ Hiſpaniâ potitus eſt, ann. Ch. 621. Iſidorus *Chron. Goth.* Coſroës verò audito, in ſe ire Heraclium, conatus ejus adeò contempſit, ut non Chriſtianos ſolùm, ſed & Deum, quem illi adorarent, viciſſe ſe blaſphemo ore gloriaretur. At Heraclius, hortatus ſuos, *ut memores Dei ac injuriarum, quas Barbari intuliſſent cultoribus ejus, pietatem juſtitiamque ſectarentur*, improviſus Armeniam intravit, coactumque pugnare Sarbarum ducem hoſtilis exercitus acie devicit, & caſtris exuit. Dum in Gallia Clotarius Pipinum, Brabantiæ Ducem & Magiſtrum Palatii creatum, eouſque evehit, ut in ipſum regale culmen poſteris ejus facilis aſcenſus inde eſſet. In Aſia verò (x) Mahometes, decennio poſtquam prima impietatis ſuæ per Arabiam Deſertam ſemina ſpargere cœpiſſet, Meccâ urbe pulſus, inde clam aufugit in vicinum oppidum *Iathreb*, quod exinde appellatum eſt *Medina Talnabbi*, h.e. *Civitas Prophetæ*, d. 19. Jul. quæ Veneris erat. Atque (y) ab hac *fuga* computatur initium æræ Saracenorum, quam *Hegiram* ſive *Hiczram* propterea vocant: niſi malis vocis nomenclationem ab *Hagare* deducere, Agarenorum ſeu Saracenorum matre. Utuntur autem annis Lunaribus, dierum 354. cum horis octo, & ab eo tempore Veneris diem præcipuum habent, atque circumciſionem, tanquam ab Abrahamo acceptam, hodieque ſervant, ann. C. 622. Vid. & paulo infrà. Pulſus ab Heraclio petiit habitandi locum, brevique hominum concurſu auctior, Arabum Saracenorumque

Princeps cœpit haberi. Interea Heraclius premere Coſroëm & Gazacottâ, ubi templum Igni ſeu Soli ſacrum, & immenſa auri vis, Coſrois inſuper in mirabili ſua ſphæra imago, potiri, ipſum quin etiam Mediæ ad uſque fines perſequi: in obvia quæque, lucos inprimis, in quibus Ignem ſuum venerabantur Perſæ, ferro & igne graſſatus. Q..o ſucceſſu lætus, gratias Deo cum exercitu ſolemnes egit, &, cùm in Albania hybernaret, 50. millib. captivorum liberaliter dimiſſis, hoſtium quoque benevolentiam metuit, ann. C. 623. Triplici inde exercitu à Coſroë petitus, Lazis aliiſque jam recedentibus, cauſæ tamen ſuæ & Deo confiſus, contra ſpem denuò victor, ann. Ch. 624. Martyropolim & Amidam uſque promovit, ac Euphrate trajecto Samoſatam Adanamque expugnavit, & prodigioſæ magnitudinis barbaro, in utriuſque exercitus conſpectu, ex facili proſtrato ac de ponte, quem is tuendum ſuſceperat, in ſubterlabentem fluvium præcipitato, inſignem rurſus de hoſte victoriam reportavit. Circa quæ tempora, Dagoberto Auſtraſiæ regni, quod à Clotario patre acceperat, acceſſionem petente, reque XII. Procerum Francorum arbitrio utrinque commiſsâ, pro filio contra patrem pronuntiatum eſt. Romæ verò Bonifacius obiit, ann. C. 625. Sedis ann. 7. m. 10. juxta Baronii calculum, qui, poſt Bonifacium, 6. iterum menſes eam vacâſſe docet: Heraclii Imp. anno 15. non magis Hiſtoricis, quàm Deceſſor ejus, notus; quod idem miratur, laudant alii. V. Bedam, Anaſtaſium Bibl. Platinam, Alios: porrò Fredegarium, Aimoinum *l. 4. c. 8.* Paul. Diaconum, &c. (z) Illo Romæ ſacra curante, *CPoli* Sergius adhuc præfuit, cui, ut & Bonoſo Patricio, filii Imperiique curam, Heraclius

raclius

raclius contra Perſas profecturus, commendavit anno C. 622. *Alexandriæ*, Johannem Eleemoſynarium, vitæ ſanctitate & eleemoſynarum, unde ei cognomen, largitate, illuſtrem, excepit Gregorius nepos, ann. C. 621. Zacharias *Hieroſolymorum* Patr. in Perſica captivitate adhuc detinebatur. In Gradenſi Eccleſia Epiphanio Fortunatus ſuffectus eſt, ann. C. 625. quo ipſo Mellitus quoque, Cantuariæ in Anglia Præſul, deceſſit. Præter quos Arnulfus, Epiſc. in Gallia Metenſis, *Domeſticus* priùs Clotarii II. & ex Doda fil. Bononiæ Com. Clodolfi ac Anſigiſi pater floruit, ann. Ch. 619. de quo Gaguinum vide. In Britannia, Eduinus Northumbriæ R. ductâ Edelburge fil. Eduald Cantuar. ab illa Chriſtianiſmi ſemina hauſit, Beda ann. C. 623. De ſtatu Eccleſiæ, ſub Heraclio Imp. vidimus. In Oriente verò non jam Hæreſis aliqua aut ſecta, ſed totius Chriſtianæ fidei occurrit excidium, ac in locum Chriſti Salvatoris, Impoſtor flagitioſiſſimus ſucceſſit & deplorandâ proſperitate novam ſuam ac blaſphemam religionem per univerſum fere orbem diſſeminare cœpit, impurus Mahometes. Qui ad novam hanc ſuperſtitionem condendam variis uſus eſt adjutoribus, partimque ex Judaiſmo, ac Gentilium erroribus, partim ex Neſtorianiſmo & Eutychianiſmo, monſtroſa ſua conflavit dogmata: præcipuè adjutus à Sergio Mon. Ariano & Eutychiano, Abdia it. Judæo, quibus materiam conferentibus prodiit novus ille Religionis Canon, quem *Alcoranum* appellant, cui *Azoara* acceſſit & *Dialogus Muſulmanni cum Iudæo*, gentis oracula, de quibus V. Joh. le Sueur *ad ann. C. 612. 622. & 623.* Georg. Hornium *Hiſtor. Eccl.* Alios.

V. HONORIUS (a) I.

Romuleis Petrum (b) *conceſſu Cæſaris* (c) *orno*
Exuviis (d), *Chriſto ſed nego velle* (e) *duplex.*
Hinc ſucceſſori (f) *damnor, Patribuſque coactis* (g).
Me Mahomet (h) *creſcit meq; ſedente* (i) *perit* (k).

ENARRATIO.

(*a*) CAmpaniâ Italiæ oriundus, Petronii Viri Conſularis fil. Bonifacium ſexto pòſt menſe excepit d. 13. Mai ann. C. 626. Heraclii Imp. 16. Ut verò cathedram conſcendit, mox (*b*) Baſilicam Petri (*c*), Heraclii conceſſu, (*d*) tegulis æneis, quibus hucuſque Romuli templum contectum fuerat, exornavit. In Langobardia dein, cùm ob tyrannidem in XII. Primores Adelvaldi, huic Ariobaldus Arianus, (cui uxor Gundeberga Agilulfi filia) ſurrogatus eſſet, Theudolindæ rogatu, apud Iſaacium Exarchum inſtitit, ut Adelvaldum vi armatâ reſtitueret. Ulteriuſque progreſſus, per eundem Epiſcopos Transpadanos, ut Romam irent ac ſibi rationes deſerti Adelvaldi redderent, adigere voluit. Manſit nihilominus Ariobaldo regnum, cui cum Romanis, fœdere inſtaurato, ſat bene convenit. In Oriente verò, Coſroës furens, quòd ab Heraclio premeretur, expilavit templa ſuæ ditionis Chriſtianorum.

norum, coëgitque eos Neſtorianiſmum, qui jam antè Armenios tenebat & Georgianos, amplecti. Atque ut undique bello circumdaret Cæſarem, miſſis ad Avares, Bulgaros, Gepidas & Sclavinos, nuntiis, paciſcitur cum eis de invadenda CPoli. Id cùm gnarum eſſet Heraclio, partitus & ipſe copias, in auxilium vocat Turcos, quos *Chazaros* nominabant, ad 40. millia. Obſidetur ergo CPolis, ab infinitis Barbarorum copiis, ſed miro Dei favore, poſt decem dies, ignominioſâ fugâ diſſipantur : dum alibi Saïnus quoque Coſrois Dux , prælio cum Theodoro Heraclii fratre, grandine potiùs cœlitus delapsâ, quàm hoſtium armis, ſuperatur, anno C. 626. At Turcæ auxiliares, quòd crebros Perſarum inſultus non ferrent, ſenſim ſunt dilapſi : quo Heraclius magis animatos ad fiduciam milites, ad Niniven uſque deduxit, acerrimoque prælio fuſis hoſtibus, Razate etiam duce & multis principibus interfectis, Ferias Natalitias egit in Aſſyria. Coſroës ſemet incluſit Seleuciæ, cum uxoribus, liberis & quidquid pretioſiſſimum habebat : ac Anaſtaſium Perſam Mon. in Palæſtina captum atque inde à Præfecto provinciæ ad ſe miſſum, martyrio affecit, Cedrenus *Hiſtor.* dum in Italia, Theudolinda, pro veritate zelo & Baſilicis compluribus ac Monaſteriis magnificè exſtructis inclyta, quòd in ordinem ſe redactam videret, præ mœrore obiit: in Anglia verò, Eduinus præfatus, à Paulino Presb. in Fide pleniùs inſtructus, Baptiſma ſuſcepit, Paſchatis die, anno Ch. 627. Interea Sarbarus Perſa Chalcedonis obſidioni inhæreſcit, quem cùm per collegam Chardarigam interfici, tanquam cum Heraclio ſentientem, juſſiſſet Coſroës, implevit confuſionis Perſas. Comprehenſo enim à Romanis

internuncio ac re vulgatâ, Heraclius offert pacem Coſroi: quam cùm repudiaret tyrannus, facilè auxit Cæſar in majus ejus odium. Mox Gundabundas Sarbari Chiliarchus transfugit ad Romanos, ac plerique duces Siroï ſe applicuerunt primogenito tyranni, quem ille privare hæreditate, ac Mardaſanem, Syrâ uxore genitum, diademate ornare conſtituerat. Ab iis Siroës Rex lectus, ſubitò oppreſſit patrem, fugientique catenas injecit: congeſtis deinde auri & gemmarum acervis, *ob hæc*, inquit captivo, *Romanos in Perſas conciâſti, tantumque fudiſti ſanguinis: Fruere ergo divitiis tuis*. Sic fame maceratum ad quinque dies, Mardaſane cœterisque filiis in conſpectu ejus priùs jugulatis, ſagittis illum configi juſſit, *dignum vaſtatore mundi exitium, ut, qui in Romanos, à quibus regnum receperat, tam ingratus extitiſſet, ab eo vita pariter ac regno privaretur, qui ſuam ipſi vitam deberet.* Facilè inde inter Heraclium & Siroën de pace convenit, ac reſtitutis utrinque captivis & quæ bello occupata fuerant, lignum quoque Crucis receptum, & Zacharias Præſul Hieroſolymitanus, ſeptimoque anno Imperator triumphabundus de victis Perſis partaque pace, CPolim introivit. Circa hæc tempora Mahometem, jam ſatis validum, Heraclio de ſucceſſu gratulatum eſſe, atque ab eo quædam in Perſia loca habitanda accepiſſe, tradunt Auctores. In Italia autem Gundebergæ caſtitas, duello, more Langobardorum, probata eſt: dum in Gallia Clotario II. Dagobertus I. fil. ſucceſſit, qui Chariberto fratri Aquitaniam colendam dedit, anno C. 628. At dum in Arnulfum Metenſem, cujus ſuprà meminimus, & Pipinum Palatii Mag. regiminis onere devoluto, aliàs bonis Legibus latis & pauperum curâ, Baſilicis inſuper

variis,

variis, Sandionyſiana præcipuè, poſtea Regum mauſolęo,magnis impenſis exſtructâ clarus,Dagobertus,luxui ſe dat ac pellicibus indulget,ab Amando Epiſc. Pariſienſi liberè increpitus eum pepulit, qui inde in Belgium delatus, Gandavi ſuperſtitiones confutavit ethnicas, pòſt annitente Pipino, & Nantilde remotâ, à Dagoberto revocatus. Judæos dein Rex, monitu Heraclii, cum quo illi amicitia, publico Edicto ad fidem amplectendam compulit. At in Perſia, Siroë mortuo, continuæ de regni ſucceſſione contentiones obortæ, Saracenis illius occupandi oſtium aperuerunt,ut dicemus infrà. Heraclius verò,Cruce ac Zachariâ Patr.Hieroſolymam reductis,inde Judæos exturbavit, ad tertium milliare propiùs urbi in poſterum accedere prohibitos. Atque tum *Exaltationis S. Crucis* feſtum, quod in Eccleſia Rom. celebratur d. 14. Sept. inſtitutum ferunt. Inde in Syriam tranſiens Imperator, Edeſſæ aliquandiu ſubſtitit, ibique auditis Francorum Indorumque Legatis, Neſtorianos urbe pepulit. Ulterior mora damno fuit, ex Athanaſii enim Syri (alii *Anaſtaſium* vocant) converſatione ac colloquio, hæreſeos labe aſperſus eſt. Fuit is Jacobitarum Caput ſeu Patriarcha, homo eloquens,ſed Eutychetis erroribus deditus, cui promiſit Imperator Sedem Antiochenam, ſiquidem Concilium Chalcedonenſe reciperet, & duas in Chriſto naturas inconfusè unitas confiteretur. Quod cùm Athanaſius ſe facturum polliceretur, in eodem colloquio facta porrò mentio eſt *unius in Chriſto voluntatis*, de qua cùm Imperator Cyrum Phaſidis priùs, tum verò Alexandriæ, & Sergium Conſtantinopolitanum, Epiſcopos conſuluiſſet, *eſſe unam in Chriſto voluntatem unamque operationem*, reſpon-

reſponderunt; quibus aſſenſu præbito Imperator omnem operam reliquo vitæ Imperiique dedit, ut errorem cunctis obtruderet. Hæc *Monothelitarum* origo eſt, qui, oretenus duas in Chriſto naturas confitentes, duas item voluntates ſeu volendi facultates, *unam* tamen ſolùm *volitionem* ſeu operationem admittendo, veram Naturarum diſtinctionem ſuſtulerunt, anno C. 629. Vid. *Diſputationem* Maximi cum Pyrrho, it. *Epiſtolas* Cyri, Sergii & Honorii, lectas in Concilio VI. Occum. de quo infrà, ut & ipſius Concilii *Acta*; de Jacobitis verò paulò pòſt. Sequutus Mahometis interitus, qui in nonum annum mirè propagatâ ferro & fraudibus ditione ac ſectâ ſuâ, conſtitutiſque IV. Amiris, ad expugnandos Chriſtianos, dolo uxorum ſuarum periit, Meccæ, d. 17. Jun. ann. Chr. 631. vitæ 63. Hegiræ 10. Heraclii Imp. 21. Abubecro ſucceſſore. Quo tempore & Suintilla Gothorum in Hiſpania R. à Siſenando, opibus Dagoberti & Chariberti, de regno dejectus eſt: Heraclius verò in otium ac vanas diſquiſitiones revolutus, Eccleſiam, Monotheletiſmum acriter obtrudendo, magnopere turbavit, ac Saracenis Perſiam aliaque invadendi, occupandique tandem, occaſionem præbuit. Abubecri namque dux Oſmanes, Perſarum inter ſe diſſidiis animadverſis, Hormiſdam cogn. *Iezdegirdem*, Siroïs fil. validâ mox cum manu aggreſſus fudit, necavit, regnumque, tot Regum ſceleribus grave, ad aliam prorſus gentem aliamque fidem tranſtulit, d. 16. Jun. à quo *Æra* proin *Iezdegirdæa*, quæ potiùs ab Oſmane appellanda fuiſſet, originem ducit, ann. C. 632. Inde tantâ acceſſione Saraceni aucti, in Palæſtinam irruptione factâ, regiones Gazæ ac Sinæ montis aditus occuparunt, fruſtra obnitente

nitente Præfecto Cæſareæ Palæſt. rarumque in multos prædones militem armante. Acinacis tum ſpecie apparens cometa ſequutura bella cœlitus portendit: dum in Anglia, poſt Eduinum cæſum, ſubverſa in Northumbriæ regno Chriſtiana religio, at brevi Oſwaldo ſucceſſore reſtituta eſt, qui accitis è Scotia Presbyteris Epiſcopisque eorum conciones ipſe ſubditis ſuis, linguæ parùm gnaris, eſt interpretatus. In Hiſpania verò, Concilio IV. Toletano, juſſu Siſenandi R. præſide Iſidoro Hiſpal. congregato, inter alia *vis contra Judæos* prohibita, & *Clericis legitimum conjugium, non autem ancillarum conſortium*, conceſſum eſt, teſte Læto. Ex ejusdem *Can. 6. 7. 17. & 55. communio ſub utraque*, & *Can.* 10. *abſtinentia à vino*, tempore Quadrageſimæ uſitata, perſpicua. At Hæreſis Monothelitarum, quæ hactenus inter privatas concertationes fluctuabat, nunc primùm, Synodo à Cyro Alexandrino coactâ, publicè ſancita ſicque novum eridos pomum in Eccleſiam Dei conjectum eſt: Sophronio Damaſci Epiſc. mox ſeſe edito ſcripto acriter opponente, ann. C. *633*. Quod ægrè Cyrus ferens Sergio CP. rem aperit, qui ambo paulò pòſt, literis ad Honorium datis, ut ſententiam hac ſuper re promere haud gravetur rogant, eumque in partes pertrahere nituntur. (*e*) Is gemino reſponſo ad Sergium, non eſſe utendum his terminis, *una voluntas ſola, aut operatio ſola*, ſed nec dicendum, *duas eſſe voluntates aut duas operationes in Chriſto*, repoſuit: quo ipſo medio poſtmodum Conſtans Imp. & Paulus Patr. edito Typo, litem componere voluerunt, ut infrà videbimus, & clarè patet ex *Epiſt.* Pauli, in Synodo Lateran. ſub Martino I. relatâ, ac ipſius Honorii *Reſponſo* Catholicis dato, ad objectiones

ctiones illorum. (*f*) Unde Leo II. & (*g*) Concilium VI. Occum. Honorium paſſim Monothelitis accenſent, ac ipſe Baronius, Honorium Sergii literis ſubſcripſiſſe fatetur, *ad ann. C. 613.* §.16. & 32. Cl. Heideggerus hac de re ita: *Honorius in Monotheletarum hæreſin lapſus, errorem ſuum literis ad Sergium CP. datis & in Synodo Sexta Univerſali, actione XII. & XIII. prolatis, omniumque Patrum judicio igni damnatis prodidit. Anathemati proin etiam in Synodo Nicæna II. actione ult. nec non in VIII. ab Adriano Papa ſubjicitur -- Licèt verò ab Hæreſeos nota liberare eum Bellarminus conetur, à doctiſſimo tamen nuper Sorboniſta Launojo, Epiſtolis ea de re editis, ejuſdem reus apertè peragitur.* Triſtis itaque tum Eccleſiæ facies, cùm omnes Patriarchales Sedes, Hieroſolymitanâ exceptâ, in Monothelitarum caſtra conceſſere. Dum interea Ebubceri ſucceſſor Homar Arabiam aggreſſus Boſram urbem capit, Theodorumque Heraclii fratrem Edeſſam uſque fugat. Heraclius, Cruce, & quidquid pretioſum porrò, Hieroſolymis CPolim reportato, duos opponit Saracenis duces, quibus victis Damaſcum occupat Homar, & Chriſtianos, virtute eorum motus, bene habet, ipſe etiam templum exſtruit, illis uſui futurum, inde Phœniciam rapit, ann. Chr. 634. ac in Ægyptum profert arma, eamque tributo ſubdit, ann. C. 635. Hieroſolymam poſt hæc, biennio jam obſeſſam, in poteſtatem ſuam redigit, quum Sophronio Epiſcopo ac totius Palæſtinæ Chriſtianis ſecuritatem promiſiſſet: à quo tempore in Saracenorum poteſtate urbs manſit, uſque dum à Godofredo Bullion. iis denuo eſt erepta. Circa idem tempus Siſenando, in Hiſpania, Chintilla ſucceſſit. In Anglia verò, Kinegildis Weſt-Saxonum R. ad Chriſtum converſus eſt, Eaſt-

Eaſt Saxonibus mox exemplum illius ſequutis. In Scotia, Focardus R. itidem Chriſtianus deceſſit, Donaldo fratre ſucceſſore, ann. C. 636. Antiochiâ dein expugnatâ totius Syriæ evaſere domini Saraceni, Muhaviâ Prætore ſeu Amirâ, ab Ægypto ad Euphratem ordinato, ſicque mirâ rerum viciſſitudine Heraclius Imperator, qui, potentiſſimâ tum Perſarum gente devictâ, ad ſummum magnitudinis culmen Imperium evexerat, ſex ſeptemve annis vix elapſis, quidquid in Perſia, Meſopotamia, Ægypto, Africa, Syria & Terra S. poſſidebat, periiſſe vidit, omni recuperationis ſpe ademptâ, ann. Chr. 637. Sequuta Synodus Toletana VI. in Hiſpania, in qua *Chriſtianiſſimi* titulo Chintillam R. indigitatum legimus. Langobardis autem, poſt Ariobaldum, Rotharis, Gundebergæ judicio lectus, imperare cœpit, Arianâ quidem hæreſi infectus, ſed neutiquam Catholicis gravis, & Iſaacii Exarchi victor. V. Paul. Warnefridum *Hiſtor. Langob. lib. 4. cap.* 44. At Romæ Honorius, quo vivo (*h*) crevit (*i*) periitque Mahometes, uti vidimus, deceſſit, d. 12. Octobr. ann. Ch. 638. Epiſcopatûs ſui anno 12. m. 5. Heraclii Imp. anno 28. *bonus vir, ſed malus Papa & Paſtor negligens*, Wicelio. Baſilicam Petri, ut diximus, tegulis æneis intexit, & alterius Baſilicæ portas argento obduxit. Tum enim ſtudium id Pontificum eximium, magnifica Templa, ſacella, ſtatuas, extruere aliisque περιεργίαις operam navare; ad exteras regiones quosdam à latere ablegare, ceremonias ritusque Romanos, ac præcipuè Primatum Papæ, ſuffragatione Phocæ collatum, populis obtrudere: cùm priſci Eccleſiam Dei vivæ vocis præconio ædificare & lapides vivos undique con-

congerere, curæ habuerint unicæ, Heideggerus *Eccl. Rom. Periodo III.* plura de Honorio V. apud Photium *in Bibl.* Concil. *Tom. II.* Pſellum *de VII. Synod.* Melchiorem Canum *Loc. Commun. lib. 6. cap. 8.* Anaſtaſium, Platinam, Ciaconium, Alios *in Eo.* (k) Illius ætate, *CPoli*, Sergius adhuc præfuit: *Alexandriæ*, Georgio extincto ſucceſſit Cyrus ann. C. 618. *Antiochiæ*, Athanaſius Præſulatum ab Heraclio adeptus eſt, ann. Chr. 629. omnes hæreſeos Monothelitarum fabri ac promotores. *Hieroſolymis*, Sophronius Patriarchatum nactus, ann. Chr. 633. paulò poſt captam urbem obiit, ann. C. 636. à quo ſeries illorum Præſulum incerta. Mediolani Aſterius, Ravennæ Bonus, & Maximianus Aquilejæ, ſacra curare cœperunt, anno Ch. 628. Præter quos floruere tum Georgius Piſides Diaconus CP. *Hexaëmeri*, & *Hiſtoriæ belli Perſici ab Heraclio geſti*, jambis contextæ, auctor, ann. 627. Joh. Moſchus, auctor *Prati Spiritualis*, cujus *cap. 18.* animam mulieris piæ, ſepulchri effractorem ſic alloquentem, *Quo corde, quibus manibus, accipies ſanctum ac pretioſum corpus & ſanguinem D. N. I. C.* introducit, ann. Ch. 635. Anaſtaſius Sinaita Mon. & Maximus Abbas CP. è quorum Scriptis illius ævi Eccleſiæ *de S. Euchariſtia* ſententiam probat Joh. le Sueur *ad ann. C. 637.* uti ex Iſidoro Hiſpal. *ad ann. C. 636.* De ſtatu Eccleſiæ ſub Heraclio, vidimus. In Hiſpania, ab Arianis martyrium paſſus eſt Vincentius Abbas, ann. C. 630. De Hæreticis quoque ſat diximus: addam de Jacobitis verbum, quorum Patr. ſeu Catholicum Athanaſium fraude Sedem Antiochenam invaſiſſe & primum Monothelitarum hæreſeos patrem extitiſſe, dictum ſuprà. Nomen iis à Jacobo, ob tenuitatem *Zanzalo* dicto, qui Arme-

niam

niam Syriamque, unde oriundus erat, Severiani & Eutychiani dogmatis, ſub finem ſeculi præt. implevit ita, ut ad hæc uſque tempora ſecta duret; Patriarcham enim Amidæ habent, & Hieroſolymitanus quoque Præſul Jacobita eſt, uti docent, qui illis in partibus fuere. Vid. iterum le Sueur *ad ann. Chr. 630.*

VI. SEVERINUS (l).

Vix admotus eram clavo (m), *Laterana fœtatur* (n)
Ædes, ac ſacra (o) *diripiuntur opes.*
Ecthesis (p) *acceſſit rejecta, & Cæſaris ira* (q);
Aſtra igitur properè (r) *diaque tecta peto* (ſ).

Enarratio.

(*l*) Romanus, in Honorii locum ſurrogatus eſt, anno C. 639. Heraclii Imp. 29. quo (*m*) vix Eccleſiæ Rom. curæ admoto (*n*), Iſaacius Exarchus, certior à Mauritio Urbis Præf. factus, Honorio Papæ congeſtós in Laterano (*o*) pecuniarum theſauros, argenteam item aureamq; ſupellectilem, jam à multo tempore inibi adſervatam, ſibi rapuit, parte Mauritio attributâ, parte in militum ſtipendia conſumtâ, aut Imperatori transmiſsâ. Quo tempore, Sergius Patr. CP. coactâ Synodo, Monothelitarum hæreſin ibi quoque publicavit, eamque in rem *Ecthesin* edidit, nomine Imperatoris; (*p*) cui cùm Severinus ſubſcribere nollet, Heraclius electionem

nem ejus ratam ſe habere negavit. Is verò, toto Pontificatûs ſui tempore valetudine minùs firmâ uſus, tum verò (*q*) indignatione Imperatoris non parùm afflictus, (*r*) paulò pòſt mœrore animi obiit, d.4. Aug. ann.C.639.præf. Sedis m.6. quem brevi Sergius inſequutus eſt: dum Saraceni, Edeſſa captâ, & Daris expugnatis, totam Meſopotamiam ſuam fecerunt. Vid. Anaſtaſium, Platinam, cœteroſque. (*ſ*) At *CPoli*, in locum extincti modò dicti Sergii Patr. Pyrrhus ſucceſſit, homo chamæleontis inſtar variabilis, omniq́ue pietate caſſus, ac Monothelitarum erroris, non minùs ac Deceſſor fuerat, acerrimus propugnator, de quo V. Joh. le Sueur *ad annum C.639.* & *ſeqq.*

VII. JOHANNES (t) IV.

Aſt pergo intrepidus (u), *voco Patres* (x),
damnoq́ue Scriptum (y),
Atque Afros (z) *fratres in mea caſtra trabo.*
Captivos redimo ſacro (a) *feliciter are,*
Et viva ædifico quàm bene templa (b)
Dei (c).

ENARRATIO.

(*t*) DAlmata, fil. Venantii, cogn. *Scholaſticus*, præc. quidem anno electus, ſed Kal. demum Januar. ab Imperatore confirmatus, (*u*) nihil antiquius habuit, quàm ut, (*x*) Synodo quàm citiſſimè coactâ, (*y*) *Ecthesin* ſeu *Expoſitionem* ab Heraclio Deceſſori ſuo transmiſſam, unà cum Monothelitis, damna-

damnaret: quod exemplum & monitum mox (z) Africæ, Byzacenæ, Numidiæ ac Mauritaniæ Præſuſes ſequuti, permoverunt Imperatorem, ut pejora veritus Ecthesim, quaſi ſe inſcio à Sergio concinnatam, retractaret. Dum Eadvaldus in Anglia Cantii R. Ercomberto fil. locum fecit, qui primus idola iis in locis abolevit, ac Quadrageſimam introduxit: in Hiſpania verò Chintillam mortuum Tulga excepit, ann. C. 640. Sequuta mors Heraclii Imp. qui aquâ intercute deceſſit, d. 11. Mai, à 20. Imperii anno, quo Hæreticis ſimplicitate ſuâ abutentibus aures præbere cœpit, infelix: ſucceſſore filio Hercule Conſtantino, quarto pòſt menſe veneno novercæ, conſcio Pyrrho Patr. ſublato. Suffectus ergo frater Heracleonas, ſed is, comperto matris ſcelere, abſciſſo naſo, cum matre Martina, cui judicio Senatûs lingua exſecta, in exilium pulſus eſt, ſexto circiter menſe. Ejus Imperium ſolo Cæſareæ Palæſtinæ excidio memorabile fuit. Paulus Diac. *l. 18.* & Cedrenus. Circa quæ tempora è vita migravit Johannes d. 12. Octobr. an. C. 641. Sedis an. 1. m. 9. d. 12. Heraclii Imp. anno 31. & ult. (*a*) theſauris Eccleſiæ in redemptionem (*b*) captivorum impenſis, & literis ad Scotiæ Præſules, *de Paſchatis celebratione*, miſſis, inſuper clarus, Beda *Hiſtor. Angl. l. 2. c. 19.* V. quoque Theophanem *Chron. ad ann. C. 621.* & *ſeqq.* Georg. Cedrenum *Comp. Hiſtor. p. 346.* Platinam, Alios. (*c*) Eodem anno, in *Alexandrina* Eccl. Cyrum, Monothelitam apertum, atque porrò Eutychianiſmi ſuſpectum, excepit Petrus, qui ejuſdem veſtigiis inſtitit: quo pacto Angelis olim reverenda Sedes, & excellentiſſimis Præſulibus inſeſſa, jam Hæreticis ſubeſſe illorumque jugum pati coacta eſt. Fuit autem hic Petrus, à S. Marco quinquageſimus, ut obſervant Eruditi, &c.

VIII. THEO-

VIII. THEODORUS (d) I.

Damno Typum, (e) *fabrumq́;* (f) *ejus, cum complice turba* (g),

Et juvo rem zelo fervidiore (h) *ſacram.*

Interea Exarchi Sedes ſibi ſegregis inſtar

Conſtituit proprium clara Ravenna (i) *caput* (k).

Enarratio.

(d) Hieroſolymis oriundus, Johanni ſucceſſit anno C. 641. præf. ſicut Conſtans II. Heraclio Conſtantino genitus, patruo Heracleonæ, ſurrogatus eſt in Imperio: circa quod tempus Cyrus Patr. conſpirationis cum Martina conſcientiâ inquies in Africam, Saracenico tum jugo ſubditam, aufugit, ſucceſſore Paulo, Eccleſiæ Oeconomo, & ipſo Monothelitâ, ſed paulò moderatiore, anno C. 642. Homar dein magnis impenſis Mahometicum templum Hieroſolymis molitus, ſua tamen Chriſtianis non ademit: dum in Italia Mauritium Chartularium, ac Romæ Præf. quem direptorum ſacrorum theſaurorum ſocium Iſaacio fuiſſe diximus *in Severino,* jam Italico regno inhiantem, cepit, ac capite truncavit Iſaacius, paulò pòſt defunctus, ann. Ch. 643. ſucceſſore Theodoro Calliopâ Patricio. In Gallia, Dagobertum, cùm percrebuiſſet, *animam ſuam ob rapinas Eccleſiarum à Diabolo raptum iri, interceſſione tamen S. Dionyſii Pariſ. eſſe liberatam,* magnopere cultum ejus auxiſſe, tradit Baronius, ex Aimoino *l. 4. c. 34.* Obiit is d. 16. Jan. cui

cui filii, in Auſtraſia Sigebertus, in Burgundia Clodoveus, ſucceſſerunt. Paulò pòſt Pipinus quoque deceſſit, avus per Pipinum Craſſum Caroli Martelli. Circa quæ tempora Homar, ſacris intentus, à Perſa quodam confoſſus interiit, ſuccedente Hormano, qui, exortis circa Alcorani ſenſum diſſidiis, omnes de religione diſputationes in poſterum vetuit, ac literæ hæreri juſſit. Interea Cyrus, cum Maximo Abbate CP. variiſque Epiſcopis orthodoxis aliquandiu in Africa converſatus, ſe erroris convictum ſimulavit, & ſyſtaticis ab iis impetratis Romam ſe contulit, ubi Theodoro, Clero populoque præſente, ſcriptum, quo hæreſin ejurabat ac confeſſionem fidei edebat, exhibuit, atque hinc in communionem receptus eſt. In Langobardorum regno, Rotharis Leges ſuæ gentis in literas retulit, anno poſtquam in Italiam venerunt, 76. anno C. 645. atque *Edicti* nomine evulgavit. Ut verò Africæ Epiſcopis, Pyrrhum à Theodoro receptum, innotuit, variis paſſim Synodis, in Byzacena prov. inprimis unâ XLII. Epiſc. habitâ, miſerunt ad Conſtantem Imp. qui tum Monothelitis nondum apertè acceſſerat, eique mentem ſuam ſuper illa lite liberè expoſuerunt, ne hæreſin graſſari porrò pateretur, precati. Simulque ad Paulum CP. & Theodorum Rom. literas expedierunt, in quibus hunc *Summum Pontificem omnium Epiſcoporum*, quemadmodum Fortunatus Pictav. Nicetium Trevir. *Caput Pontificum lib. 3. c. 11.* & Gregorium Tur. *Supremum Pontificum l. 5. c. 15.* ſalutant. Quare & Theodorus per Apocriſiarios ſuos apud Imperatorem, ac Paulum inſtitit, ut pax tandem Eccleſiam reviſeret, Hæreticiq; damnarentur: dum in Hiſpania, auctoritate Chindaſvvindi R. Synodus VII.

Toletana celebrata, & in Anglia Cennevalkius Weſt-Saxonum Rex in idololatriam revolutus, à Panda Merciorum Rege pulſus eſt, inde verò ad Cantii Regem profugus, & in Fide pleniùs inſtructus, tandem in regnum rediit, Guilielmus Malmesbur. ann. Chriſti 646. Poſt quæ Gregorium Patricium, Conſtanti rebellantem in Africa, Hormanus prælio devicit, & Africæ partibus Saracenicum tributum, exercitio tamen Religionis libero permiſſo, impoſuit: à quo tempore Auguſtalem Præf. in Africam mittere Romani deſierunt, anno Chriſti 647. At Conſtantinopoli Paulus, viſo Monothelitarum errorem non minùs Auſtri, quàm Occidentis, Patribus damnari, ſuaſit Imperatori, ut *Typo*, hoc eſt, expreſſâ Fidei formâ, edito, utramque partem tacere ſicque controverſiam *de Voluntatibus Chriſti*, tam acriter ventilatam hactenus, juberet extinctam eſſe: quod idem Honorii conſilium fuiſſe, in *Illo* vidimus. Verùm ne ſic quidem lis finita: Mox enim (e) Theodorus Synodo Romæ convocatâ, *Typum* damnavit, & (f) Paulo, cum Monothelitis, anathema dixit: (g) Cumque Pyrrhus, ſpe recuperandæ ſedis ab Exarcho illectus, ad vomitum rediiſſet, illum ſimili fulmine perſtrinxit, atque, (h) ut indignationem ſuam luculentiùs teſtaretur, depoſitionis ejus ac excommunicationis ſententiam, *aliquot guttis vivifici ſanguinis è ſacro Calice in atramentum defuſis*, ſignavit, teſte Theophane, quod in rebus magni momenti uſitatum fuiſſe Sec. VII. VIII. & IX. quoque legimus. Quo tempore Muhavias invaſit Cyprum, captaque Conſtantiâ Inſulæ metropoli, ſub Saracenorum eam jugum redegit, anno C. 648. Aradus inſ. reſtitit quidem acriter, ſed, pertinaci

ejusdem

ejuſdem oppugnatione ſuperata, dedit tandem manus, cùm pro civibus ſuis liberam, quò vellent diſcedere, poteſtatem hoſti extorſiſſent. Tum in Italia Maurus, in Sede Ravennenſi, Boni ſucceſſor, nixus Imperatoris gratiâ, (*i*) neque conſecrari, neque Pallium accipere, à Theodoro ſuſtinuit, à tribus Epiſcopis ſuæ Diœceſeos inauguratus: quo pacto plurium annorum inter utramque Eccleſiam diſſidium ortum, & Præſules Ravennenſes in *Autocephalorum* numero à Romanis habiti ſunt: ſed paulò pòſt deceſſit Theodorus d. 14. MaI anno Chriſti 649. Sedis ſuæ ann. 7. m. 8. Conſtantis II. Imper. anno 8. de quo plura ſi voles, adeas Victorem Carthaginenſem & Sergium Cypr. *Epiſt. ad Theodorum*, Synodum Lateran. ſub Martino *ſecret. 4.* Marianum Scotum *ad annum Chr. 640.* & 643. Anaſtaſium Bibl. cœteroſque *in Theodoro I.* (*k*) Illo ſedente, in reliquis Patriarcharum Sedibus nihil immutatum. Cœterùm, floruit Victor Epiſcopus Carthaginenſis, qui, miſsâ pro more in muneris ingreſſu Theodoro, *Beatiſſimo Domino & Honorabili Sancto Fratri*, fidei ſuæ confeſſione, precibus ejus ſe commendat, *Epiſtolâ*, in qua æqualitatem Apoſtolorum haud obſcurè innuere, obſervat Jo!. le Sueur *ad annum Chriſti 646.* Deſiderius Epiſcopus Cadurcenſis, ann. Chr. 647. apud eundem, qui de aliis quoque Galliæ Epiſcopis, ſanctitatis opinione tum claris, agit *ad annum Chr. 642.* De ſtatu Eccleſiæ, ſub Imperator. Saracenorumque jugo, & Hæreticis ſat dictum.

IX. MARTINUS (l) I.

Paſtoris (m) *ſubeo veſtigia clara* (n) *prioris,*
Atque novo infauſtum fulmine (o) *ſterno Typum.*
Nec doleo exilium (p), *nec magni Cæſaris iram* (q),
Quòd tua Sors ſciſſa (r) *eſt, hoc mihi, Chriſte, dolet* (ſ).

ENARRATIO.

(*l*) TUdertinus Italus, ſucceſſor (*m*) Theodoti, anno C. 649. præf. (*n*) ejus veſtigia ſolicitè preſſit, auditoque Epiſcopis magnâ vi paſſim obtrudi Typum, q em Paulus CP. templorum valvis, velut regulam Fidei omnibus futuram, curaverat affigi, (*o*) Epiſcoporum ultra C. Concilio in Æde Laterana acto, veteres novasque hæreſes cum Auctoribus ſuis: Cyrum inſuper Alex. & Sergium CP. cum ſucceſſoribus Pyrrho & Paulo, omnibusque illorum ſectatoribus, condemnavit, ac Heraclii *Ecthesin* Conſtantisque *Typum* rejecit, cyclicâ Epiſtolâ ea de re ad Eccleſias circummiſsâ. In eod. Concilio literæ recitatæ ſunt Pauli CP. in quibus conſenſum Sergii cum Honorio acriter urſit, nemine pro Honorio, quaſi extra culpam eſſet, ſatagente: quo proin argumento Pighium validè premit Turrianus Jeſ. Intererat tum Olympius quoque Exarchus, qui cùm mandato Imperatoris fruſtra Patres, ut Typum amplecterentur, minis quoque additis, hortatus eſſet, paulò pòſt obiit, anno eod. (*p*) Miſſus

Miſſus itaque in ejus locum denuò Theodorus Calliopa, juſſu (q) Conſtantis, Martinum, colluſionis cum Saracenis, defectionis à priſca fide, & contemptûs B. Virginis, ſuſpicione oneratum, ex Baſilica Conſtantina, quò ſe receperat, extraxit navique impoſitum CPolim miſit: quò tamen antequam appelleret, integrum annum in inſ. Naxo hæſit, arctè cuſtoditus & duriter habitus, ut ex Anaſtaſio Bibl. ipſiusque Martini *Epiſtolis*, in carcere & exilio ſcriptis, liquet. Dum à Saracenis inducias biennales miſſis Legatis magnaque pecuniæ ſummâ perſoluta ægrè redemit Imperator, anno C. 650. Armeniam dein, proditione Præfecti, amiſit. In Auſtraſiæ verò regno, Grimoaldus Pipini fil. Sigiberti R. Palatii Magiſter, ad regiam dignitatem ſibi ſuisque conciliandam viam ſtravit. Ex inſ. Naxo CPolim deportatus Martinus, eò pervenit d. 17. Nov. & in carcerem compingitur, anno C. 651. è quo extractus auditusque in Synodo, d. 19. Febr. quum adverſariis non ſatisfaceret, carceri redditur, demumque 3. menſibus exactis Cherſonam in exilium mittitur, ſuffecto in Epiſcopatum Eugenio I. anno C. 652. qui cùm (r) in Formulam fidei, obſcuris ambiguisque verbis à Petro Patri CPol. contextam, & ad Epiſcopos circumquaque miſſam, conſentire velle videretur, obſtitit Clerus, Synodoque hanc in rem convocatâ, anathemate Petrum ferit. Quo tempore in Hiſpania Synodus VII. Toletana celebrata, in Anglia Pandæ Jun. ſubditi ad fidem converſi & Rhodus Inſ. à Saracenis ſubacta eſt, qui, celebratiſſimum in ea Solis coloſſum demoliti, æs ejus ſtatuæ Judæo cuidam Emiſeno vendidere. In Italia verò, Rothari Langob. R. laudato aliàs, ſed orthodoxis gravi, extincto ſuc-

ſucceſſit fil. Rodoaldus, in regno, hæreſi & in rectè ſentientes odio, anno Chr. 653. Poſt quæ, mortuo in Gallia Sigeberto II. Auſtraſiæ R. Grimoaldus, tonſo ejus filio Dagoberto & in Scotiam relegato, Childebertum fil. ſuum Regem proclamavit, ſed mox ad perpetuos damnatus carceres, ac Childericus Clodovei filius in Childeberti locum ſubrogatus eſt. Pergunt interea Saraceni Imperium lacerare, ſed ne Conſtantinopolim invaderent, fratrum duorum (buccinatoris filii erant) ſtupenda effecit audacia, qui, effractis foribus carceris, trucidârunt Amiram, &, injecto in claſſem igni, cum omni apparatu illam cremârunt. At nihilo Muhavias mitior novam ſtruit claſſem, ac prope Phœnicem Libyæ portum profligat Conſtantem, tantâ Romanorum cæde, ut mare eorum ſanguine purpuraſceret & Imperator, vili circumdatus amiculo, inque diſſimulationem ſui compoſitus, ægrè elaberetur. Circa quæ Martinus, exilii ærumnis fractus, in Cherſoneſo, obdormivit die 12. Novembris ann. Chriſti 654. Epiſcopatûs ſui anno 5. m. 4. d. 12. Conſtantis II. anno 13. inter Martyres poſt obitum relatus, cujus memoria hodieque die præfato in Eccleſ. Roman. recolitur. Vide de eo Bedam *de VI. ætat. mundi ad annum Chr.* 4594. Theophanem *Miſcell.* 16. Eutropium *lib.* 19. Marianum Scot. Sigebertum, Zonaram, Anaſtaſium *Collect.* eundemq; ,ut & Platinam, Albonem Floriac. ac cœteros *in Vitis Pontif. Epiſtolas* verò illius in editione *Conciliorum* Binii. (*f*) Ejus tempore, *CPoli*, poſt Pauli obitum, Pyrrhus ſedem recepit: ſed quinque pòſt menſibus extincto, ſucceſſit Petrus itidem Monothelita, anno Chriſti 652. Vid. ſuprà. In *Alexandrina*

drina Eccleſia Petrus obiit, ann. C. 650. poſt quem ſeries Præſulum incerta, uſque ad Coſmum, electum ann. Chr. 742. &c. Vid. Joh. le Sueur *Hiſtor. Eccleſ.* in *hoc Pontifice*. De *Martini* verò nomine confuſo cum *Martini Brachar.* à Gratiano, Vid. Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Eccleſ.* §. 180.

X. EUGENIUS (t) I.

Conſtans (u) *impoſuit ſedi, juſſitq; Quirinum*
Et vitâ, & doctâ paſcere voce (x) *gregem.*
Atque hunc pavi equidem foviique haud parcus (y) *egenos,*
Sed nimiùm nutu ſub dominantis (z) *eram* (a).

ENARRATIO.

(*t*) ROmanus, à Theodoro Calliopa, (*u*) juſſu Imperatoris Martino irati, (*x*) ſedi impoſitus, durante exilio hujus, præfuit, ab anno. Chr. 652. pietatis opinione commendatus, & (*y*) in egenos largus. Sed (*z*) cùm Petri CP. formulæ ſubſcribere velle videretur, à Clero prohibitus eſt, ann. Chr. 653. ut diximus in *Martino*, poſt cujus obitum, ſexto circiter menſe deceſſit, d. 2. Jun. ann. Chr. 655. (*a*) Vid. de illo plura apud Anaſtaſium Bibl. cœteroſque, qui de *Pontificibus* commentati ſunt, Baronium in *Annalibus Eccleſiaſt.* Alios.

XI. VITALIANUS (b).

Vocibus humanis, Numen cantantibus almum,
Adjungo aërios (c) admodulorq́ ſonos.
Conſtantem (d) veneror Romæ (e), rituſque Latinos (f)
Ordior, & linguam hanc dedico porrò ſacris (g).

ENARRATIO.

(*b*) ITalus, in Eugenii locum electus, anno C.655. præſ. Conſtantis II. Imp. 14. ut primùm dignitatem nactus eſt, per Legatos, pro more, eam confirmari petiit à Conſtante, qui illos honorificè exceptos, cum libris Evangeliorum, auro lapidibuſque pretioſis fulgentibus ac in Baſilica Petri reponendis, munificentiæ ac pietatis Imperatoris & Auguſtæ ſymbolo, remiſit. Quo tempore, cùm inteſtinis quaterentur diſſidiis Saraceni, quòd aliqui, mortuo Hormano, Muhaviam, aliqui ſequerentur Alin Mahometis generum, qui angelum ad ſe miſſum divinitus per errorem adiiſſe Mahometem mentiebatur, inſuperque à Mahomete ſucceſſor deſignatus fuerat, repreſſa nonnihil eſt audacia gentis, invidioſis tumidæ ſucceſſibus, ac Muhavia quotidiano ſe mille nummorum tributo Imperatori obſtrinxit, quoad redintegratâ concordiâ ſuorum dependere illud neglexit. In Anglia verò, Mercii, Oſvini R. exemplum ſequuti, Chriſtum induerunt, teſte Bedâ, anno C. ſuprà dicto.

Synodo

Synodo dein X.Toletanâ, auctoritate Chindalwindi R. præſide Eugenio Arch. *Feſtum Annuntiationis*, d. 25. Martii hactenus celebrari ſolitum, in d. 18. Dec. translatum, aliaque diſciplinam Eccl. ſpectantia decreta ſunt. Dum in Oriente Muhavia, cùm partes Halis aquâ interceptâ ſiti excruciaret, ſine ſanguine de iis victoriam tulit, ann. Chr. 656. In Italia, Rodoaldus, ob adulterium à ſuis trucidatus, ſucceſſorem habuit Aripertum, Theudolindæ ex Gundoaldo fratre nepotem, quem orthodoxiam ſectatum eſſe, dicunt. Circa quæ tempora, Aſterio Archiepiſc. Mediolanenſi Fortis ſucceſſit, Maurus verò Præſul Ravennas, à Vitaliano Romam citatus, ac, quia non comparebat, ſolemni ritu depoſitus, ipſum viciſſim gradu movit, ac in ſeceſſione ſua permanſit. Sequutum eſt Maximi Abb. quòd adduci non poſſet, ut Typo ſubſcriberet, novum in Alanos, cum duobus diſcipulis, exilium, poſtquam ii flagellati primùm, dein in teterrimum carcerem conjecti, tandem linguâ dextraque manu mutilati fuiſſent. In Gallia autem, Clodoveus II. invaleſcente annonæ caritate, argentum, quo pater ejus Dagobertus SanDionyſianam Ædem cooperuerat, in egenorum uſus conflavit, Abbatiamque poſtmodum in damni compenſationem Epiſcopali jurisdictioni exemit, qua de re V. Joh. le Sueur *ad ann. C.* 657. qui &, quod de tributo Muhaviæ Conſtanti promiſſo diximus, refert ad ann. ſequ. Poſt hæc Conſtans, indies pejor, Theodoſium fratrem ſuum, licèt Clericum pridem, & à quo ſacrum Calicem acceperat, interfecit, ejusque parricidii agitatus furiis, quòd frater ei in ſomniis ſubinde calicem cruore plenum exhiberet, in Siciliam ſeceſſit: circa quod tempus Chindalvvindo R.

R 5 Gotho-

Gothorum in Hiſpania mortuo Receſvvindus ſuffectus eſt, an. C. 659. In Gallia, poſt obitum Clodovei II. præfuerunt filii ejus, Clotarius III. Childericus ſ. Chilpericus, & Theodoricus, omnes dicti *Reges Nihil fecerunt*, quòd in Majores Domus, Ebroïnum inprimis, curâ Regni devolutâ, ipſi delitias & otium ſectarentur, neque proin in publicum, niſi Kal. Mai, prodirent. Interea Maximus Abbas, inter Alanos, annis ærumnisque fractus, deceſſit, cujus opera *cum verſione Lat. & Notis* Lutetiæ Pariſ. haud pridem prodierunt: dum Vitalianus Papa (c) *Organa ad concentus ſacros* adhibere cœpit, ut ex libro *Pontificali* diſcimus, anno Chriſti 660. quò & mortem Halis, ſummâ hodie Perſis in veneratione, refert Joh. le Sueur, quam alii citiùs accidiſſe volunt, ut vidimus. In Gallia, Ennemundus Epiſcopus Lugdunenſis, quòd Clotarium III. cui acceptiſſimus fuerat, de avaritia & inſolentia Ebroini liberè moneret, ab hoc occiſus eſt. In Italia, Ariperto Langobardo defuncto, Grimoaldus Beneventi D. filios ejus Pertharim & Godebertum, de regno contendentes, excuſſit, hunc peremit, illum fugavit, qui Unulfi ſervi fide in Galliam elapſus eſt, Sigonio teſte, anno Chr. 662. Mox Grimoaldus Francos, Pertharim reſtitutum euntes, inſigni *aſtu*, ad locum hodieque inde dictum, vicit, ac Romoaldo filio Beneventanam ditionem dedit: contra quem cùm (*d*) Imperator è Sicilia in Italiam delatus, moviſſet, Beneventumque obſediſſet, comperto adventare Grimoaldum, obſidionem ſolvit, Neapolimque ſe recepit: at clade exinde à Romoaldo affectus, ne nihil in Italia egiſſe videretur, Romam perrexit. Ei (*e*) ſexto ab urbe miliario, Vitalianus Papa, cum Clero populoque Romano occur-

rit:

rit: is verò, cùm B. Petro pallium auro intextum obtuliſſet dono, paulo pòſt plura Romanis, quàm dederat, abſtulit. Duodecim enim diebus omnia urbis ex ære ornamenta mandavit detrahi, etiam tegulas, quibus opertum erat pantheon, à Bonifacio IV. B. Mariæ & Martyribus dicatum, ut *in eo* vidimus, ann. Ch. 663. Vid. Paul. Diac. *de Geſtis Langob. l. 5.* Inde Siciliam, ubi ſedem aliquandiu fixit, Calabriam, Sardiniam & Africam tributis exhauſit. Dum Grimoaldus, Lupum Ticini præfectum rebellem, qui urbem Gradum, ubi theſauri Eccleſiæ Aquilejenſis reconditi erant, inter alia, diripuerat, per Caganum domuit, ipſum Caganum, *per milites aliter atque aliter veſtitos*, decepit ac à ſe amovit. In Gallia, Clotario III. frater ſucceſſit Childericus II. qui Theodoricum minimum fratrem, ab Ebroïno contra ſe incitatum, vicit, cepit ac in Monaſterium: ipſum verò Ebroïnum in carcerem detruſit. In Britannia, de Paſchatis die diſceptatum, donec Synodo, Eduini juſſu, convocatâ, ut Eccleſiæ Catholicæ obtineret conſuetudo, concluſum eſt: Scoti tamen, & Anglorum nonnulli, priſco more, Paſcha XIV. Lunâ Martii uſque ad XX. celebrare perrexerunt, Beda *lib. 3. cap. 25.* In eandem Inſ. Theodorus & Adrianus Epiſcopi venientes, Scholis & Academiis ibi erectis, Chriſtianam Fidem magnis auctibus propagârunt, anno C. 664. Poſt quæ Oſuinus, Legatione ad Vitalianum miſsâ, Baſilicam Petri aureâ argenteaque ſupellectile munificè exornavit, cui uxorique viciſſim reliquias varias muneri miſit Papa: pauloque pòſt Theodorum Epiſc. eôdem ablegavit. Obiit verò Eligius Epiſc. Noviomag. qui Flandros ad Chriſtum perduxerat, ann. C. 665. Apud Langobardos,

Bulgarorum Duci Alzeco loca quædam in Ducatu Beneventano habitanda conceſſit Grimoaldus, & Codicem Rotharis ſupplevit. Quo tempore, (*f*) *ut in poſterum Latino ſermone* (qui jam ſub Tiberio II. uſu receſſerat) *Sacra peragerentur*, Vitalianum conſtituiſſe, Alſtedius *in Chronol.* memorat, anno C. 666. In Gallia, Childerico à Bodilone viro nobili, quem virgis cædi curârat, unà cum uxore gravida, interfecto, Theodoricus ad regnum revocatus eſt, dato ei Leudeſio, Erchembaldi fil. Majore Domus. In Oriente autem, Amorium Phrygiæ oppidum inſigne, quod Saraceni expugnaverant, feliciter à Romanis receptum eſt: & Sapor Armeniæ præf. qui ad Muhaviam defecerat, equo perfidum caput per laſciviam ad portam affligente, interiit, Cedren. anno C. 667. Sequuta mors ipſius Conſtantis, qui an balnei vapore ſuffocatus, an ab Andrea Troilo ſitulæ ictu enectus, in Sicilia obiit, anno Imp. 27. Princeps avarus & ſævus. Cujus mortem ulturus fil. Conſtantinus IV. quòd barbam in expeditione nutriiſſet, *Pogonati* cognomen invenit. Hic Mizizium ſeu Mazentium Armenium, conſpicuum decore corporis ducem, à Sicilienſibus legionibus Auguſtum proclamatum, claſſe vicit occiditque: at clamantibus Orientis Proceribus, Heraclium & Tiberium fratres Conſtantini, pariter eſſe coronandos, ſimulato aſſenſu, evocatos Principes pro ſeditioſis interfecit, præciſoque fratribus naſo, ſpem capeſſendi Imperii ademit: coetera Princeps orthodoxiæ tenax, ut videbimus. Dum in Francia, Ebroïnus ex carcere elapſus, cæſo Leudeſio, in Proceres ac Epiſcopos ſine diſcrimine ſæviit. In Britannia Theodorum Cilicem Cantuariæ Archiepiſcopum creavit Vitalianus, circa

idem

idem tempus, lætus id tituli ſibi datum eſſe conferre Epiſcopo, extra ſuam diœceſin; conſtituto. At Saraceni, in omnes occaſiones intenti, Africam, raptis in ſervitutem 80. m. hominum, vaſtârunt, anno C. 668. Inde in Siciliam exſcenſione factâ, Syracuſis captis, quidquid Româ æris abſtulerat Conſtans, prædæ habuerunt, eo circiter tempore, quo Vitalianus deceſſit, d. 27. Januar. anno C. 669. Epiſc. ſui ann. 14. m. 5. (juxta Anaſtaſium Bibl. Onufrius verò ulteriùs ſediſſe, ſcribit) Hiſtoricis non multùm memoratus. V. de illo, præter modò dictos, Sabellicum *Enneade* 8. *l.* 6. Volaterranum, Martinum Pol. *Chron.* Platinam, Ciaconium Alioſque in *Eo.* (*g*) Dum verò is Romæ ſedet, *CPoli*, in Sacrorum cura, Petro Thomas orthodoxus, anno C. 656. Thomæ Johannes, anno C. 658. Johanni Conſtantinus, anno C. 664. Conſtantino Theodorus, Monothelita, homo verſutus & multarum turbarum auctor, anno C. 666. ſucceſſere. Cœterùm floruerunt, Ildefonſus, Archiep. Toletanus, circa annum C. 667. aliique ſanctitatis opinione celebres, quorum ferax admodum iſta ætas fuit, ut videre eſt, apud Joh. le Sueur *ad ann. C.* 661. Amandus verò Epiſc. Ultrajectinus, quem, non minùs ac Eligium, *Belgarum* ſ. *Flandrorum Apoſtolum* vocant; quamvis jam ante ipſos aliquid lucis iis affulſerat, deceſſit, eod. Certè Theobaldum Epiſc. ejuſdem Eccl. ab idololatris, quibus maxima tum Germaniæ pars adhuc ſcatebat, martyrium paſſum, habemus anno C. 658. quo ipſo Saxonum Meridion. Regem Adelboldum Chriſto nomen dediſſe, idem le Sueur obſervat, *ad eund. ann.* De ſtatu Eccl. ſub Impp. de Hæreticis item ſat diximus.

XII. ADEODATUS (h) II.

Obſequium averſatur adhuc præfracta Ravenna,
Maurusq́; (i) ut fuerat, ſic Reparatus (k) adeſt.
Cæſare (l) ſuffulti, juſſa obſervare Quirina,
Sedi & Romuleæ ſubdere colla (m) negant (n).

ENARRATIO.

(*h*) PAtriâ Romanus, profeſſione Monachus, Vitalianum excepit, anno Chr. *669.* Conſtantini IV. Pogon. 2. quo ipſo, Bono Præſuli Mediolani Antoninus ſurrogatus eſt. (*i*) Maurus dein Arch. Ravennenſis morti vicinus, hortatus eſt Clerum, ne Sedis Rom. jugum denuo ſubiret: qua de re Adeodatus factus certior, illum paulò poſt mortuum ſolito ritu tumulari prohibuit, ſed fruſtra. Tumulatus enim ille, & ſuffectus in ejus locum (*k*) Reparatus, ab (*l*) Imperatore obtinuit, ut (*m*) eodem, quo deceſſor, modo Eccleſiam ſuam regeret, anno Chriſti *671.* Sequuta Conſtantinopolis à Saracenis obſidio, quam ſignum in cœlo ingens præceſſerat: ſed inde repulſi fortiſſimè à Conſtantino, in Cyzicum inſ. ſe receperunt, vires ad nova auſa reparaturi. In Anglia, Theodorus Cantuar. ut eadem die cum Romana Eccleſia celebraretur Paſcha, effecit. In Hiſpania, Receſvvindo Bamba ſucceſſit, anno Chriſti *672.* Francorum mox, ob

Galliæ

Galliæ Narbonenſ. partem occupatam, victor. Saraceni verò ad mœnia Conſtantinopolis rurſus conſedere, rurſus depulſi & ingenti clade affecti: quam exuſtio eorundem claſſis in portu Cyziceno, per *Ignem Græcum* à Callinico inventore facta, excepit. In Langobardorum Regno, Grimoaldo extincto ſucceſſit Garibaldus fil. novennis, quo paulò pòſt remoto, communi gentis conſenſu, Pertharis exul, quem in Britanniam cogitantem, circa idem tempus, vox audita Italiam petere juſſit, Rex electus eſt, anno Chr. 673. Bamba poſt hæc Hildericum Comitem & Paulum ducem ſuum æmulos vicit, anno Chriſti 674. Aſtures item ac Vaſcones, obſequium exuere auſos, domuit, ac metropolim eorum, nomine immutato, *Bambelonam*, q. *Sedem Bambæ* vocavit, aliis tamen *Pompejopolim*, q. à *Pompejo M.* dictam aſſerentibus. Nec terrâ ſolùm felix, mari quoque Saracenos ſuperavit: ac triumphabundus Toletum rediit. Ubi mox Synodo XI. auſpiciis ejus convocatâ, Fidei orthodoxæ formula conſcripta, variaque ad Eccl. diſciplinam pertinentia decreta, tota inſuper Hiſpania in LXXX. Epiſcopatus & Archiepiſcopatus diviſa eſt. Ex *Can. 11.* verbis, *Infirmos quosdam, præter Dominici Calicis hauſtum, traditam ſibi non poſſe Euchariſtiam deglutire*, & Calicis uſum, & panis in S. Euchariſtia adhiberi ſoliti naturam, facilè diſcas. Cùm verò tum lacte pro vino quidam uterentur, alii uvas in pateram exprimerent, liquoremque hunc communicantibus porrigerent; nonnulli quoq; panem benedictum vino intinctum iisdem exhiberent: abuſus hi Synodo Bracharenſi III. mox ſequutâ ſublati, &, ut juxta inſtitutionem Domini Euchariſtia celebraretur, decretũ eſt an. C. 675.

ad quem

ad quem Joh. le Sueur vide, qui inprimis ad verba *Can.* 1. ubi *vino ſanguinem Ieſu Chriſti, aquâ verò illi mixtâ populum fidelem, capiti ſuo unitum, ſignificari* innuitur, doctè commentatur. Poſt quæ Adeodatus obiit d. 26. Jun. ann. C. 676. Sedis ann. 7. m. circiter 3. Conſtantini IV. anno 9. V. Anaſtaſium Bibl. cœterosque qui *Pontificum res* ſtylo perſequuti ſunt. (*n*) Eo ſedente, Johanhi Aquilejæ Patr. ſucceſſit Petrus, anno C. 670. &c.

XIII. DOMNUS, DOMNIO ſeu DONUS (o) I.

Templa (p) *orno, Clerum* (q) *diſtinguo, Cæſar* (r) *in orbe*
Dum parat Eoo jungere (ſ) *ſciſſa malè.*
Hæretici (t) *at cœptis obſtant, nimiumque furentes*
Ferre negant quoſdam diptycha (u) *poſſe Papas* (x).

ENARRATIO.

(*o*) ROmanus, fil. Mauritii, in Adeodati locum electus eſt, menſe Aug. ann. Ch. 676. præf. quo tempore cometes fulſit trimeſtris, ſiccitatis triennalis, & hinc peſtis horribilis, nuntius, ut ex Anaſtaſio & Beda diſcimus. Saraceni ultimâ expeditione amiſerant ſuorum 30. mill. acceſſit jam alia calamitas. Mardaitæ enim ſeu Maronitæ, à Máronide ſeu Maronia reg. Antiochiæ vicinâ, & optimi vini ferace, dicti, Libanum & reliqua Palæſtinæ

ſtinæ montana inſederant, auctique ſervorum & indigenarum transfugio nihil eis tutum relinquebant. Idcirco rati id, quod res erat, Mahometani, Chriſtianorum Imperium divinâ muniri virtute, pacem ineunt ad 30. annos tributariam, terna millia auri pondo, quinquagenos viros totidemque equos promittunt Cæſari annuos. Hoc intellecto, hoſtes Græcorum Europæi, veriti, ne ad ſe vis belli tranſiret, concordiam ab Imperatore miſſis Legatis muneribusque petiere: ita Orienti & Occidenti juxtà pax reddita, ann. eod. Sequenti Donus (*p*) *templa*, pro more ejus ævi Pontificum ſuprà jam notato, *ornâſſe* (*q*) *Clerumque diſtinxiſſe* dicitur, Sabellico *Enn. 8. lib. 6.* & Sigeberto *in Chron.* ac (*r*) Conſtantinus jam quietus (*ſ*) unire Eccleſias ſtuduit, propter Monotheletarum hæreſin infauſto diſſidio, jam inde à proavi Heraclii tempore, ſciſſas. Sed (*t*) obſtiterunt præcipui erroris patroni, Theodorus CP. & Macarius Antioch. Patriarchæ, (*u*) ut quorundam Paparum Rom. Honorio excepto, nomina, Vitaliani inprimis, è Diptychis delerentur, petere quoque auſi, anno ſc. Ch. 677. quo ſucceſſu, infrà dicemus. Interea deceſſit Donus, anno C. 678. Epiſc. ſui anno 1. m. 5. Conſtantini IV. anno 11. V. plura, apud Anaſtaſium Bibl. Platinam, Onuphrium, aliosque in *Dono*, Fl. Blondum *Dec. 1. l. 9.* &c. (*x*) Eo ſedente, *CPoli* Theodorus adhuc, & *Antiochiæ* Macarius, Monothelitæ acerrimi, ut vidimus, præfuere. De Maronitis ut pauca addam, maximam partem Chriſtiani fuere, ſed, errorem Monothelitarum amplexi, ſequenti tempore Patriarcham habuerunt Ordinis S. Antonii, qui Antiochenum quoque ſe Patriarcham, non minùs ac Jacobitarum Catholicus, vocabat & VIII.

vel

vel IX. Epiſcopis præerat: hodie Eccleſiæ Rom. addicti feruntur, Vid. Joh. le Sueur *ad ann. Chr. 676.* & de hiſtoria *Sudarii Chriſti*, à Saracenis erepti Judæis, ac Chriſtianis traditi, ex Beda *de Loc. Sanctis c. 5.* ejusdem judicium, *ad ann. C. 678.* &c.

XIV. AGATHO (y).

Gratis (z) *confirmat, retinet ſed jura* (a) *Monarcha,*
In Trullo (b) *occiduus grex orienſque* (c) *coit.*
Falli poſſe (a) *nego, mea tangit genua Ravenna* (e),
Mittit Theiologos (f) *Anglica terra mihi* (g).

ENARRATIO.

(*y*) PAnormo Siculus, electus d. 11. April. ann. Ch. 678. prædicto, confirmationem ſui, pro more, ab Imperatore per literas quàm primùm petiit, ſimulque ut pecuniam, hactenus pro ordinatione Pontificis Auguſtæ poteſtati à Romanis dependi ſolitam, ſibi ſuisque ſucceſſoribus remitteret. Cui (z) annuens Imperator, non ſolùm confirmavit eum, *ſed & pecuniam relevavit,* (*a*) *hac tamen lege, ne quis citra decretum Cæſaris Papa conſecraretur,* Sigebertus Gembl. *ann. C. 680.* Ita Agatho (*b*) conſecratus, d. 19. Jul. ad literas à Cæſare, ad Domnum deceſſorem ſuum miſſas, de Concilio habendo, reſpondit, laudataque Conſtantini pietate, ac zelo,

(*c*) Le-

(c) Legatos ad illud ſe utique miſſurum pollicitus eſt. Ut verò diuturnam mortalibus quietem peccata non permittunt ſua, Bulgari gens Scythica à Volga fl. devocati in Thraciam, anno eodem 678. dein in Transdanubianas provincias ſemet effundunt, effusè omnia vaſtantes: quibus terra marique occurſans Conſtantinus terrorem incuſſit quidem, ſed poſtmodum cæſis ſuis pacem tributo promiſſo redimere coactus eſt, dedecore ſuo majore, quàm damno:. ſchiſmati Eccleſiarum tollendo unicè intentus, anno Chr. eod. Quo fine quia jam præt. anno literas, ut dictum, ad Epiſcopum Rom. dederat, variæ Synodi paſſim, in Francia, Italia & Britannia, Romæ inprimis ſub Agathone, ut communi conſilio, quid in Concilio imminente ſtatuendum eſſet, decerneretur, habitæ ſunt. Interfuit huic (d) Theodorus quoque, Ravennæ poſt Reparatum Præſul, qui, ſuo diſcors Clero, Pontificis ad pedes ſe advolvit, atq; in poſterum Sedi ejus morigerum ſe fore, teſtatus eſt. Circa idem tempus, Manſuetus, poſt Ampelium, Mediolan. Archiep. Monothelitarum dogma Synodo actâ condemnavit, quo de Damianus Ticin. Epiſc. Imperatorem per literas reddidit mox certiorem. Dum in Francia, Ebroinus in varios, Epiſcopos inprimis per Epiſcopos, ſæviit, quorum non paucos pſeydoſynodis aliquot celebratis condemnari curavit, ann. C. 679. Apud Saracenos verò, Muhavia deceſſit, ſucceſſore Gizido fil. quem oneri imparem paulò pòſt Marvan excepit. Sequuta Romæ & per Italiam, Ticini præſertim, dira peſtis, *viſumque ſpectrum venabulo circumire & pulſare domos, totidemque exinde mori cujusque familiæ, quot vicibus oſtium eſſet pulſatum,* Paulus Warnefridus *Longobard. libr. 6. cap. 5.*

ex im-

ex imperio boni Angeli malum genium id feciſſe, addit Regino Prum. In Hiſpania, Bamba, poſt venenum ſibi ab Ervigio, Ardebaſti ab Imperatore è Græcia pulſi fil. oblatum, Monachi habitum ſumpſit, ipſo nihilominus Ervigio Proceribus commendato, qui proin ei ſucceſſit. Interea Conſtantinus, propoſiti de Schiſmate per Concilium tollendo tenax, *non jam agentibus, ſed furentibus, adversùs Chriſti duas voluntates*, Theodoro CP. & Macario Antioch. Car. Sigonius *Hiſtor. l. 2.* Theodoro depoſito Gregorium (*Georgium* alii vocant) ſubſtituit, & literis ad omnes Patriarchas expeditis, eos de futuro Concilio monet, ac ut, vel per ſe, vel per Legatos, interſint, Epiſcoposque ſuarum diœceſeon, aliosque huic rei idoneos illuc mittant, injungit. Et quidem in literis ad Agathonem & Gregorium, illum *Papam Univerſalem*, hunc *Patriarcham Univerſalem*, vocat: quorum is Cæſari vocanti *promptam obſequentiam ſe exhibere* teſtatus, ſimulque *propter Barbarorum in Occidente dominatum, quodque Clerici manuariis operis victum quærere cogerentur, plenam S. Scripturarum apud ſe ſcientiam non inveniri*, & proin, (*f*) cùm ne unus quidem Romæ Theologus fuerit, Theodorum quendam ex Britannia accerſendum fuiſſe, conqueſtus eſt. Mira bonarum literarum ſterilitas & Theologiæ in Italia neglectus! Mox Synodum Romæ coëgit Agatho Epiſcoporum ſuæ diœceſeos CXXV. quâ Monothelitarum error damnatus, & Legati, Concilio interfuturi, neceſſariis mandatis inſtructi ſunt. Miſſi ab Agathone, Theodorus & Sergius Presbyteri, ac Johannes Diac. à Synodo Johannes Epiſc. Portuenſis, Abundantius Patern. & Johannes Regienſis: à Theodoro Ravenn. Presbyter quidam,

qui

qui omnes d. 18. Nov. CPolim appulerunt. Tum *Concilium VI. Oecum.* CPoli, in Trullo, (Palatii id nomen) Epiſcoporum CCLXXX. al. CCLXXXIX. præſide Conſtantino, ut ex omnibus Concilii *Actis* liquet, qui & Concilium indixerat, uti Zonaras, Gratianus & Anaſtaſius teſtantur, celebratum eſt. *Neque Agatho in Concilio ὑπεροχὴν ſupra alias Eccleſias venditare auſus, ſe per Legatos ſuos in parium Curia ſedere perſpexit. Quin Epiſcopum Rom. ejus Synodi Patres, juxta antiquum Synodi CP. decretum, ita in ordinem redegerunt, ut ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων, pari dignitate frui, & Romanum & CPolitanum ſciſcerent,* Joh. H. Heideggerus *Hiſtoriâ Papatûs p. 46.* Patres juſſi, omiſſis diſputationibus Philoſophicis, pacifico colloquio de vera fide perquirere, datis de Bibliotheca CPolitana S. Codice & Sanctorum Patrum, quæ petebant, ſcriptis, ſanctum opus aggreſſi ſunt. Itaque *Seſſ. I.* Macarius Antiochenus, cum Stephano diſcipulo ſuo, & aliquot Orientis Præſulibus, auctoritate Conciliorum, SS. Patrum, Honorii Epiſc. vet. Romæ aliorumque, errorem ſuum ſtabilitum euntes, à Vicariis Sedis Apoſtolicæ, cœterisque Orientis Præſulibus, convicti mox ſunt ac refutati. II. Leonis Papæ Epiſtola *de duabus operationibus in Chriſto* recitata. III. Cùm *Acta* V. Concilii legerentur, quaſdam periodos illis adſutas aliunde eſſe, docuerunt Legati Romani. IV. Lecta eſt Agathonis ad Imp. Epiſtola, quâ *doctrina de SS. Trinitate, de veritate duarum naturarum in Chriſto, duplicique ejus voluntate ac operatione,* prolixè adſerta, ſimulque Theodoro, Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Patr. CPolitanis: Honorio I. Epiſc. Rom. (uti Barthol. Caranza Dominicanus habet *in Summario Concilior.* V. quoque M. L. Bailium

Doctorem

Doctorem Theologum Pariſ. *in Summa Concilior. an. 1659.* editâ) porrò Cyro Alex. Macario Antioch. & Stephano diſcipulo ejus, ut Hæreticis ac veritati contraria ſentientibus; inſuper Arianis, Apollinariſtis, Eutychianis, aliiſque vel Chriſti naturas confundentibus, vel eum in duas perſonas dividentibus, anathema dictum. VII. Loca Patrum, & ipſorummet Hæreticorum, ad convellendum Monothelitarum errorem, à Legatis Agathonis allata, recitata ſunt. VIII. Georgius Conſtantinopolitanus interrogatus ab Imperatore, an Sancti Papæ Rom. doctrinam, quam in Epiſtola ſua adſeruerat, amplecteretur, ſe amplecti reſpondit, atque à ſententia ſua ſic deſtitit. Macarius verò, perſeveravit, *citiuſque millies moriturum, quàm de ſuſcepta ſententia deceſſurum ſe*, dixit. Quare Imperator & Patres 3 orarium collo demi juſſerunt, eumque ex Concilio pulſum anathemate perſecuti ſunt: Romam relegatum eſſe poſtea, Anaſtaſius Bibl. ait. XI. Sophronii Patr. Hieroſolym. Epiſtola, *de præcipuis Fidei myſteriis* eruditè ac facundè diſſerens, lecta, & XIII. probata ac confirmata. XII. Theophanes Abbas Macario ſurrogatus, & pars Epiſtolæ Honorii Papæ ad Sergium CP. Patriarch. lecta. XIII. Literæ porrò dogmaticæ Sergii ad Cyrum & Honorium Papam vet. Romæ, ut & Honorii ad Sergium, utpote à dogmatibus Apoſtolicis & definitionibus Conciliorum recedentes, damnatæ, & unà cum aliis quibuſdam, juſſu Concilii, flammis datæ: nomina inſuper auctorum, quæ ex Eccleſia ejicerentur, digna judicata ſunt. Atque hactenus quidem ipſe Imperator præſens fuit: jam verò negotiis aliorſum vocatus, Conſtantinum & Anaſtaſium Patricios: Po-

lyeuctem

lyeuctem item & Petrum viros Conſulares, ſuas vices agere juſſit. XV. Polychronius Presb. cùm errorem miraculo mortui excitandi probaturus fruſtra eſſet, à populo, velut *novus Simon*, exſibilatus, & quia nihilominus errorem ut exueret induci non poterat, auctoritate Concilii, Sacerdotio motus eſt. XVII. *Venerandas eſſe quinque Oecumenicas Synodos, & hanc ſextam Univerſalem, quâ, ut duæ in Chriſto ſunt naturæ, ita duas eſſe voluntates & operationes in unum conſpirantes, placuit*, decretum. XVIII. & ultimo, ubi iterum Imperator ipſe præſedit, priora omnia confirmata, ac ſubſcriptione Imperatoris Patrumque roborata ſunt. Ad quæ eruditè nonnulla obſervat Johannes le Sueur. Namque Sacrarum Scripturarum Codex, in medio, pro more hactenus recepto, uti ſuprà, ubi de Conciliis paſſim, vidimus, velut controverſiarum norma unica, pluteo impoſitus legitur *Seſſione* 1. Agathonis dein ſubmiſſio notabilis, qui *Epiſt. ad Imperator.* ſuæ diœceſeos Epiſcopos, ad Concilium mittendos, *Conſamulos ſuos* vocans, *pro obedientiæ ſatisfactione adimpleturum ſe obedientiam ſui famulatûs, ut ad piiſſima Tranquillitatis Cæſareæ veſtigia properent*, ſcribit: & in ſequentibus *flexo mentis poplite deprecatur*: inſuper *urbem Servilem Principatûs Sereniſſimi* Romam appellat. Sed & Baronius *Epiſtolam* Concilii ad Agathonem producit, quâ eum *Papam vet. Romæ & Epiſcopum primæ Sedis Eccleſiæ Univerſalis* indigitat: quemadmodum in Literis ad Domnum & Agathonem Epiſcopum Romanum, Gregorium item Epiſcopum Conſtantinopolitanum, illi *Papæ Univerſalis*, hic *Patr. Univerſalis*, ut vidimus, & *Act.* 1. hujus Concilii, Agatho *Archiepiſcopus vet. Romæ*,

Gregorius

Gregorius *Arch. novæ Romæ*, vocitantur. Sic, uti Sedes Romana in eodem paſſim, ita Alexandrina, Antiochena & Hieroſolymitana, *Act.* 17. *Sedis Apoſtolicæ:* Cyrus quoque Alex. principio ſtatim Concilii, *Papæ* nomine inſignitur. Quod verò *(d)* ad Agathonis verba, *D.* 16. *C. ſic omnes.* 2. *Sic omnes Sanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Divinâ voce Petri firmatæ:* nec non illa *Epiſt. ad Imp. præfatâ, Eccleſiam Apoſtolicam* (Rom.) *nunquam à veritatis Via deflexiſſe, ſed illibatam permanſiſſe, nec errare potuiſſe*, ſpectat, V. Heideggerum ubi ſuprà, & Joh. le Sueur prolixè *ad ann. C.* 681. ubi de Honorii præcipuè negotio. Nec hoc omittendum, quòd in principio Concilii hujus, Heraclii quoque ac Tiberii, fratrum Conſtantini & Auguſtæ poteſtatis conſortium, mentio, in fine verò uni Conſtantino acclamatum eſt, unde colligere licet, id quod ſuprà de illis à Conſtantino mutilatis remotiſque diximus, durante demum Concilio accidiſſe, duravit autem illud, à menſe Nov. anni C. 680. uſque ad 12. Sept. ann. C. 681. Atque ita Monothelitarum Hæreſis Eccleſiæ Catholicæ voce damnata, non tamen penitùs extincta eſt, ut cujus reliquiæ hodieque apud Maronitas, & in Eccleſia Antiochena ſuperſunt: quemadmodum etiamnum ibidem, ut & in Alexandrina Eccl. Eutychianorum ingens ſeges eſt. Eodem verò anno, Ervigii R. auctoritate, in Hiſpania Synodus XII. Toletana celebrata, atque in ea *de Electione Epiſcoporum* præcipuè actum: apud Saracenos, in Marvanis defuncti locum, Abdimelecus ſurrogatus, & triennalis ſiccitas, de qua ſuprà, hincque peſtis & fames tam enormis, ut plures Oceano ſe mergerent, in Saxonia oborta eſt, teſte Beda. Poſt

quæ

quæ deceſſit Agatho, d. 10. Januar. ann. Ch. 682. Conſtantini IV. anno 15. Sedis anno 3. m. 11. Sanctorum numero adſcriptus. Tantæ fuiſſe manſuetudinis, & humanitatis, ut neminem unquam à ſe triſtem dimiſerit, ſcribit Platina *in Eo*, V. quoque Ivonem *cap.* 4. Paulum Diac. *lib.* 19. Zonaram *Tom. III.* Cedrenum, Adonem Vienn. *ad annum* 669. Marianum Scot. *ad ann.* 676. Anaſtaſium Bibl. cœteroſque *Pontificum* proſopographos. (g) Illo ſedente, *Conſtantinopoli*, Theodoro remoto, ann. Ch. 679. ſubſtitutus eſt Gregorius, ann. C. 680. quo mortuo Theodorus ſedem recuperavit, poſtquam ſe errori renuntiare profeſſus eſt, ann. Chr. 682. quem tamen clam fovere non deſtitit. *Alexandriæ*, tum à Saracenis poſſeſſæ, Præſul, Petrum Presb. & Mon. ad Concilium miſit, ann. Chr. 680. *Antiochiæ*, Macario ob hæreſin depoſito, ſucceſſit Theophanes, eod. *Hieroſolymis*, itidem ſub Saracenorum jugo, Theodorus Vic. ſacra curabat, cujus Legatus Georgius Presbyt. & Mon. Concilio interfuit, anno eodem. Cœterùm, à Vilfredo Epiſc. Eboracenſi in Anglia, qui à ſententia Synodi ibi habitæ ad Papam appellaverat, dum per Friſiam iter facit, Romam petiturus, & apud Adgillum R. totâ hyeme hæret, plurimos Friſiorum ad fidem convertit, ann. Chr. 679. ſed mortui mox Adgilli ſucceſſor Radbodus fil. anno 680. Chriſtianis minùs æquus fuit, Ubbo Emmius *Hiſtor. Friſ.* Sub Imperatore quiſnam fuerit Eccleſiæ ſtatus, vidimus. Hæreticos quod attinet, non Monothelitæ ſolùm, ſed omnes reliqui à Simone Mago uſque ad Imperatoris hujus tempora qui unquam extitere, Concilii prædicti ſententiâ rejecti damnatique ſunt, *Seſſione ult.* plura hanc in rem

S Vid.

Vid. apud ſuprà laudatum Joh. le Sueur *in Agathone*, ubi, inter alia, de more Vett. *inungendi* morituros, deque *Unctionis extremæ*, circa Seculum X. origine.

XV. LEO (h) II.

Cum populo clerus ſtudia in contraria (i) *fertur,*
Atque diu (k) *Sedes, præſide nuda, vacat.*
Sufficior (l) *tandem, præſum* (m), *dominoq;* (n) *probante,*
Conferri gratis (o) *munera ſacra volo* (p).

Enarratio.

(*h*) Siculus hic, poſtquam Sedes, (*i*) ob diſſidium eam ambientium, vacâſſet, (*k*) annum 1. ac ſeptem menſes, Agathonem (*l*) excepit, menſe Auguſto ann. C. 683 electus, & mox ab Imperatore (*m*) confirmatus: dum interregno durante Abdimelecus, à Maronitis multùm infeſtatus, tributum pendere Imperatori perrexit; Syriæ verò ingens fames peſtisque incubuit. Conſecratione peractâ Leo, *Acta* Concilii CPoli habiti, à Legatis Romam reverſis, accepit, atque ilico Latinè tranſtulit, in quibus nomen *Honorii* extitiſſe, ex Anaſtaſio Bibl. tradit Baronius *ad annum Chr. 683. ſect. 2.* Sub finem illorum Epiſtola Leonis eſt ad Conſtantinum, quâ tum Concilia V. priora, tum VI. nuper habitum ſe amplecti, omnibusque erroribus & eorum auctoribus, in Concilio nominatim expreſſis, in ſpecie

in ſpecie Honorio, ut qui *doctrinâ Traditionis Apoſtolicæ non illuſtraverit Eccleſiam Apoſtolicam, ſed profanâ proditione Fidem immaculatam inquinare conatus ſit*, anathema ſe dicere, profitetur: ſi modò genuina illa eſt, ſunt enim qui dubitent. Ab (*n*) eodem impetravit Leo, ut, qui Ravennæ Epiſc. in poſterum eligatur, Romam ordinandus ſe conferat, eâ tamen lege, (*o*) *ne quid pro pallio ab eo exigatur*. Jam enim tum, non obſtante Gregorii Conſtitutione, ſacra hæc munera pecuniâ redimebantur, qua de re V. plura *in Ceremoniali* Rom. *l. de Sacris Ceremon. Sect. 10.* Habitâ dein, ſub Ervigio R. in Hiſpania Synodo XIII. Tolet. ad ejus Patres, miſſis Concilii Conſtantinopolitani Actis, ut illa *vigore auctoritatis ſuæ confirmare* velint, ſcripſit Leo, quod etiam ab iis factum, ex *Can. 2.* patet, ann. Ch. *683.* paulò verò pòſt obiit, an ſub finem ejusdem, an ſub finem ſequ. anni Ch. 684. Sedis m. circiter 6. Conſtantini IV. anno 17. eruditus & Muſicæ apprimè peritus: V. de eo Adonem Vienn. *in Chron.* Anton. Sabellicum *Rhapſod. hiſtor. enneade 8. libr. 6.* Martinum Polon. *Chron. ad annum Chr. 681.* Anaſtaſium Bibl. Platinam cœteroſque qui de *Pontificibus* ſcripſere; Baronium (qui *Epiſtolas ejus 5.* quòd Honorii in illis comparet nomen, pro ſuppoſititiis habet) Alios. (*p*) Sub eo memorabilem Lunæ eclipſin, quâ illa velut ſanguine ſuffuſa ultra 4. horas apparuerit, contigiſſe refert Anaſtaſius cit. d. 6. April. ann. Chr. *683.* quod meliùs ad tempus ſedis vacantis referas. Vid. quoque le Sueur *in Illo.*

S 2 XVI. BE-

XVI. BENEDICTUS (q) II.

Litibus (r) *arcendis, electio libera* (ſ) *facta eſt,*
Et Cæſar votis annuit ecce meis:
Sed fruſtra ſpes (t) *illa fuit. Multo Angla cruore*
Chriſtiadûm (u) *interea, plangite, terra madet* (x).

ENARRATIO.

(q) NAtione Romanus, Johannis fil. poſt undecim iterum menſium contentionem, Cleri populique ſuffragiis lectus atque ab Imperatore, more hactenus recepto, confirmatus, anno C. 684. Conſtantini IV. ann. 17. (r) paulò pòſt obtinuit ab hoc *Divales juſſiones*, (ſ) ut ſc. *quem Clerus, populus & exercitus Romanus Pontificem delegerit, is è veſtigio, non exſpectatâ vel Imperatoris vel Exarchi licentiâ, confirmetur ac conſecretur*: quo pacto Conſtitutio Odoacri, & poſt eum Juſtini I. penitùs ſublata eſt. (t) Verùm quàm noxia fuerit hæc libertas, mox in *Conone* aliiſque videbimus. Circa ea tempora Synodus XIV. Toleti habita eſt, propter *Acta* Concilii Oecumen. ad Synodi prioris Patres miſſa à Leone II. ut diximus: qui cùm minori numero tum coacti eſſent, jam aliâ Synodo numeroſiores coierunt, illudque unanimi conſenſu approbârunt. Vocant autem illud *quintum Oecumenicum*, an quia in Chalcedonenſi de Fidei doctrina propriè non actum: an quia Hiſpaniæ Præſules in III. Capitulorum

lorum condemnationem non conſenſerunt. (u) In Hibernia verò ingens innocentium incolarum, Monaſteriorum item & Templorum, ſtrages edita eſt à copiis Egfridi Northumbriæ R. teſte Bedâ *Hiſtor. Angl. lib. 4. cap. 26.* fortè quòd ritus ab Auguſtino Abbate comitibusque ejus Angliæ illatos & ab Egberto ſibi imperatos induere nollent, uti conjicit Johannes le Sueur *in Benedicto II. ad annum præf.* diverſi generis prodigiis, cometis, ſtellisque novis in cœlo adparentibus, flammarumque ac cinerum ingenti mole à Veſuvio monte eructatâ, memorabilem. Paulò pòſt Egfridus à Pictis magna clade affectus cæſusque eſt ejusd. anni die 20. Mai, qui ſic priſtinas ſuas ſedes recuperârunt, idem Beda. Benedictus verò obiit d. 7. ejusdem menſis, ann. Chr. 685. Conſtantini IV. 18. & ult. Sedis circiter ann. 1. in S. Scripturæ lectione egregiè verſatus. Vid. Adonem, Onuphrium, Anaſtaſium Bibl. Platinam, Luithprandum, Albonem Flor. aliosque *in Eo,* Sigebertum & Genebrardum *Chron.* Flavium Blondum *Dec. 1. l. 9.* &c. (x) Dum verò is Sacra Romana curat, *CPoli,* Theodoro extincto ſurrogatus eſt Paulus, quamvis laïcus adhuc eſſet, anno C. 684. Joh. le Sueur ubi ſuprà.

XVII. JOHANNES (y) V.

Sedi ut deceſſor (z) *totum vix præfuit annum,*
Iſthæc ſic ſtatio non diuturna (a) *mihi.*
Nec quidquam feci tam celſo culmine dignũ,
Infirmum corpus (b), *ſpiritus æger erat* (c).

ENARRATIO.

(y) ANtiochiâ Syrus, Agathonis Papæ ad Concilium VI. Oecum. Legatus, ut ſuprà videre eſt, poſt (z) Benedictum, in Sedem eſt evectus, menſe Aug. anni Ch. 685. præfati, ſed (a) nec ipſe diu præfuit, totoque inſuper Pontificatûs ſui tempore (b) lecto affixus manſit, unde non multa ejus apud Auctores mentio. Ejus tempore Conſtantinus IV. Pogonatus, de Eccleſia Dei totoque Imperio optimè meritus, deceſſit m. Sept. ſucceſſore ex Anaſtaſia Aug. filio Juſtiniano II. acris quidem, ſed præcipitis ingenii, qui magnâ fortunæ varietate ſupremam Orbis poteſtatem habuit. Primùm enim duce Leontio, Iberos, Albanos, Medos, Armenios, aliasque Orientis nationes, pulſis Saracenis, ſub ditionem tributumque redegit: quâ expeditione in Manichæos, quorum adhuc in Armenia tum multi erant, ſævitum ajunt. Dum in Auſtraſia, poſt mortem Vulfoaldi Magiſtri Pal. ſeu Majoris-Domûs, dignitas iſta, in Martinum fil. Clodulfi & Pipinum Craſſum collata, turbas excitavit. Ægrè enim ferens ſe poſthabitum Ebroïnus, utrumque prælio vicit, & Pipinum quidem in Auſtraſiæ interiora fugavit, Martinum verò, qui Lauduno urbi munitæ ſe poſt prælium incluſerat, per Engilbertum Epiſc. Pariſ. & Regulum Archiep. Remenſem, ut ad ſe exiret, perſuaſum, contra datam fidem, cujus internuntii Præſules hi fuerant, cum omnibus ſuis trucidavit, anno eod. quo & Vandregiſilus Abbas celebris Abbatiam Fontanellæ, prope Rothomagum, fundâſſe dicitur. (c) Poſt quæ obiit Johannes d. 2. Aug. ann. C. 686. Sedis circiter ann. 1. Juſtiniani II. ann. itidem 1. V. de illo Anaſtaſium Bibl. cœterosque ſæpiùs jam laudatos.

XVIII. CO-

XVIII. CONON, ſ. CUNO (d).

Dividit ambitio (e) *populum, pars eligit unum* (f),
Parti alius (g) *potior, cedit uterq;* (h) *mihi.*
Quare, quod genitor (i) *dederat, jam filius* (k) *aufert,*
Rurſumque arbitrii (l) *rem jubet eſſe ſui* (m).

Enarratio.

(*d*) THrax, (*e*) *Schiſmate* VII. inter eligentes oborto, (*f*) Theodorum Archipresbyterum exercitu, (*g*) Petrum verò quendam Clero provehere contendente, dum his inter ſe convenire non poteſt, (*h*) tertius tandem ab utriſque electus, &c, præmonito ea de re Exarcho, conſecratus eſt d. 21. Octobr. ann. Chr. 686. præf. Ut primùm ſedem conſcendit, literæ illi traduntur, ad Johannem V. deceſſorem ejus, ſcriptæ ab Imperatore, quibus Actorum Concilii ultimi autographum, in præſentia Patriarcharum, Epiſcoporum, Senatus & præcipuorum exercitus ducum, Apocriſiarii quinetiam Epiſcopi Rom. recitari ſe curâſſe, ut eo minùs aliorum ſuppoſitione corrumpi poſſent, illi ſignificat. Mox alias ab eodem accipit, quibus Imperator ei ſummam, quotannis ſibi propter Patrimonium S. Petri debitam, remittit. Nempe reditus, liberalitate piorum hominum, in Brutiis, Lucania & Sicilia, poſſidebant varios, *Patrimonii ſancti Petri* nomine, Epiſcopi Romani,

quos ut expeditiùs conſequerentur, certam in ſingulos annos Imperatori ſummam ſolvebant, cujus jam gratiam Conon à Juſtiniano impetravit. Verùm Conſtantinus Diac. poſt iſta Rector Adminiſtratorque Patrimonii Siciliæ Syracuſis à Conone conſtitutus, munus ſuum adeò ſiniſtrè obiit, ut, ejus rigore & fraudibus irritatus Imperator, etiam prius privilegium, quod (*i*) pater illius Conſtantinus populo Rom. circa ordinationem Epiſcopi ſui, impertitus fuerat, (*k*) reſciderit irritumque eſſe juſſerit: (*l*) præſertim cùm nec magno illud uſui fore turbulenta Cononis electio ſatis ſuperque eſſet teſtata. Addit Anaſtaſius, acriter in Cononem invectum eſſe provinciæ Judicem, quòd *mittendo ſceleratum Conſtantinum Diac. viſus fuerit inter Iudices perpetuas lites ſerere voluiſſe.* V. quæ *de Patrimonio Petri* in Gallia, ſuprà jam diximus, in *Gregorio I.* Circa idem verò tempus, quo Conon electus eſt, Theodorus alter in Exarchatu Theodoro Calliopæ ſucceſſit. Interea Saraceni, rerum ſuarum prudentes, pacem cum Juſtiniano, redditâ ei Africâ, inierant tributariam, pendentes in dies ſingulos millena nomiſmata, ſervumque ſimul & equum: additâ lege ut Mardaitæ, inſeſſores Libani & montium reliquorum, amoverentur à Juſtiniano, quippe, qui omnes Arabum civitates à Mopsveſtia in Armeniam uſque inhabitatas redderent: contrà verò Iberiæ Cyprique tributa ex æquo dividerentur. Sed ea cautio Mahometanis, quàm Græcis, opportunior erat: ut qui, nudatis ita per imperitiam finibus Imperii, eos barbarorum inſultibus pateſaciebant, anno eod. Pace cum Saracenis factâ, in Bulgaros ac Sclavos arma vertit Imperator, prædamque ſat amplam egit, ſed maximam partem in

reditu

reditu amiſit. Abdimelechus verò, ſeditione ſuorum coërcitâ capitibusque cæſis, Caliphatum ſuum, in Perſia & Meſopotamia, tranquillè poſſedit. In Italia, Theodoro Exarcho defunćto Johannes cogn. *Plato* ſucceſſit: ipſe Conon, Epiſcopatûs ſui tempore plerunque æger, cùm mortem appropinquare ſentiret, teſtamento opes ſuas, quibus magnopere abundabat, Clero ac Monaſteriis legavit. Cujus mortem brevi ſecuturam prævidens Paſchalis Archidiac. theſaurum ſibi rapuit, atque Johanni Exarcho, ut proximâ electione ſibi præſtò eſſet, magnam pecuniæ vim pollicitus eſt, in eam rem prompto, atque pro viribus Romæ Paſchalis ſpem ac vota ſuffulcienti: Dum deceſſit Conon d. 22. Sept. ann. C. 687. Sedis m. 11. circiter, Juſtiniani II. anno 2. V. de eo, Sigonium *de Regno Ital. l. 2.* Blondum *Decad.* 1. *libr.* 10. Anaſtaſium Bibl. Platinam, Luithprandum, Albonem Floriacenſ. cœteroſque in *Conone*, Cæſ. Baronium *Annal.* Alios. (*m*) Illius tempore, Kilianus Mon. ex Hibernia, in Franconiam delatus, Herbipoli fidem Chriſtianam annuntiavit, ac primus ejus urbis Epiſcopus creatus eſt, an. C. 686. V. Joh. le Sueur *ad illum*, ubi etiam de Æra Hiſpan. ſeu Ærâ Cæſarum, 38. annis æram Chriſtianam anticipante, quædam, occaſione libri c. *Iudæos*, à Juliano Epiſc. Hiſpano tum editi.

XIX. SERGIUS (n) I.

Otia pacata (o) *Sedis ſacro ære* (p) *redemi,*
Adjunxi Canoni, ſis bonus, Agne (q) *Dei.*
A Sacris volui tædas (r) *quòd abeſſe jugales,*
Multorum invidiam, probraq; (ſ) *crebra tuli* (t).

S 5 ENAR-

Enarratio.

(n) Antiochia-Syrus, Panormi in Sicilia educatus, Presbyter, poſt ingentes eligentium turbas & diſſidia, Cononi ſucceſſit. Cùm enim poſt hujus obitum, urbe in duas factiones ſciſsâ (quod *VIII. Schiſma* fuit) alii Theodorum Archipresb. alii Paſchalem Archidiaconum, obtrudere molirentur, jamque res ad arma ſpectaret; præcipui de exercitu, populo & clero, ſeditioni compeſcendæ, è media populi turba Sergium rapiunt Papamq; creant, qui ilico ab omnibus, ipſis etiam rivalibus, ſalutatur, vel, ut Sigonius recentiori adulatione ait, *adoratur*. Interea à Paſchali vocatus ſubitò advolat Johannes Exarchus, qui cùm in Sergium conſenſum ab omnibus videret, (o) non quidem illi moleſtus eſſe pergit, pecuniam tamen à Paſchali ſibi promiſſam Sergio extorquet, quam ſummam cùm hic tam ſubitò conficere non poſſet, (p) ſacra vaſa aureasque coronas, quæ ante ſancti Petri altare ſuſpenſæ hactenus erant, ei pignori opponit, ſicque in ſede confirmatur, conſecratus die 25. Decembr. ipſo Natali Domini, ab Oſtienſi, Portuenſi & Velitrenſi Epiſcopis, cùm aliàs ſolius Oſtienſis id munus eſſet. Ubi, quod de Symmachi electione Heideggerus dixit, repetere liceat: *Si ſolam ovium Chriſti curam animo pio voluiſſent: ſi aliud in eo munere lucrum non ſpectâſſent Epiſcopi, tam acriter de Papatu dimicaturos, quis ſanus exiſtimet?* Fuit is annus Ch. 687: Juſtiniani II. Imp. 2. de eo, (q) quod Canoni Miſſæ adjunxerit Pontifex, infrà. Eodem anno, in Hiſpania, Egicani, Bambæ agnato, Ervigii R. genero, à Proceribus Regni & Epiſcopis Synodo XV. Toleti congregatis, juratum.

Poſt

Poſt quæ, Ebroinus in Gallia tandem ſcelerum pœnas dedit, ab Hermenfrido Nobili, ſævitiam ejus verito, occiſus. In Italia verò, Damianus, in Præſulatu Ravennenſi, Theodori ſucceſſor, ejus exemplo, invito Clero, Romam ivit, à Sergio, cui ſimiliter obſequio ſe addixerat, conſecrandus, an. C. 688. Quò mox Ceadvvalla quoque Veſtſaxonum in Britannia R. ſe contulit, ibique à Sergio ſacro fonte initiatus vigiliâ Paſchatis d. 10. April. decendio pòſt deceſſit, Inâ ſucceſſore. Paſchalis autem, Sergii æmulus, *pro aliquibus incantationibus, & lucis, quos colebat, vel ſortibus, quas tractabat,* ut Anaſtaſius inquit; ſeu, *quòd falſæ religionis convictus eſſet,* ut Sigonius; gradu ſuo motus eſt, anno Chr. 689. In Gallia dein Pipinus, æmulis remotis, ſolus dignitatem Major-Domatus in Neuſtria Auſtraſiaque obtinuit, eaque ſumma cum laude functus eſt. Dum in Oriente, Imperator temerè Saracenicam pacem disrupit, monetam non pendi ſuâ ſignatam imagine prætendens. Cyprios dein, ne porrò expoſiti eſſent Barbarorum incurſionibus, aliorſum infelici conſilio tranſtulit, V. *Can. 39.* Concilii VII. qui illorum in gratiam conditus eſt. In Italia, Perthari Langobard. R. filius Cunipertus ſucceſſit, anno Chr. 690. Inde Juſtinianus, cùm è Sclavicis gentibus evocaſſet 30. m. armatorum, quem populum *περιούσιον* appellitabat, Saracenos aggreſſus eſt: qui, implorato perjurii ultore Deo, ſcriptas pacis conditiones haſtæ alligârunt, ſublatisque in acie vexilli inſtar, cum Romanis manus conſeruerunt. Sed primo congreſſu inferiores, pecuniis corrumpunt Slavorum Ducem, quorum cùm 20. m. transfugiſſent ad Saracenos, demſere animos reliquis, fœdamque in Romanis fugam excitârunt:

târunt: à quo tempore impunè Romanas provincias incurſavere Agareni. At apud Langobardos, Alachis Tridenti D. Perthari bis olim rebellis, Cuniperto jam, cujus operâ utraque vice Patri fuerat reconciliatus, iterum rebellans arma cepit: dum Cæſarauguſtæ Synodo convocatâ viduæ Regum Hiſpaniæ ad ſecunda vota tranſire prohibitæ; & in Gallia, Theodorico R. Clodoveus III. ſub tutela Pipini, ſurrogatus eſt, ann. C.691. qui Ultrajectum, à Radbodo Friſone, durantibus inteſtinis diſſidiis, occupatum, Franciæ regno rurſus ſubdidit. In Oriente autem, Sabbatius Armeniæ Prætor, cognitâ Imperatoris clade, Armeniam Saracenis reliquit. Circa quæ tempora, juxta Baronium compluresque alios, actâ CPoli Synodo, decretum inter alia, *Ne quis Presbyteros cogeret à ductis legitimè uxoribus abſtinere*, ann. C.692. cui (r) refragantem Sergium Papam (ſ) Juſtinianus mandavit trahi CPolim: ſed renitente exercitu fruſtra fuit, uti quidem Anaſtaſius narrat. Verùm aliam hujus rei cauſam fuiſſe oportet, cùm Concilium illud ſeptimo demum anno Seculi ſequ. fuerit celebratum, uti videbimus *in Iohanne VII.* Interea Juſtinianus, quòd Stephano Perſæ Eun. & Theodoro Mon. hominibus avaris ac atrocibus, qui nec ab Imperatoris matre cohibebant manus, ſe ſuaque omnia permitteret, civium promeruit odia, ac proin, paulò pòſt Imperio excidit: quod Eclipſis Solis tanta, ut interdiu ſtellæ videri potuerint, d. 5. Octobr. præſagiiſſe videtur. In Hiſpania Synodus XVI. Toleti habita eſt, contra Sisbertum urbis Præſulem, qui Egicanis R. vitæ inſidias ſtruxerat: ubi præterea varia decreta. *Canon* inprimis 16. memorabilis eſt, è quo in S. Euchariſtia tum *panem unum, omnibus commu-*

communicantibus, *calicem* item, diſtribui conſueviſſe, liquidò patet, ann. C. 693. ad quem Joh. le Sueur *oblatarum* uſum Seculo demum XI. & *communionem ſub una*, non niſi Sec. XV. introductam, oſtendit. Sequuta Juſtiniani ruina. Leontius enim Græciæ Præfectus, ſuſpectus Imperatori, & proin biennio in vinculis habitus, poſt libertatem impetratam, Pauli Mon. Aſtrologicis inflatus vaticiniis, audendum aliquid dicentis pro ſecundis adeò fatis, Byzantii aſſumtis fidiſſimis effringit carceres, quibus non pauci Nobilium ad ſupplicium ſervabantur. Eorum concurſu, adjuvante præſertim Callinico Patr. quem etiam neci deſtinaverat Imperator, hic è regia extrahitur, præciſoque naſo (unde ei Ῥινοτμήτȣ cognomen) relegatur Cherſoneſum an. Imp. 9. miniſtris tyrannidis funibus raptatis per urbem & incenſis. Dum in Hiſpania Egica R. Judæos omnes, quòd, cum Africæ Judæis conſpiratione initâ, ſibi & regno inſidias ſtruxiſſent, bonis fiſco addictis, in ſervitutem redegit, liberoſque ſeptem egreſſos annos Chriſtianis tradidit, ex ſententia Synodi XVII. Toletanæ, in qua etiam *de Miſſa pro mortuis* aliquid decretum, ut apud Baronium & Joh. le Sueur videre eſt. In Langobardorum verò regno, Alachis, qui, Zenonem Diaconum contra ſe pugnâſſe comperto, juraverat, *ſi victoriâ potiretur, ſe puteum Clericorum teſticulis repleturum*, in prælio, victus à Cuniperto, occubuit. At Romoaldus, Benev. D. in Calabriam irruptione factâ, Tarentum & Brunduſium Imperatori eripuit, & ad fil. Grimoaldum ſucceſſorem transmiſit, ann. Chr. 694. In Francia, Clodoveus III. ſine liberis moriens, regnum fratri Childeberto reliquit, ſub quo Pipinus magnas res pro regno & religione, contra Radbo-

 dum

dum inprimis Friſonem, geſſit, ann. C. 695. in eo impingens, quòd Plectrudi conjugi pellicem Alpaïdam ſuperinduxit, & Lambertum Epiſc. Ultraject. qui facinus meritâ cenſurâ notaverat, per illam trucidari permiſit :: dum Saraceni, qui, Carthagine expugnatâ, Africam occupârant, eâ à Johanne Patricio, Leontii fratre, rurſus pulſi ſunt, anno Chr. 696. Sed Caliphas, mox adornatâ ingenti claſſe, iterum invaſit Africam, cui impar Johannes CPolim rediit, majores poſtulaturus vires :: quo abſente claſſis, metu Leontii, ne ignaviam ſuam ulciſceretur, Abſimarum Auguſtum ſalutavit, qui & *Tiberius* appellatus eſt. In Hiſpania, Vitiza ab Egica patre in ſocietatem regni adſcitus, Favilæ Ducis Cantabriæ uxorem rapuit, ac maritum ejus necavit, Pelagii, pòſt ad Hiſpaniæ regnum evecti, patrem, anno C. 697. Sub hæc Abſimarus Byzantium pervectus, proditis ſibi clavibus, urbem occupat, Leontium defecto ſimiliter, ut ipſe Juſtiniano fecerat, naſo, cuſtodiæ tradit, ac principibus, qui ab illo ſtabant, exilii damnatis, Imperio potitur. Chaganus verò Avarum R. Perſiam occupavit, anno Chr. 698. uti Cedrenus narrat. Coeterùm Tiberius Abſimarus, ſimul rerum potitus eſt, fratrem ſuum Heraclium in Orientem adversùs Agarenos miſit, qui Samoſata uſque peragratis Syriæ regionibus, hoſtium ad 200. mill. vel cepit vel occidit, prædâ ditatus immenſâ. Circa quæ tempora Sergius conſtituiſſe dicitur, ut ante Communionem, dum panis à Presbytero frangebatur, ter cantaretur, *Agne Dei, qui portas peccata mundi, miſerere noſtri*; tertiâ verò vice, pro *miſerere noſtri*, diceretur, *da nobis pacem*, uti Anaſtaſius Bibl. aliiq; habent, ann. C. 699. Habdalla poſt hæc Saracenus, cladem

priorem

priorem ulturus, in provincias Imperii irrupit, Mopſveſtiam cepit munivitque, & Armeniam recuperavit. In Friſia, Radbodus pacem cum Pipino fecit, liberorum matrimonio firmatam. In Polonia, Cracum R. electum, urbem à nomine ſuo dictam, quæ *Cracovia* hodieq;, condidiſſe ſcribunt *Hiſt. Polon.* Auctores. In Hiſpania verò Egicæ ſ. Egicani Vitiza fil. ſucceſſit, libidinoſus & ſævus, quem tributum ab Hiſpaniæ Regibus velut vaſſallis Sedi Rom. pendi hactenus ſolitum Sergio recuſâſſe, ſcripſit Baronius (ſed ſuo malo: propter hoc ipſum enim *Annales* ejus in Hiſpania non habere adplauſum ſunt qui dicant) ann. C. 700. Sequitur *Seculum VIII.* Pontificum dominationi provehendæ apprimè idoneum; dum in Oriente remoti admodum ſedebant Imperatores, Italiam Langobardi vexabant, ſubditique Romani ab obſequio Imperatoris CP. paulatim ſe ſubducebant, Exarchorum imperium quavis ratione exuere parati: qui omnes, Rom. Pontificum gratiam rebus ſuis neceſſariam judicantes, illam ſibi parandi occaſionem nullam preterire paſſi ſunt. Hujus anni 1. menſe Sept. dieque hujus nono, obiit Sergius, an. ſc. C. 701. Juſtiniani II. tum exulis an. 16. Sedis an. 13. m. 8. d. 15. de quo V. Sabellicum *Enn. 8. l. 6.* Sigonium *de Regno Ital. l. 2.* Flav. Blondum *Dec. 1. l. 10.* Anaſtaſium, Platinam, Albonem Floriac. Ciaconium, cœteroſque *in Eo*, Baronium, Alios. (1) Illo ſedente, *CPoli*, Paulo defuncto ſuffectus eſt Callinicus ingenio validus, ſed novitatis amans, an. C. 691. præter quem floruere tum varii, quorum miniſterio, dum, gliſcentibus Chriſtianorum vitiis, propagatus in Oriente Mahometiſmus eſt, Germaniæ quibuſdam populis melior notitia Dei cœpit illuceſcere, Friſiis, Rugiis, Danis, Saxonib*, Bructeris, Francis Or. aliis.

aliis. Wigbertus enim Anglus, in Dania, Friſia, alibiq́ue Fidem prædicavit, ann. C. 688. quòd Jovis & Foſtæ ſtatuam everuſſet, à Radbodo occiſus, ann, Chr. 694. Kilianus, Gosberti Francorum D. conjugis inceſtæ dolo peremptus eſt, anno C. 689. Willibrordus cum XI. ſociis itidem ex Anglia profectus eſt in Hollandiam, ann. C. 690. Ultrajecti, Archiepiſc. à Sergio, precibus Pipini, creatus & *Clemens* dictus, ann. Ch. 697. Suidbertus ex eadem gente, Bructerorum fuit Apoſtolus, ann. Chr. 691. Weſtphalorum Epiſcopus ordinatus, ann. Ch. 695. Alii, Pipini omnes ope ſuffulti, qui, ut Radbodus vel invitus Evangeliſtis illis pacem daret, effecit. Sed & Otilia, in Germania, ann. C. 690. & Benedictus Anglus, Romæ ſub Agathone jam clarus, ann. C. 694. & Bertinus Abb. an. C. 698. & Lambertus Tungr. Epiſc. ann. C. 699. & Vulfranus Arch. Senon. in Gallia, & Beda Mon. jam in Anglia, ann. C. 700. quem Sergius per literas Romam invitârat, Aliique, memorati Johanni le Sueur *in Hiſtoria Sergii*, celebres fuere. E quibus, cùm Alpaida, ſuprà memorata, ex Pipino Caroli Martelli mater, Lambertum Dodoni fratri ſuo ob ſanctam ejus *παῤῥησίαν* trucidandum objeciſſet Leodii, mox ſceleris pœnas exigente Deo Dodo vermibus corroſus, ob intolerantiam fœtoris Moſâ fl. demerſus eſt. *Ea enim tunc temporis deploranda devotio inolere cœperat, ut maxima flagitia templis exciiandis vel honorando Papam, expiari putarentur*, Lætus & Joh. Cluverus *in Juſtiniano II.* V. & ſuprà. De Eccleſiæ ſub Imp. ſtatu dictum, Hæretici, vitiis erroribusq́ue in Eccleſiam ſenſim irrepentibus, rareſcere cœperunt.

XX. JO.

XX. JOHANNES (u) VI.

Muneribus miſſis (x) *crudelem placo Giſulfum* (y),

Qui Beneventani (z) *ſceptra tenebat agri.*

Nec minùs Exarchum (a), *Sedi non læta parantem* (b),

Propitio occurſu(c) *propitioq;*(d)*prece*(e).

ENARRATIO.

(*u*) GRæcus gente, Sergium excepit, anno C.701. præf. quo Abdimelecho, apud Saracenos, extincto fil. Valid ſucceſſit, ſede regni Damaſci: in Langobardorum autem regno, Cunipertus deceſſit, teſte Paulo Diac. ſucceſſore Luitberto, ſub tutela Ansbrandi, cui Ragumbertus Godeberti R. filius, Taurinenſium D. ſe oppoſuit, regnum quod pater amiſerat occaſione hac recuperaturus. Dum alterâ parte, turbis in Campania à Giſulfo Beneventi D. excitatis, ut pacem redimeret & captivi redderentur, (*x*) Presbyterorum aliquos Johannes cum ingentibus donis ad (*y*) eum miſit, qui ſic placari ſe paſſus (*z*) ad ſua ſe recepit, & paulò pòſt extinctus, Romualdum fil. ſucceſſorem habuit. Eodem fere tempore, Abſimarus Tiberius, in locum Johannis Platonis Exarchi, in Italiam (*a*) Theophylactum miſit, qui non Ravennam primò, ſed (*b*) Romam rectà petens, Johanni Papæ manus injecturus, aut ſaltem illum malè tractaturus credebatur, an quòd à Tiberio confirmationem electionis ſuæ

ſuæ petere neglexiſſet, an alias ob cauſas. Quod milites, qui Romæ erant, impedituri, arma parabant. (c) Verùm Johannes, ne ſeditio aut cædes orirettur, prudenti conſilio Clerum in occurſum Exarcho miſit, qui iſto honore, (d) precibusque Papæ, delinitus, ſine noxa ulli illata, Ravennam inde ſe recepit. Dum in Oriente Mahumetes, tum Princeps Arabum, cùm arma inferret Ciliciæ, acerrimis repulſus eſt præliis, ac majori exercitus parte deletâ, Heraclius reliquos fere omnes cepit, & ad fratrem Abſimarum transmiſit, pro mancipiis futuros. In Hiſpania verò Vitiza, occaſione ſcandalorum, quæ ex Presbyterorum cœlibatu provenire videbat, hac in parte illos Papæ porrò obſequi vetuit, omnibusque Epiſcopis, Presbyteris cœterisque Sacrorum Miniſtris conjugium imperavit: cui tamen illos morem non geſſiſſe, Baronius ait, anno Chr. 702. Apud Langobardos dein, Luitbertus ab agnato ſuo Ragumberto acie victus, & fortiori cedere coactus eſt. Sub quæ elapſus cuſtodiâ Juſtinianus Chagani ſeu Principis Chazarum amicitiam & affinitatem impetrat, ductâ ejus ſorore Theodorâ, fretusque illis fidei vinculis apud eum eousque degit, donec Barbarus Rex, Abſimari auro corruptus, illum tradere promiſit, hoſpitem & affinem ſuum. Sed ille fugâ antevertit exitium, & relictâ conjuge ad Trebellinum Bulgarorum R. profugit, cujus & armis protectus, ann. C. 703. & in patriam reductus atque in Imperium reſtitutus eſt. Tum, inter alia, Callinicum Patr. quòd ſibi adverſatus eſſet, demptis luminibus, Romam exulatum miſit, Johanni, qui illum non amabat, cujusque operâ ad ſua corpra uſurus erat, gratificaturus. Ragumberto verò, in Langobardorum regno, Aripertus

pertus fil. ſucceſſit, anno Chr. 704. qui, prælio contra Luitbertum denuo victor, eum captum occidit, in cœteros quoque, qui eum conſilio aut ope juverant, ſævus. At Romæ, Johannes deceſſit d. 10. Januar. ann. Ch. 705. Sedis ann. 3. m. 2. & d. 12. Juſtiniani II. Imp. ann. 20. Vid. de illo Auctores ſuprà laudatos. (e) Eo ſedente, *Conſtantinopoli*, Callinico excæcato ac relegato, ſubſtituit Imperator Cyrum Abb. exilii comitem ac ſecuturæ felicitatis vatem, ann. Ch. 704. De *Alexandrina* Sede, uſque ad ann. Ch. 742. nihil certi habetur, uti ſuprà diximus *in Martino I.* Nec magis de *Antiochena*, uſque ad eundem annum. Quod ad *Hieroſolymitanam*, V. quæ ſuprà in *Honorio*. Cœterùm floruit tum Samonas Epiſcop. Gazæ, cujus diſſertatio, contra Saracenum Achmedum, Græco idiomate exarata, habetur, circa annum Chr. 704. Wilfridus it. ſeu Walfridus, ex Anglia, virorum egregiorum eo tempore feraciſſimâ, Epiſcopus tandem Ebor. Ut & Winfridus, unus ex Willibrordi comitibus, qui *Bonifacii* poſtmodum nomine inclaruit, Vid. Joh. le Sueur *ad eund. ann.* Damaſci verò, Saracenorum invidiâ & inſtigatu Validus Chriſtianis magnificum, quod ibi habebant, templum eripuit, ac quidquam Græcè ſcribi aliterque, quàm in Arabica lingua, vetuit; quâ ratione, uſu Græcæ ac Syriacæ in illis locis ſenſim exoleſcente, Arabica ac Turcica introduci cœpit, anno eodem, &c.

XXI. JO-

XXI. JOHANNES (f) VII.

Alpes accedunt Ariperto dante (g) *cathédra,*
Queis olim nomen Cottius (h) *eſſe dedit.*
Penthecte in Trullo (i) *celebratur, Cæſaris almi*
Auſpiciis, propriâ quam quoque ſigno (k) *manu* (l).

ENARRATIO.

(*f*) GRæcus itidem, Platonis fil. in Johannis VI. locum ſurrogatus eſt, d. 1. Martii, an. C. 705. Juſtiniani II. ann. 20. (*g*) cui, ſub prima ſtatim Pontificatûs initia Aripertus Langob. R. *immania ſua ſcelera expiaturus, qui jam ſeculi illius error & terror fuit,* ut ait Heideggerus, (*h*) Alpes Cottias, factam olim à Nerone provinciam, & Taurino Genuam uſque indeque in Gallias, Blondo & Platinæ, extenſam, in patrimonium donaviſſe, ac donationis inſtrumentum, aureis perſcriptum literis, Romam ad Johannem miſiſſe dicitur. Quod initium temporalis Paparum dominii. Juſtinianus verò in Bulgarorum Regem ingratus, magnam ab eo cladem accepit, anno eod. quam notam ut elueret, ſubditorumque ſibi amorem conciliaret, leniori erga illos imperio uti porrò, ac Sacrorum curam cordi ſibi habere, conſtituit. Itaque ut novum Concilium haberetur, Præſulibus injunxit, ac quæcunque ad illud neceſſaria, maturè providit. Dum in Hiſpania, Vitiza, ob ſcelera, ſuorum rebellionem veritus, muros urbium toto regno, Toleto, Legione & Aſturicâ exceptis, dejici juſſit, ſicque Saracenis ad occupan-

occupandam paulò pòſt Hiſpaniam, viam munivit, anno Chr. 706. ipſe mox, à Receſvvindi R. nepote Roderico, cujus patrem Theodoſredum Com. Cordubenſem oculis privaverat, adjutu Juſtiniani Imp. acie devictus ac viciſſim luminibus privatus, qui ſic Gothorum in Hiſpania regnum, familiæ ſuæ debitum, recuperavit. (*i*) Sequutum Concilium, de quo paulò antè, quod alii quidem tempore Sergii I. habitum ann. Chr. 692. accuratiores verò Chronologi, quos inter familiam ducit Petavius, Car. Sigonium ſequutus, in hunc annum rejiciunt. Auctoritate igitur Juſtiniani Rhinotmeti, à Cyro Patr. CPoli in Trullo convocata celebrataque adeò eſt Synodus, quam *Concilium in Trullo*, item *Concilium* CCXXVII. *Patrum*, vulgò Πενθέκτην, *Quini-ſextam* vocant, eò quòd quintæ & ſextæ Synodi generalis, in quibus Canones de diſciplina, regimine, ritibus Clericorum & Monachorum, decreti nulli fuerant, quoddam ſupplementum eſſet, uti ex *Nomocanone* Balſamonis diſcimus. In ea conditi ſunt Canones CV. quorum I. *Concilia VI. Oecum. priora confirmata*: II. Canones, *Apoſtolici* vulgò dicti, recepti, de quibus Vid. Dallæum *de Pſeudepigraphis*, & Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Eccleſ. num.122. & ſeqq.* III. *Presbyteri & Diaconi ad ſecunda vota tranſire prohibiti.* XII. *Epiſcopis, ut uxores dimittant, injunctum*: quamvis id repugnare *Can. 6. Apoſtolico* Patres agnoſcant. XIII. *Presbyteri verò & Diaconi, uxores retinere juſſi*, quamvis in Eccleſia Rom. ab illis ſe ſeparaturos, quum ordinantur, promittere ſint ſoliti: Rationem addunt, quòd ſcriptum ſit, *Honorabile in omnibus conjugium & thorus immaculatus.* XXXII. *Armeniorum, mero vino in Euchariſtia utentium, conſuetudo reprehenſa, & ut vino miſceatur aqua, imperatum.* Retinuerunt

nuerunt tamen morem ſuum Armenii, uſque ad ann. C. 1439. quo Concilium Florentinum habitum eſt, & ſequ. quoque tempore, adnotante Caſſandro *Liturg. c. 12.* XXXIII. *Eorundem praxis, neminem ad miniſterium ſacrum, niſi qui è ſtirpe Sacerdotali eſſet, admittentium, caſtigata.* XXXVI. Juxta Concilium CP. Oecum. I. & Concilium Chalced. *Sedi Patriarchali CPolίτα πρεσβεῖα, par dignitas, cum Romana, confirmata, ſervato tamen huic ordinis primatu.* XXXVIII. Ut, *ſi urbs aliqua ad majorem dignitatem ab Imp. eſſet evecta, Eccleſia quoque illius loci gradum altiorem conſequeretur,* ſicque prærogativa Eccleſiarum Civitatum prærogativæ reſponderet, ſecundùm Conc. Antiocheni *Can. 9.* ſtatutum. XLIV. *Monachis conjugium ineuntibus fornicationis pœna denuntiata:* LV. *De Jejunio Sabbathino* contrarium Eccleſiæ Rom. conſuetudini decretum: LXVIII. *Quâ reverentia libri Vet. & N. Teſt. habendi,* præſcriptum. LXXIII. *Ne figura Crucis in pavimento fiat,* cautum. LXXIV. *Agapæ* ſublatæ. LXXXVIII. *Ut Jeſus Chriſtus non ulteriùs agni, ſed hominis, formâ pingatur:* CI. *Ut Euchariſtia manu percipiatur,* &c. concluſum eſt. Auctoritatem Concilii hujus quod concernit, in Eccleſia Græca ſemper ea magna & cœteris Conciliis Oecum. par fuit. In Romana, non æquè. Quòd enim varios ibi Canones, Eccleſiæ Rom. diſciplinæ, praxi, authoritati oppoſitos, ſeu, uti Anaſtaſius, *capitula Romanæ Eccl. contraria,* videre eſt, ideo nonnulli in illa *Synodum erraticam — etiam planè confictam appellare non verecundantur — Auxeruntque Canones ſchiſma jam antè cœptum Orientales inter & Occidentales, fatente Baronio, eorum cauſâ diu Græcos inter & Latinos diſceptatum eſſe,* Heideggerus *Hiſtoriâ Papatûs c. 47.* Concilium certè Nicænum II. à Pontificibus & Concilio Tridentino

receptum,

receptum, Synodi Trullanæ ſæpius meminit: & Hadrianus I. *Reſponſo ad Capitulare Caroli M. ſanctam* appellat. Nicolaus quoque I. *Epiſt. ad Michaëlem Imp.* illam citat, ut & Patres Concilii Florentini, & Gratianus, &c. Poſt celebratam eam, miſit Imperator per duos Metropolitas, *Acta* ad Johannem, *ut*, Anaſtaſii verba ſunt, *quæ ei viſa eſſent, ſtabiliret, & quæ adverſa, renuendo excluderet*, ſeu ſimplicius, Platinæ verbis, (k) *ut illis ſubſcriberet*. Verùm, uti addit Anaſtaſius, *Johannes timidior, fragilitatis humanæ vitio, remiſit Acta Principi, nulla in parte correcta*: pauloque pòſt obiit, ſub finem anni 707. Sedis ann. 2. m. 8. Juſtiniani II. Imp. ann. 22. de quo, præter jam laudatos Auctores, Vid. Johannem le Sueur, *ad annum Chr. 706.* & 707. ubi inprimis de Concilio præfato. (*l*) Eo ſedente, Suidbertus Weſtphalorum Epiſcop. Brunſuicenſibus Saxonibusque etiam fidem prædicavit, ann. Ch. 705. ac Wilfridus Arch. Eboracenſis Friſiorum plures convertit, à Johanne Papa, contra perſecutores, defenſus, Beda *de Geſtis Angl. l. 5. c. 20.*

XXII. SISINNIUS (m).

Bis denas tenui clavum cum Numine luces,
Nec ſtatio ulterior, nec mihi vita fuit.
Et miſera illa quidem, diroq; haud caſſa (n) *dolore,*
Qualis Sanctorum ſæpius eſſe ſolet (o).

ENAR-

ENARRATIO.

(*m*) AL. *Zoſimus*, Syrus genere, Antiochiâ oriundus, poſt obitum Johannis VII. electus, die 18. Jan. ann. C. 708. Juſtiniani II. Imp. 23. (*n*) podagræ doloribus, enectus eſt viceſimo pôſt die: (*o*) de quo V. Anaſtaſium Bibl. cœterosque in *Vitis* Pontificum.

XXIII. CONSTANTINUS (p) I.

Felicem (q) *exagito, pronus me Cæſar* (r) *adorat,*
Et veniam ſcelerum (ſ) *ſupplice voce petit.*
Sanctorum veneror (t) *ſimulachra, Philippicus* (u) *hoſtis*
Ira perpetitur tela triſulca (x) *mea* (y).

ENARRATIO.

(*p*) SYrus itidem Siſinnio ſucceſſit, anno eod. quo fere tempore Damiani Ravennenſis ſucceſſor Felix Romam venit, ut à Conſtantino conſecraretur. Sed, *quia secundùm priorum ſuorum ſolitas in ſcrinio noluit facere cautiones*, ut Anaſtaſius ait: hoc eſt, quia ad certam obſequii formulam ſe aſtringere, Romamque argentum pro more mittere, ipſius Urbis Proceribus fultus, recuſavit, uti Blondus & Platina rem explicant, Conſtantinus ei non annuit. Quare reverſus Ravennam Felix, apud Populum Clerumque ea de re queſtus, ex utriusque ſententia, Pontificis jugum denuo excuſſit: (*q*) Conſtantinus verò apud Juſtinianum tantum obtinuit,

tinuit, ut is Pontifici gratificari & ſeveram de Felice pœnam ſumere conſtituerit. In Hiſpania, Rodericus, pulſis in Africam Vitizæ R. filiis, & exarmatis, inſtinctu Com. Juliani, ſubditis, viam pandit Saracenorum turmis, anno præf. 708. ut impunè deprædarentur littora, ac, Tarteſſo Carteja que captis, ſpoliis onuſti ad ſua reverterentur. In Britannia verò, Conredus Merciorum R. cœnobium intravit, quod exemplum haud pauci Principes viri hoc ſeculo imitati ſunt, tanto in pretio Monaſtica tum vita fuit. Felicem verò præfatum Imperator, miſſo in locum Theophylacti defuncti Exarcho Johanne Rhizocopo, & juſſo Theodoro Patricio cum claſſe Ravennam petere, in poteſtatem redegit, ac CPolim abductum dignitate & oculis privavit atque in Pontum relegavit, ex Conſtantini ſententia, uti Anaſtaſius, dicens, id factum eſſe *ex judicio Dei & ſententia Petri principis Apoſtolorum*, innuit, anno Chr. 709. Poſt quæ Imperator, Cherſonæos ſibi, cùm apud eos exularet, inſidias ſtruxiſſe recordatus, miſſo exercitu, quoſcunque nanciſci potuit, crudeliſſimè mactari, primores etiam igni aſſari, ſoloſque impuberes ad ſervitium cuſtodiri, juſſit. Sed nec illis parcendum porrò decernens, claſſem eos advectum miſit, etiam lætari viſus, quòd obortâ tempeſtate ſeptuaginta tria miſerorum millia fluctus rapuiſſent. Interea, Papam ad ſe CPolim invitavit, ſeu, uti Paulus Diac. loquitur, *ad ſe venire juſſit*, & Anaſtaſius, *miſit ſacram, per quam juſſit eum ad regiam aſcendere urbem*, in Vita Conſtantini: *ſpecie conſilii de Rep. cum ipſo ineundi, revera ut honoribus cumulatum ſui eum beneficii faceret*, Heidegg. an, ut precibus ejus peccatorum ſuorum, quæ atrocia eſſe ſibi conſcius erat, veniam facilius

ciliùs obtineret, *Qui ſanctiſſimus vir*, verba ſunt ſeqq. apud Anaſtaſium, *juſſis Imperialibus obtemperans, ilico navigia fecit parari*, & cum aliquot Epiſcopis cœteroque comitatu, Hydruntum pervenit, ann. C. 710. atque inde CPolim & Nicomediam: ubi, (r) adventantis Papæ pedes Imperatorem *Regium* (diadema) *in capite habentem exoſculatum* eſſe, Sigonius & Anaſtaſius: *proſtraviſſe ſe in terram coram Papa*, (ſ) *precatumque ut pro ſuis peccatis intercederet*, Paulus Diac. ait, cuncta Eccleſiæ Rom. privilegia ſimul innovâſſe, & Pontificem Romam onuſtum muneribus remiſiſſe, addens. V. eum *de Geſtis Langobard. l. 6. c. 31.* & *de oſculo pedum* Pontificibus vindicato, à Gregorio VII. Joh. le Sueur, ex *Dictat.* ejus XX. Verùm, quia exſcindi Cherſonæorum oppida & parvulos allidi ad parietes mandârat Juſtinianus, mox patuit, pro miſeris & innoxiis vindicem Dei oculum vigilare. Cherſonæi enim, implorata Chazarorum ope, Philippico Bardani perſuadent, ut Imperium induat, qui, miſſo Heliâ prætore & Amaſtri urbe captâ, Juſtiniano caput amputavit Romamque miſit, ac filium ejus Tiberium, jam conſortem Imperii, atque ex Heraclii ſtirpe ultimum, è templo abſtractum, ſecto gutture, pecudis inſtar, trucidari juſſit. Dum in Gallia, Childeberto II. filius Dagobertus II. ſub tutela ſuprà memorati Pipini, ſucceſſit. In Hiſpania autem, Rodericus raptâ Juliani conjuge ſibi totique regno perniciem attraxit, Juliano Saracenos, Taricho duce, ex Africa in Hiſpaniam transportante, ut domus ſuæ caſum patriæ ruinis ulciſceretur. Hi in monte, qui *Gebel Tarich*, hodie *Gibraltar*, ex duce appellatur, caſtra munierunt, ac bellum Hiſpaniis exitiale intulerunt, ann. Chriſti 711. Interea

nunt

nuntius cædis Juſtiniani allatus, Romam magnopere turbavit, & Philippicus, Monachi cujuſdam Monothelitæ, qui, ab eo adhuc exule Synodi VI. abrogationem ſtipulatus, imperaturum eſſe prædixerat, ſecutus judicium, Monothelitarum ſententiam adprobavit, ejectoque Cyro Patr. alium iſtius factionis (an eum ipſum Monachum, Johannem nomine) ſubſtituit, per quem acto conventu, quæ in Monothelitas erant decreta, infirmavit. Mox tabella, in qua Synodi illius Patres, depicti erant; addunt alii, Chriſti, Mariæ Virg. Sanctorumque imagines omnes è Templis ſublatæ, & Conſtantinus Papa, ut Synodi à Johanne actæ decretis morem gereret, juſſus, inſuperque Romam Petrus, qui Præfecti munere ibi fungeretur & Imperatoris ſtatuam, in Æde S. Petri, ſicut Deceſſorum olim, collocaret, miſſus eſt à Philippico. Dum in Langobardorum regno, Ariperto Aſprandus exul ſucceſſit, vixque trimeſtri dignitate gaviſus, Luitprandum fil. ſucceſſorem habuit. Johannes verò Exarchus, ob ſævitiam, à ſuis occiſus eſt, ann. C. 712. (*t*) At Conſtantinus, mandato Philippici irritatus, tantum abſuit ut ei obtemperaret, ut potiùs in adverſum nixus, Romæ celebratâ Synodo, eaſdem imagines (quas è porticu S. Sophiæ, ubi paulò antè à Juſtiniano collocatæ fuerant, ſuſtulerat Imperator) additis etiam præcipuorum, qui prioribus Conciliis intererant, Patrum imaginibus, in porticu S. Petri collocaret. Inſuper ex ſententia Synodi, anathema dixit omnibus, qui imagines Sanctorum è Templis tollerent, illaſque *colere* detrectarent: (*u*) Philippicum verò Hæreticum declaratum (*x*) excommunicavit, *diroque in eum carmine compoſito pœnis inferorum devovit*, ac Imperio

T 2 indignum

indignum pronuntiavit, *utpote in Iconomachiæ hæreſin lapſum*, uti Platina ait. Primus adeò Pontificum, qui aſpectu hæreſeos obedire noluit ſummæ in terris poteſtati: primusque qui Imagines SS. Conſtitutione hac de re in Synodo factâ in Templis ſtabiliret, illarumque *venerationem* ſanciret, Vid. *de Regno Ital. l. 3.* Quâ occaſione nova *de cultu ac veneratione Imaginum* controverſia inter utramque Eccleſiam mota, & quæ hactenus *quæſtio acceſſoria tantùm fuit, jam principalis evaſit*, Heideggerus ubi ſuprà, neque de Monothelitiſmo ampliùs, ſed de Imaginibus certatum eſt, couſque ut, *qui illis venerationem denegarent, ab Eccleſia conſtitutam*, verba ſunt Sigonii, pro Hæreticis, atque hinc pro iis, qui omni jure quamcunque dignitatem poſſidendi excidiſſent, haberentur. Paulò pòſt Philippicus, qui in odium apud Proceres venerat, ab illorum duobus domi ſuæ privatur luminibus, poſtridieque (erat dies Pentecoſtes) Artemius, Secretariorum princeps, renuntiatur Imperator ac *Anaſtaſii* nomine inſignitur. Onuphrius ex imaginum deſpectu obortum Philippici hunc contemptum memorat, cùm Petrus *Regi qualicunque propter Dominum jubeat parere, 1. Ep. c. 2. v. 13, 18.* Apud Langobardos Luitprandus, Codici Rotharis novas quaſdam Leges addit, & prudentiæ ac fortitudinis laude floret. In Hiſpania autem Roderico acie cæſo, Barbari potiuntur Hiſpaniâ, Hiſpalin, Legionem, Cordubam occupant, Francis ea, quæ Gothorum adhuc erant in Galliis, ad ſe rapientibus, anno C. 714. Sigebertus Gemblac. & Warnefridus *Lang. l. 6. c. 42.* Ut verò Imperio potitus Anaſtaſius eſt, ſibi cum Conſtantino bene convenire, teſtaturus, miſſis Legatis ſe aſſentire Synodi VI. canonibus & Monothelitas

thelitas damnare, confeſſus eſt: quæ cauſa, quòd Scholaſticus Patricius, in locum Johannis Exarchi à ſuis caſi miſſus, & Dux Petrus, Româ priùs pulſus, ibidem honorificè reciperentur. Circa eadem tempora Felix Ravennæ Præſul, quem luminibus privatum ac in Pontum relegatum diximus, poſtquam Pontifici ſe ſubmiſiſſet & *ſolitas in ſcrinio cautiones feciſſet*, reſtitutus eſt. Cumque Ticinenſis Epiſcopus ab Arch. Mediolanenſi, pro more, conſecrari nollet, Pontificis id eſſe contendens, re ad Conſtantinum delatâ, is pro ſe ſententiam tulit: non defuere tamen Ticinenſium poſtero quoque tempore Præſulum varii, qui eâ non acquieſcerent, teſte Sigonio. Apud Anglos, tum primùm in templa Imagines illatas, per Eguinum Mon. qui viſionem ea de re ſe habuiſſe Conſtantino firmaverit, refert Abbas Urſperg. ann. Ch. 714. qua de re Vid. Joh. le Sueur *ad fin. Seculi hujus VIII.* Paulò pòſt mortuus eſt Conſtantinus, d. 9. April. anno eod. Epiſcopatûs ſui anno 6. d. 15. Artemii Anaſtaſii ann. 1. uti Baronius habet, Anaſtaſius verò Bibl. Onufrius & Sigonius, ſeriùs eum deceſſiſſe volunt: quos vide de ipſo, uti & Cedrenum, Theophanem, Marian. Scotum *ad ann.* 712. Blondum *Dec.* 10. *l.* 1. Sabellicum *Enn.* 8. *l.* 7. Platinam, Alios. (*y*) Illo Rom. Eccleſiæ res curante, *CPoli*, Cyro Johannes Mon. Monothelita à Philippico ſuffectus eſt, ann. C. 712. ut diximus. In Germania verò, contra Bructeros, populosque vicinos, perſecutione à Saxonibus excitatâ, Suidbertus Paſtor eorum, Coloniam ſe recipere atque Pipini patrocinium implorare coactus eſt. De ſtatu Eccleſiæ ſub Impp. vidimus, ut & de erroribus eam turbantibus.

XXIV. GREGORIUS (z) II.

Luitprando (a) *jungor* (b), *mox deſero* (c), *rurſus adunor* (d),
Pro varia Sedis conditione (e) *mea.*
Pictis infenſum divis condemno (f) *Leonem,*
Et Roma (g), *amoto Cæſare* (h), *fio* (i) *caput* (k).

Enarratio.

(z) Romanus, cogn. *Dialogus*, quòd pro tempore illo eruditus haberetur, quadrageſimo poſt obitum Conſtantini die illi ſurrogatus eſt, anno Chr. 714. præſ. circa quod tempus Theodoſius Adrumettenus, ab exerçitu imperare coactus, CPolim obſedit, fortiter eam defendente Artemio. Apud Saracenos, Valido extincto frater Solimannus ſucceſſit: In Francia verò, præcipuus gentis ductor Pipinus, mœrore animi, ex cæde Grimoaldi fil. Radbodi Friſonis generi, juſſu hujus factâ, deceſſit, anno eod. Vidua ejus Plectrudis Carolum Martellum, Pipino ex pellice genitum, mancipavit cuſtodiæ, ex qua tamen ille, mortuo paulò pòſt Dagoberto II. Rege, elapſus, paternam adeptus eſt dignitatem, eamque tantâ geſſit felicitate, ut ſtirpi ſuæ Francorum Regnum acquireret. Dum Theodoſius, CPoli captâ, Germanum novellum Patr. ac principes pro Artemio ſtantes, conſtrinxit vinculis, ipſumque Imperatorem Nicææ ſe tradentem, ejurato Imperio, tonderi in Clericum & Theſſalonicæ exulare juſſit. Mox imagines Patrum VI. Concilii,

Concilii, à Philippico ſublatas repoſuit, Monothelitarum errorem abominari ſe hoc pacto teſtatus: quo tempore Gregorius Pont. renovavit, Synodo in æde Laterana actâ, quod de veneratione Imaginum ſub Conſtantino factum erat, decretum, *ad excitandam*, ut Sigonius habet, *langueſcentem multitudinis imperitæ memoriam*, anno Chr. 715. Mox Leo Iſaurus, Orienti ab Artemio rector datus, Theodoſio cedente, ad Imperium emerſit, & à Patr. Germano, poſt editam confeſſionem fidei, quam & Gregorius probavit, coronatus eſt: in Hiſpania Saracenis interea Toleto potitis, & gentis reliquiis in montes Galliæ vicinos compulſis, anno Ch. 716. Cumis poſt hæc à Duce Beneventi in Italia captis, ſibi urbique timens Gregorius, precibus, pecuniâ & anathemate contra illum excuſſo, cùm fruſtra ſe eſſe videret, Johannem D. Neapolit. ut illas armatâ vi recuperare conaretur, hortatus eſt: quod cùm is feliciter effectum dediſſet, urbem certâ pecuniæ ſummâ redemptam ſuam fecit, *Petrique Patrimonio* adjunxit. Quo eodem fere tempore Pelagius, regiæ Gothorum ſtirpis in Hiſpania, cùm filiæ ſuæ vim illatam didiciſſet, collectâ popularium manu, Aſturiæ montes occupavit anno Chr. 716. ac reliquiarum ſuæ gentis libertatem maſculè adversùs Saracenos tutatus, novum ibi regnum condidit, teſte Vaſæo: poſtquam Muſalmæ & Solimanni, ut & Humaris huic ſuffecti, fraudes ac vis, tum præt. anno, tum iſto, contra Leonem Imp. fruſtra fuiſſent, imò ex navium 3. mill. vix quinque cladis nuntiæ domum rediiſſent, documentum potentiæ DEI, quem Chriſtiani venerabantur; unde Humaris in hos Edictum & perſecutio. Nec Sergius Prætor Siciliæ felicior fuit, qui, cùm urbem regiam à Saracenis obſeſſam

obſeſſam vidiſſet, tyrannidi inhians, victus eſt à Paulo Chartulario, anno C. 718. In Gallia, Carolus Martellus, qui biennio antè à Raginfredo & Radbodo victus fuerat (quæ ſola ei clades illata memoratur) Raginfredi poſtmodum aliquoties victor, ut & Eudonis Aquitan. D. quem is poſt Radbodum ſibi junxerat, jam utrique pacem dedit, & contra Saxones alioſque Germaniæ populos, egregiè rem geſſit. In Imperio verò, Artemius, qui Theſſalonicæ exulabat, à loci Epiſcopo, ad repetendam dignitatem incitatus, Bulgarorum proditione in Leonis manus venit, ac ab eo cum conjuratis peremptus eſt: dum apud Saracenos Humari Gizidus, Abdimelechi fil. ſucceſſit, in Chriſtianos mitior; apud Friſios autem, Radbodum patrem Adgilus excepit, Chriſtianis libertatem dare à Pipino coactus: in Italia tandem, impulſu Gregorii, Petronax civis Brixienſis Monaſterium Montis-Caſſini, 130. poſtquam à Langobardis in cineres eſſet redactum, anno, denuo erexit exornavitque, Abbas illius factus, anno Chr. 719. Poſt quæ Conſtantinus (cui *Copronymi* cognomen diu pòſt ab inimicis affictum) vix bimus, Leonis patris voluntate, diademate exornatus eſt. Saraceni verò Sardiniam occupârunt, à quibus B. Auguſtini reliquias magno redemptas *divino honore coluiſſe* Luitprandum Langob. R. ait Sigonius: ita in denſiſſima ignorantiæ, qua ætas illa merſa erat, caligine, incrementa *cultus* ſumpſit *voluntarius*; unde vix alio tempore plura templa, Monaſteria, aliaque condita, vix pluribus privilegiis ac immunitatibus donata ditataque, quàm Sec. VII. & VIII. præſente. In Francia circa idem fere tempus, poſt Chilperici III. obitum, in Comitiis Regni, Theodoricus II. Rex, & Carolus Martellus

Martellus *Dux ac Princeps Francorum* renuntiatus eſt; at Saraceni, ſuperatis Pyrenæis, Narbonem occupârunt, ac Toloſam circumſederunt, anno Chr. 720. Gregorius dein, Synodo in Laterano habitâ, anathema dixit iis qui *virgines aut fœminas velatas, vel etiam commatres ſuas*, duxiſſent: cumque Thuringorum, Saxonum & Alemannorum non pauci, perſecutionis metu, ad idololatriam eſſent reverſi, miſit ad illos cum literis Vinofridum ſeu Winfridum Mon. & Presbyterum Angloſaxonem, qui, *Bonifacii* nomine ſumpto, in Germaniam ablegatus, apud Cattos, Friſios, aliosque Germaniæ populos, *Chriſtianiſmum propagavit*, ſeu, ut alii, *Eccleſiæ Rom. eos ſubjecit*, juxta ſacramentum peculiare, quo *B. Petro & Vicario ejus Gregorio II.* adeoque *Sedi Romanæ* ſe addixerat, uti legere eſt *in Epiſt. Decret.* Gregorii Tom. II. Concil. unde illi cum Epiſcopis earum regionum non parvæ lites. Eodem tempore, inſignis Satanæ fraus in Judæos & Saracenos eluxit. Judæos novus quidam Pſeudomeſſias Syrus deluſit, ann. C. 721. quos cùm ob id promiſcuè baptizari cogeret Leo, reperti ſunt, qui ex deſperatione ſemetipſos cum familiis cremarent. Similiter Gizidus, Saracenorum Princeps, cùm Judæo cuidam præſtigiatori fidem adjunxiſſet, diuturnum ei promittenti Imperium, ſi omnes Chriſti & SS. imagines aboleret, altero anno periit, ſi fides Theophani, quam meritò in dubium vocat Joh. le Sueur *in Gregorio II.* cùm ex Alcorano liqueat, à principio ſtatim Mahometanos, adeoque non nunc demum, ſub tempus redintegratæ Imaginum inter Chriſtianos controverſiæ, imagines fuiſſe abominatos easque abolitum iviſſe, ann. C. 722. Interim Gizido extincto frater Haſca ſucceſſit. Imperator

verò, ne cœptis ſuis de Imaginum abolitione Gregorius obniteretur, veritus, primò Marinum, *Ducem*, h. e. Præfectum urbis Romæ, declaratum, dein etiam Paulum Patricium, Ravennæ Exarchum, in Italiam miſit, ut Gregorio manus injicerent, necemque inferrent: quo conſilio detecto, Romani Baſilium, cui negotii id dederat Paulus, captum Monaſterio concluſerunt, ſociis ejus extremo ſupplicio affectis, anno Chr. 723. Interea Bonifacius Mon. Romam reverſus muneris ſui in Germania obiti rationem Papæ exhibuit, & ab illo Epiſcopi dignitate ornatus eſt: quo tempore ſacramento, cujus ſuprà mentio, ſe Gregorio & Sedi Rom. obſtrinxiſſe dicitur. Inde, cum ſyſtaticis ad Martellum, Principes Præſulesque Thuringiæ & aliorum locorum in Germaniam remiſſus, Haſſiam Thuringiamque obivit, atque in has Monaſterium S. Michaëli dicatum condidit. Gregorius verò, cùm Paulum iteratis mandatis ad ſe capiendum vel ſaltem alium Pontificem eligendum, ab Imperatore inſtructum cognoviſſet, contractis undiquaque copiis, & Spoleti ac Tuſciæ Ducibus Langobardis in auxilium vocatis, Pauli conatus reddidit irritos, uti quidem Anaſtaſius & Sigonius habent: Zonarâ & Cedreno (qui aliàs nec Imaginum, nec Paparum hoſtes) de tota hac Leonis contra Gregorium machinatione altùm ſilentibus, ipſoque Gregorio nihil tale de Exarcho aut Leone unquam conqueſto. Hoc certum, Leoni bellum moviſſe Gregorium eoque fine (*a*) Luitprando Langobardorum R. (*b*) ſe junxiſſe, qui, occaſione hac ad potentiam ſuam augendam uſurus, omni diligentiâ ſe ad bellum paravit, anno C. 724. moxque ſuis Romanisq; copiis ſubnixus Ravennam cum toto penè Exar-

chatu Paulo extorſit, eumque in Ducatum converſum nepoti ſuo Hildebrando tradidit. Verùm ſucceſſus hic ſupra ſpem fuit: quare Gregorius (c) timens, ne Luitprandus, occaſione invitante, ulteriùs pergeret, apud Urſum Venetorum Ducem acriter inſtitit, ut, quandoquidem Ravenna occupata ſit *à peſſima Langobardorum gente*, ipſe *excellentem ſuum filium Dominum Exarchum* opibus juvare haud gravetur, quò ſic Ravenna *in priorem Sanctæ Reip. ſtatum, ſub Impp. Leonis & Conſtantini, Dominorum ſuorum ac Filiorum, ſubjectione, reducatur.* Quibus moti Urſus Venetique, Langobardorum inſuper viciniam veriti, copias ſuas Paulo jungunt, ac Ravennam terra marique obſeſſam brevi recuperant redduntque Exarcho. Dum in Gallia Saraceni, qui ante biennium Carcaſſonem & Nemauſum occupârant, jam plura moliti, ab Eudone Aquitaniæ D. ingenti ſtrage cæſi profligatiq; ſunt. Secutum Leonis Imp. *Edictum adverſùs Imagines* & mandatum ad Gregorium, quo illum ab earum tutela graviter dehortatur. Verùm hic, binis ad Imperatorem literis, Imaginum venerationem argumentis undique conquiſitis ſtabilitum ire, quantum pote, illum Joſiæ, *qui contuderit ſerpentem aneum* (volebat dicere, Ezechiæ, ex Reg. *cap. 18. verſ. 4.*) fratrem appellare, *ſerpentem illum cum Arca in Templo à Davide repoſitum*, aſſerere aliaque addere, quæ in incepto potiùs confirmando Leoni, quàm à propoſito abſterrendo, idonea erant: neque his contentus, literis cyclicis ad populos Romanæ ditionis Ravennates, Pentapolitas & Venetos circumquaque miſſis, Hæreſeos accuſare Imperatorem, eumque ſi perſiſtat, qui ab omnibus deſeratur, dignum eſſe, pronuntiare, an. C. 725. Nec verò ſolùm

promulgavit, ſed & executioni Edictum dedit Imperator, cumque ſuos etiam Byzantii imaginum demolitores, à furente turba, occidi perſentiſceret, ſeditioſos ſeverè ultus eſt: atque Germanum Patr. ſe retrahere conantem fruſtra eſſe juſſit. Quibus perceptis Gregorius, *ſævire animo atque extrema meditari remedia cœpit,* Sigon. ideoque, *non eſſe Imperatoris quidquam in fide innovare* dictitans, Decreto publicato, *eum communione removit*, &, quoniam Imperiali dignitate ſe reddiderit indignum, *populos Sacramenti religione exſolvit.* Quod cùm Romanis, Ravennatibus, Campanis & Pentapolitis admodum volentibus eſſet, illi Leonis ſe obedientiâ mox exuunt, & in ſuos paſſim Magiſtratus inſurgentes, Exhilaratum Campaniæ ducem adorti occidunt, cum filio; mox etiam Exarchum ipſum Paulum Patricium: Petrum verò *Romæ Ducem* ultimum oculis privant, alioſque eorum in locum pro lubitu ſuo ſibi præficientes, univerſam Italiam ſeditione, rapina, cædibus implent: de alio quoque Imperatore legendo conſultatione inſtitutâ, anno Ch. 726. Quod cùm Gregorius impediiſſet, Romani in ipſius verba jurant, & ſolemni Sacramento ſe Pontificis Rom. vitam ſtatumque in perpetuum defenſuros, ac auctoritati ejus obtemperaturos, recipiunt: *atque ita Roma Romanusque Ducatus à Græcis ad Romanos Pontifices, propter nefandam eorum hæreſin* (ait Sigonius) *impietatemque pervenit.* Triginta urbium, quæ tum Pontificis dominium ſubierint, meminere Hiſtorici, quarum nomina habes apud Joh. le Sueur *in Gregorio II.* dum altera parte Luitprandus Bononiam aliaque Pentapolis oppida ſibi rapuit. Imperator tanto rerum motu perculſus Eutychium quidem, in Pauli occiſi locum,

Exarchum

Exarchum futurum ſummiſit, ſed & hic à Gregorio anathemate notatus eſt. Prodigium huc novæ inſulæ trahit Cluverus, cùm *Sicut eo tempore* ait, *præcedente horribili flammarum fumo, inter Theram & Theraſiam nova emerſit inſula: ita è conflictu Imperatoris & Papæ portentoſo, novus in Italia Eccleſiæ dominatus ſurrexit*, in *Leone Iſauro:* quod ſuo loco relinquit le Sueur *ad an. præc.* Nec verò in Italia ſolùm auctoritatem Auguſtam deflagrare, ſed & ipſam Regiam urbem ab Agalliano & Stephano ducibus bello quati vidit Leo; quorum tamen ſeditioſa claſſis Græco igni combuſta mox interiit, anno C. 727. quo ipſo & è Saracenorum gente horrenda, adversùs Nicæam Bithyniæ, evanuit expeditio. Poſt quæ Exarchus, cum Luitprando paciſcitur, ut Rex Spoletanum Ducatum, cujus dux Thraſymundus contra ipſum rebellaverat, Exarchus Romam Imperatori palàm rebellem ſubigat. Saraceni verò in Aſia, à Chagano Tartarorum R. iteratis cladibus afficiuntur, anno C. 728. Inde Thraſymundo in Luitprandi veniente fidem, Gregorius, (*d*) molem belli ſibi imminentem declinaturus, cum Clero ſuo & populi Proceribus Luitprando obviàm proceſſit, eumque elaboratâ oratione mitigavit; (*e*) qui proin, pacti cum Exarcho immemor, id ſaltem operæ dedit, ut illi cum Gregorio conveniret. Quo pacto Exarchus Romæ honorificè exceptus, Tiberiuſque regni invaſor paulò pòſt bello peremptus eſt: dum in Friſia, Pipinus rex Willibrordi conſilio, homines ad paganiſmum relapſos, vi ad Chriſtianiſmum retrahere eſt conatus, ann. C. 729. Interea Leo, in propoſito pergens, *omnes imagines dejici ac confringi, picturas abradi, parietes dealbari* juſſit, cumque Germanum Patr. in ſententiam ſuam pertrahere

non poſſet, ei Anaſtaſium ſubſtituit, (*f*) fulmenque Gregorii riſu excipiens, *Idololatra eſt, ipſe excommunicatus eſt*, reſpondit, Georg. Hornius *Hiſtor. Eccl. period. II. artic. 18.* anno Ch. 730. Sub quæ de Saracenis ingentem in Gallia reportavit victoriam Martellus, Papa verò Gregorius obiit d. 11. Februar. ann. Ch. 731. Sedis anno 16. m. 8. Leonis III. Imp. anno 16. (*g*) Romæ, (*h*) Leonis Imperio excuſſo, (*i*) caput factus, ut dictum, de quo Vid. plura, apud Paulum Diac. *Hiſtor. Miſcell. l. 21. c. 18.* & 26. Theophanem, Zonaram *Tomo 3.* Cedrenum, Sigebertum *ad ann. C. 725.* & *ſeqq.* Abbatem Urſperg. *in Chron.* Blondum *Dec. 1. l. 10.* Sigonium *de Regno Italiæ lib. 3.* Anaſtaſium, Onuphrium, Ciaconium, Sirmondum, Alios, in *Vita* ejus. (*k*) Illo Eccleſiæ Rom. præſidente, *Conſtantinopoli*, Johannem ab Anaſtaſio II. ob Monothelitiſmum pulſum, excepit Germanus, anno Ch. 714. quo, ob Imaginum defenſionem, deturbato, à Leone, ſucceſſit Anaſtaſius, an. C. 730. ut diximus. Aquilejæ, Sereni Arch. in locum Calliſtus ſurrogatus eſt, ope Luitprandi, ann. C. 726. Cœterùm floruit Corbinianus, qui, è Francia in Germaniam ad Evangelium annuntiandum profectus, primus Epiſcopus Friſingenſis, in Bavaria, factus eſt, ann. C. 724. Johannes Damaſcenus, vir cœtera doctiſſimus, ſuſcepto & ipſe Imaginum patrocinio, inſenſum expertus Imperatorem, inter Saracenos fulſit, circa ann. 728. Beda verò, à morum gravitate & modeſtia *Venerabilis* dictus, Anglicanæ Eccleſiæ ingens ornamentum fuit, circa ann. Ch. 731. de cujus ſententia, circa Euchariſtiam, quam *Figuram Corporis & Sanguinis Domini* vocat, *in Lucam c. 22. in Pſalm. 3. Homil. de Sanct. in Epiph. in Pſ. 133. de Tabern. l. 2. c. 2.* &c. circa præſentiam

item.

item Chriſti, quem *quoad Divinitatem nobis adeſſe, corpore verò abſentem eſſe à nobis*, docet *Homil. æſtiv. de Temp. feriâ 6. Paſch. in Ioh. c. 9.* alibique paſſim, Vid. Joh. le Sueur *ad ann. præf.* uti de vocibus *Typi* & *Antitypi*, Euchariſtico pani & vino à Vett. tribui ſolitis, atque *variatione locutionum Sacramentalium*, in Eccleſia Græca, ſub Germano Patr. cœptâ, *ad ann. Chr. 730.*

XXV. GREGORIUS (l) III.

Romanâ in Synodo (m), *Patribus pro more coactis,*

Firmo meum pictâ relligione (n) *thronum.*

Winfridus (o) *claret, Petro nummum* (p) *Anglia ſolvit,*

Martellum titulo nobiliore (q) *beo* (r).

ENARRATIO.

(*l*) SYrus gente, Gregorio II. ſurrogatus eſt, quinto poſt obitum eius die, anno C. præſ. 731. flagrantiſſimo in Imaginum venerationem zelo: cujus primum ſpecimen, quòd, quamprimum Sedem conſcendit, literis ad Leonem & Conſtantinum Impp. datis, acriter inſtitit, ut de Imaginibus ſententiam mutarent; cùm verò Presbyter, illarum lator, eas exhibere auſus non eſſet, illum, cum iiſdem Romam reverſum, communione indignum judicavit, donec mandata expediiſſet, qui proin, dum CPolim denuo ire parat, in Sicilia captus ac in carcerem conjectus eſt, anno eod. Alterum, quòd, (*m*) ſtabiliendæ potentiæ contra Imperatorem ſedulò

ſedulò incumbendum ratus, Synodum XCIII. Epiſcoporum, & II. Archiep. Antonii Gradenſis & Johannis Ravenn. coëgit, ac inter alia decrevit, (*n*) *Si quis poſthac veterem Catholicæ Eccleſiæ uſum contemnens adversùs eandem, ſacrarum venerationem imaginum abrogârit, ſit extorris à corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel totius Eccleſiæ unitate*, Sigonius *d. l.* quo pacto Imaginum potentiæque ſimul Pontificiæ, (cujus parandæ augendæque idoneum id tum maximè medium) ædificio novus tibicen ſubditus. At Leo, *rectiùs è divinis informatus literis idololatricarum ſtatuarum adorationem & ſanctorum ambiendas, ut fingebant, precibus interceſſiones, cum ſuperſtitioſo reliquiarum cultu, quibus inſanire cœperat Orbis Chriſtianus, conſtanti animo damnare perrexit*, Johan. Cluverus *in Eo*: atque ad auſus Pontificis compeſcendos claſſem in Italiam direxit, quæ tamen tempeſtatibus disjecta fruſtra fuit. Mox, *poſtquam ſuos detineri cenſus* (jam enim Gregorius II. Romanæ urbis & Italiæ tributa ſibi vindicaverat) *ab eo, qui Chriſti, cenſum reddere jubentis Cæſari Ethnico, vicarium ſe venditabat, vidit, Eccleſiæ Rom. per Siciliam Calabriamque proventus ſuo addixit fiſco*, Idem *ibid.* verùm nec hoc plagæ medebatur: vix enim proventus hi, quos *Patrimonii Petri* nomine veniſſe, ſuprà vidimus, ad dimidium auri, tria verò argenti talenta, tum aſcendebant. Interea filio ſuo Conſtantino uxorem ſumpſit Chagani Chazarorum R. filiam, Chriſtianâ fide priùs imbutam, & in baptiſmo *Irenes* nomine inſignitam. In Gallia verò Carolus Martellus, bonorum prædiorumque Eccleſiaſticorum parte, proceres de regno bene meritos, & in bellis exactis ad egeſtatem redactos, remunerando Eccleſiaſticorum odia in ſe concivit, ann. C. 732.

Poſt

Poſt quæ, Papam & Proceres Italiæ, Legatos ad Imperatorem miſiſſe, atque, ut imagines templis reſtitueret, petiiſſe, hos verò poſt octimeſtrem moram re infectâ remiſſos eſſe, refert Anaſtaſius Bibl. additque, Leonem inſuper Epiſcopum Nicomediæ Theophylactum, quòd ille Edicto Imperatorio de Imaginibus tollendis in ſua diœceſi morem gerere nollet, exilio mulctâſſe. Quo tempore Romualdus Dux Benev. deceſſit, relicto filio Giſulfo, anno C. 733. Quæſtione dein, de matrimonio ejus, *qui adoptato alterius filio, matrem poſtea hujus, viduam factam, ſibi junxit*, à Bonifacio motâ, non dirimendum illud ſolùm, ſed & morte talem plectendum, pronuntiavit Gregorius; Bonifacio & Anglis Doctoribus, quòd id conjugii genus in S. Scriptura prohibitum non eſſet, contrarium ſentientibus. Dum Carolus Martellus Friſiâ quoque Occid. ſubactâ ſimulachra falſorum Deorum & templa iis ſacrata demolitus eſt, anno Chr. 734. Hunaldum inde Aquitaniæ D. Eudonis defuncti, ann. C. 735. filium ad obſequium reduxit. At Leonis, in Epiſcopos Monachosq́, Edicto ejus obſequium negantes, etiam ſævitia narratur, à quibuſdam Scriptoribus, minimè certè laudanda, niſi atrocioribus fortè accenſa facinoribus, ut ſuprà jam viſum. In Hiſpania, moriens Pelagius, Favilam fil. ſucceſſorem habuit: Willibrordus verò Ultrajecti per 40. annos Arch. multos diſcipulos, celebre poſt eum nomen conſequutos, anno C. 736. In Gallia, Theodorico II. defuncto, aliquot annorum interregnum cœpit, Carolo interea Martello res gerente, anno C. 737. qui filium ſuum majorem natu Luitprando Langobardo, cum quo arctum inierat fœdus, adoptandum dedit, eique junctus Saracenos, Arelatum

latum uſque progreſſos, fortiter repreſſit. Dum in Hiſpania, Favilæ ſucceſſor, Alfonſus I. gener Pelagii, aliquot urbibus iisdem ereptis clarus, *Catholici* nomen, Ricaredo primùm uſurpatum, reſumpſit; quod tamen ſucceſſores ejus omiſere iterum, uſque ad Ferdinandum Aragon. Maurorum expulſorem, qui illud à Julio II. repetitum ſibi familiæque proprium fecit. Circa idem tempus (*o*) Bonifacius Romam iterum reverſus, muneris ſui, in augendo per Germaniam Eccleſiæ Romanæ regno, occupati, rationem reddidit Gregorio, & ab illo, cum reliquiis aliquot ac literis ad populos Principesque Germaniæ, eôdem remiſſus eſt: qui tum circa quæſtionem *de conjugio commatrum*, damnato Synodo Lateran. anno hujus ſec. 21. ut ſuprà *in Gregorio II.* viſum, mentem ſuam, literis ad Pethelmum aliosque miſſis, liberè expoſuit, neque videre ſe, quare pro illicito habeatur, confeſſus eſt, Vid. *Epiſtolam ejus* 11.15. & 22. Apud Langobardos autem, Thraſymundus Spoleti D. Luitprando Regi rebellis Romam ſe recepit, ut Pontificis jam valde potentis opibus contra dominum ſuum defenderetur. Excepit eum *alacri ſtudio* Gregorius, & repetenti illum, ac bellum minitanti Luitprando, dediturum ſe negavit, anno Chr. 738. pauloque pòſt circumſeſsâ à Luitprando urbe, cùm illum deceſſoris more occurſu & oratione delinire non poſſet, non quidem Imperatoris opem imploravit, *à cujus imperio Romam Italiamque, quantum in illo erat, abſcidit*, Cluver. ſed Carolum Martellum, quem *Viceregis* & *Excellentiſſimi filii* elogio inſigniit, ſuppetias rogavit. Interea Luitprandus nimio æſtu fatigatum exercitum aliorſum abduxit, Thraſymundus verò, Pontificis ac Godescalci, qui Be-

neventum occupaverat, copiis ſubnixus, Ducatum ſuum, ditionisque Pontificiæ urbes non paucas, recuperavit. Bonifacius circa id tempus Bavariam in IV. Epiſcopatus diviſit, quorum præcipui Ratisbonenſis & Salisburgenſis, anno Chriſti 738. Gregorius porrò, cui unus ſupererat metus à Langobardis, quia literis ſuis non ſatis permotum Carolum rebatur, jam Legatos ad eum miſit, *cum vinculis ſancti Petri & clavibus ſepulchri ejus*, hoc eſt, catenulis & claviculis, ad inſtar verarum, ut credebatur, confectis, illumque *Patricium* ac *Romæ Vrbis præfectum*, qui honor non niſi proximis ab Imperatore conferri ſolebat, creavit. Sed ne ſic quidem plus obtinuit, quàm ut Carolus pro ſua apud Luitprandum authoritate & amicitia perficeret, ne gravius quid ab ipſo Romani paterentur. Dum horrendùm intremuit Conſtantinopolis, ut apud Cedrenum videre eſt. Mox (*p*) increverunt vires Pontifici, Inâ WeſtSaxonum in Anglia Rege vectigales ditiones ſuas Romanæ Eccleſiæ faciente, juſsâ quaque domo *denarium pendere S. Petro*, ut loquebantur, annuum; quem ipſum cum uxore Monaſticum habitum, pro ſeculi illius more, ſumpſiſſe Baronius refert; ſimile quid de Offa R. ann. Chriſti 775. tradunt, ex Polydoro Virg. de cujus auctoritate Angli Scriptores viderint, conſule Joh. le Sueur ad annum C. 740. quo ipſo Gregorius Bonifacium monuit, ut Synodum Epiſcoporum cogeret in Bavaria, literis datis, *Religioſiſſimo Domino Leone Aug. imperante, an. 23. Imp. ejus, anno 20. magni Conſtantini filii, Indic. 7.* Poſt quæ obiit Imperator, niſi Imagines deſtruxiſſet, multò benigniores Imperii ſui Scriptores habiturus, ſucceſſore Conſtantino V. fil. quem *Copronymum, Caballinumque*

que appellavere. Hic dum abeſt in Aſia, Saracenorum aliquoties victor Artavasdus Curopalates, ſororis ejus maritus, annitente ſimul Anaſtaſio Patr. (qui Leoni Imagines deſtruenti appläuſerat) & Conſtantino contemptum B. Virginis ac Neſtorianiſmum imputante, reſtituit per Regiam Urbem imagines, atque Imperium ſumpſit, vaniſſimo vulgi favore intumeſcens. Imperatorem haud diu pòſt ſecutus Gregorius deceſſit die 29. Novembris ann. Chriſti 741. Sedis anno 10. m. 9. de quo Vid. plura, apud Sigonium *de Regno Italiæ libr.* 3. Sigebertum *de Viris illuſtribus capit.* 76. Anaſtaſium, Platinam, Ciaconium cœteroſque qui *Pontificum* geſta literis mandârunt: unde titulo (*q*) *Chriſtianiſſimi* ab eo Carolo Martello delato, ipſum Gregorium *Epiſt. ad Carol. Martell. relat.* à Binio, *Concil. Tom. III. part.* I. *pag.* 351. *ſeqq.* & Baronium *Annal. Tom. IX. pag.* 125. 131. & 132.

(r) Illo rerum Eccleſiæ Romanæ ſatagente, *Conſtantinopoli* adhuc præfuit Anaſtaſius Patr. de cujus inconſtantia & in Conſtantinum Imperatorem perfidia paulò ſuprà aliquid. Similiter de Bonifacio Epiſcopo & ſtatu Eccleſiæ ſub Imperatoribus alibique, diximus. Cœterùm Italorum rebellio continuata, & veneratio imaginibus negata, pro hæreſi habita eſt.

XXVI. ZACHARIAS (ſ).

Augeo (t), *quod bini Cathedra peperere priores*,
Atque novum (u) *decori mox ſuperaddo decus.*
Se mihi ſubmittit Rachis (x), *mihi ſceptra Pipinus* (y)
Debet, cerno (z) *cibos, Antipodesque* (a) *nego* (b).

ENARRATIO.

(ſ) NAtione Græcus, Gregorium III. excepit, anno Chr. 741. præf. quo & Carolus Martellus deceſſit, d. 20. Octobr. diviſo inter tres filios, Carolomannum & Pipinum ex Chrotrude ac Grifonem ex Sonichilde ſuſceptos, regno: ita, ut Carolomanno Auſtraſia, Suevia & Thuringia: Pipino, Neuſtria, Burgundia & Septimania: Grifoni, portio inter utriuſque fratris ditiones intercepta cederet, ann. eod. Qui cùm ob diviſionem turbaret, à fratribus coërcitus, atque horum auctoritate, Concilio ſeu Parlamento (utroque enim nomine venit) Leptinenſi, Chilpericus III. cognom. *Inſanus*, ſeu *Hebes*, poſt annorum 5. interregnum, Francorum Regno præpoſitus, Bonifacius (qui primus nomine Pontificis Synodo huic Gallicæ interfuiſſe legitur) primus Archiepiſcopus Moguntinus conſtitutus, aliaque diſciplinam Gallicam concernentia decreta ſunt. Vocatum in hac Synodo Bonifacium *Miſſum S. Petri*

S. *Petri* notat le Sueur. Poſt quæ, Pipino Carolus fil. ex Bertha genitus eſt, quem *Magni* cognomen poſtea meruiſſe videbimus. Dum in Oriente Nicetam, Artavaſdi rebellis fil. vicit cepitque Imperator. In Italia, Zacharias, pace cum Luitprando factâ, Thraſymundum Gregorii opibus defenſum illi tradidit; cùm verò hic urbes nonnullas, quas ſui juris eſſe dictitabat Pontifex, reddere cunctaretur, ipſe ad eum profectus oratione ſuâ illas, cum captivis, obtinuit. Luitprandus, Spoletano Ducatu nepoti ſuo Aſprando, Beneventano verò Giſulfo tradito, rediit Ticinum, anno Chr. 742. Mox verò Exarchatui imminens, Ravennam obſeſſum profectus, in itinere Cæſenam ocupavit. In quo diſcrimine, ab Eutychio Exarcho Zacharias exoratus, Ticini Luitprandum adiit, atque Exarcho pacem, aliquot tamen oppidorum jacturâ redemptam, (*t*) ſibi verò Cæſenam, quòd Sedi Roman. deberetur, obtinuit. Quo facto ipſe ſimul cum Exarcho Imperatorem, de iis quæ acta eſſent, reddidit certiorem. Regreſſus Romam, Synodo coactâ, *Epiſcopis Presbyteriſque fœminarum commercio denuo interdixit, utque in publicum, niſi convenienti habitu, non prodirent*, ſanxit. Dum apud Saracenos, Haſcæ ſucceſſit Valid, nepos Abdimelechi, cui litis ſuæ arbitrium detulerunt Imperator & Artavaſdus: ſed is, Chriſtianorum diſſenſione lætus, in Aſiam minorem irruptione factâ, eam longè lateque vaſtavit. Conſtantinus ergo ad belli conſilia reverſus, cum exercitu contra Regiam urbem movet, ac Artavaſdi, non ſine expreſſo Dei favore, victor, fame capit urbem excœcatumque cum duobus filiis tyrannum exponit ludibrio, quemadmodum & Anaſtaſium Patr. Hunc enim, verſo ad aſini

caudam

caudam capite, ignominioſè per urbem circumduxit: ſed pœnitentem facinoris poſtea, Eccleſiam regere, iterumq; Sacris operari paſſus eſt. Addit Anaſtaſius Bibl. eundem benignè excepiſſe Pontificis Legatum, & aliquot prædia Eccleſiæ D. Petri donaviſſe: quod factum, ut Pontificis benevolentiam hac ratione conſequeretur, eumque in fide & obſequio ſuo retineret, ait Baronius: indicio, Romam dominio Imperatoris adhuc fuiſſe obnoxiam. Interea in Gallia, Carolomannus Bavaros, an.C.743. & Saxones: Pipinus verò Hunaldum Aquitanum tertiâ jam vice ad obſequium reduxit. Apud Saracenos, Valido Gizidus, ac huic Marvan ſucceſſit. In Germania, Bonifacius Abbatiæ Fuldenſis jecit fundamenta: quo tempore tanta erat Sacerdotum imperitia, ut quidam in Bavaria baptizaret, *in nomine Patria, & Filia & Spiritua Sancta:* quem Baptiſmum Bonifacius quidem irritum, legitimum verò pronuntiavit Zacharias Papa. Apud Langobardos, Luitprando defuncto regnum nepos Hildebrandus obtinuit: ſed is paulò pòſt dejectus eſt, & Ratechiſus Foro-Julii Dux, (*u*) cum Pontifice pacem à Luitprando factam in 20. annos renovavit, anno C. 744. Hunaldus dein, Hattone fratre perempto, Monaſterium ingreſſus: at in Germania, Gervilius Epiſcopus Moguntinus, Carolomanni in expeditionibus comes, ob homicidium ac luxum à Papa depoſitus, eique Bonifacius ſurrogatus eſt, teſte Sigeberto: verùm hunc, non à Pontifice, ſed à Carolomanno, Archipræſulem Moguntinum conſtitutum, vidimus ſuprà. Idem Bonifacius Walpurgi, Wilibaldi ſorori, ut Mon. Eidenhemium ingrederetur, perſuaſit, an.C.745. Poſt quæ, Imperator, dum Saraceni domeſticis flagrant diſſidiis, Syriam pervaſit

Aſſyriam-

Aſſyriamque, & Germaniciâ potitus urbe, rem Chriſtianam reſtituit: terræ motu Syriâ & Palæſtina ingenti concuſſa, d. 18. Januar. tenebris inſolitis, menſis Auguſti penè dies decem ad ſtuporem mortalium ibidem obſcurantibus, & peſte atroce Calabriam, Siciliam, Thraciamque pervagatâ, tantamque inducente CPoli ſolitudinem, ut cadaveribus veſpillones deeſſent catervatimque jumentis depoſita exportarentur urbe humanda, Cedren. Iram nempe Dei Chriſtianorum provocabant crimina, & mentium caligo, *quâ, relicto Deo vivo, lignis & lapidibus ſtupidus ſe Orbis incurvabat*, Cluverus *in Conſtantino V.* In Gallia, Carolomannus, poſt devictos hoſtes & ſanguinis multum effuſum, Romam perrexit, multisque donis Baſilicâ D. Petri locupletatâ, pro regno, habitum Monachi à Zacharia petiit, indeque in monte Soracte Monaſterium S. Sylveſtri condidit, quòd ibi Sylveſter Papa, tempore perſecutionis, latitâſſet. Cauſam conſilii fuiſſe, quòd ab Eucherio Epiſc. Aurelian. audiverit, *patris ſui corpus animamque apud inferos ardere*, nonnulli ajunt, adnotante Joh. le Sueur *ad ann. C. 746.* quo ipſo Willibaldum Eichſtettenſem Epiſcopum conſtituit Bonifacius. Quia verò, ob Romæ viciniam, nimiâ frequentiâ Carolomannus premebatur, in Caſſinenſe cœnobium migravit: anno C. 747. quò proin ipſe Pontifex delatus, cum LXVIII. Epiſcopis, ac XIII. Archiepiſc. Ædem ac Monaſterium ingenti pompâ conſecravit, multisque privilegiis, inter quæ immunitas à ſubjectione Epiſcopo juxta vet. morem Canonesque debitâ, ornavit. Secutæ Conſtantini contra Saracenos, diſſidiis inter ſe colliſos, in Cypro victoriæ. In Germania verò Burchardus Anglus, à Bonifacio Herbipoli

poli Præſul datus, moxque ab illo ad Zachariam de variis conſultum miſſus eſt; inter quæ (z) de ciborum quorundam delectu, ut apparet ex literis Zachariæ *Concilior. Tom. II.* quarum unâ, *graculorum, cornicum, ciconiarum, caſtorum, leporum,* & *equorum ſylveſtrium eſu* Chriſtianis interdicit. Ut autem Bonifacius de Germaniæ Epiſcopis, quos ibi repererat, conqueſtus eſt, quòd ritibus ſtatutisque Eccleſiæ Rom. noluerint ſubjici, ita hi viciſſim, eum *mendaciorum Auctorem, perturbatorem pacis, & corruptorem religionis ac doctrinæ Chriſtianæ* vocitabant, teſte Aventino *Annal. Boj. l. 3.* & Surio in *Vita* ejus. Erant autem illi, Clemens & Samſon Scoti, Adabertus Gallus, diſcipuli Bedæ, aliique Viri ætatis ſuæ doctiſſimi, quos fulgori ſuo officere aut à ſe diſſentire ægrè ferebat, eousque, ut Sidonium & Virgilium doctrinâ ac ſanctitate in Bavaria florentes, hæreſeos vel aliùs criminis invidiâ aſperſos, Pontificis Principumque iræ objicere non fuiſſe veritum, ſcribat le Sueur. Virgilium certè, quòd (a) *Antipodes dari* ſtatueret, ab eo apud Zachariam accuſatum, atque ab hoc condemnatum eſſe, novimus ex Baronio *ad ann. C.* 748. & Zachariæ ipſius *Epiſt. ad Bonifacium.* Circa id tempus, Imperium Saracenicum, Marvane occiſo, inter ſe partiti, Abubalas Perſiam, Solymus Ægyptum & Habdallas Syriam ſortiti ſunt: tantoque iterum motu Syria intremuit, ut urbes nonnullæ è montibus præcipitatæ in valles, quædam ad ſextum lapidem transpoſitæ, aliquæ ipſo in jactu conſervatæ incolumes incredibilem fecerint mortalibus admirationem potentiæ cœleſtis; in Meſopotamia verò, dehiſcente terra novum animalis genus prodiens, novæ gentis (Turcicæ) brevi contra Saracenos emerſuræ,

V fuit

fuit præſagium, ut *Hiſtor. Miſc.* Auctor habet. Dum in Italia, Ratechiſus, qui triennio antè Codicem Rotharis & Luitprandi aliquot LL. auxerat, jam oblitus pacis vicennalis cum Zacharia P. initæ, Peruſiam obſidebat: ad quem in caſtra profectus Papa muneribus eum delinivit, atque, ut non obſidionem modò ſolveret, ſed & capta redderet, obtinuit, anno Chr. 749. Mox (x) Rachis, cum Theſia uxore & Ratrude filiâ Romam venit, ibique *Pontificem ad terram proſtratus adoravit*, Sigon. ac regno ſe abdicans, Caſſinenſe Monaſterium, ubi Carolomannus degebat, ingreſſus eſt, uxor verò & filia haud inde procul novum ſibi Monaſterium condiderunt. Exemplum Ratechiſi Dux Foro-Julii Anſelmus ſequutus, Clericorum quoque ordini adſcribi voluit: Ratechiſo verò in regno Aiſtulphus frater ſucceſſit. Sed & Richardum Angl. R. relicto ſuo regno, in Germaniam tranſiiſſe, ibique Wilibaldo & Winibaldo filiis Bonifacio in diſciplinam traditis, inde in Italiam profectum, privati hominis habitu ſumpto, atque Lucæ extinctum eſſe, refert Baronius. Major verò in Gallia rerum mutatio: ubi (y) Pipinus, altero fratrum Monaſticen amplexo, altero, Gryphone ſcil. poſt varia molimina trucidato, cùm ad regnum adſpiraret, Ordines Regni convocavit, atque ex illorum conſilio Zachariam P. per Legatos conſuluit, *Deceretne regno frui eum, qui ſtupidus & ignavus nihil commodaret Reip. an eum potiùs, qui quotidie pro ea domi militiæque pervigilaret?* Zacharias, mentis Pipini gnarus, ejusque operâ contra Langobardos Exarchosque uſurus, Legatos benevolè audiit, reſponſum tamen hac vice in aliud tempus diſtulit, anno Chriſti 750. Interea Conſtantinus fil. Leonem, ætat.

m. 16.

m. 16. Auguſtum proclamavit : Craci verò Poloniæ R. filia Venda, victo Ritigero, *Cracoviæ, de ponte in profluentem Viſtulæ præcipitem ſe dedit :* ſecuto regimine XII. Palatinorum, ann. Chr. 751. Cromerus *lib. 2.* In Gallia porrò, Conventu Regni Auguſtæ Sueſſionum, habito menſe Martio, literæ Zachariæ lectæ, moxque Chilpericus, Merovæi ſtirpis poſtremus, ſumere Monachi cucullam coactus, Pipinus verò à Bonifacio Archiepiſcopo Mogunt. ſæpius memorato, qui Pontificis miſſu aderat, Rex inunctus eſt : qui ſic regno in familiam ſuam translato rerum potitus, paulò pôſt Saxones iterum rebelles, & Hildegarii Epiſcopi Colonienſ. cæde cruentos, ingenti clade affecit. Zacharias verò eodem menſe deceſſit, d. 15. ann. Chr. 752. Sedis anno 10. m. 3. Conſtantini V. Imper. anno 11. *rebus pro Eccleſiæ ſalute & ſedis Apoſtolicæ auctoritate, non tam piè, quàm proſperè, geſtis*, inclytus, Sigonius *lib. 3.* Dialogos Gregorii Græcè vertiſſe, ſcribit Morerius; *Epiſtolas* jam attigimus, plura de eo Vid. apud Adonem Vienn. *ad annum 727. Annal.* Pith. Reginonem *in Chron. libr. 2. ad ann. 749. ſeqq.* Aimoinum *libr. 4. cap. 61.* Lambertum Schafn. *ad annum 750.* Marian. Scotum, Paulum Æmil. *libr. 2.* Blondum *Dec. 1. Libr. 10.* Sabellicum *Enn. 8. lib. 8.* Sigonium *dict. loc.* Nauclerum *Chron. Vol. 2. Gener. 26.* Gratianum *cap. 15. quæſt. 6. c. alius, 3.* Platinam, Ciaconium, Ducheſnium, Alios in *Eo:* de negotio inprimis *Chilperici depoſiti, tonſi & in Cœnobium detruſi*, Launojum, qui cœterorum narrationem in dubium vocat, *in Epiſt.* & Johannem le Sueur, qui illam variè firmat, *ad annum Chr. 752.* atque Baronium quoque, *ius Epiſcopos nominandi Pipino conceſſum à Zacharia, confirmatione ſibi*

reſervatâ, aſſerentem refellit, *ibid.* (*b*) Eo ſedente, *Conſtantinopoli* quis Eccleſiæ ſtatus alibique fuerit, diximus. *Antiochena* Eccleſia, indultu Haſcæ, qui Damaſci reſidebat, iterum Præſulem nacta eſt, Stephanum, anno Chriſti 742. & poſt eum Theophylactum Presbyter. Edeſſenum, permiſſu Marvanis, ann. Chr. 744. Cœterùm floruerunt, præter jam dictos, Baudolinus, Theplapius, Geminianus Epiſcopus Mutinenſis & Petrus Ticin. circa annum Chriſti 744. Æmilianus Patr. Aquilejenſis, ann. Chr. 750. Bonifacius præcipuè, qui litt. ad Zachariam, *non ceſſare ſe homines invitare ad Sedis Romanæ obſequium* profitetur; quemadmodum ipſe Zacharias *Epiſt. ad Gall. & Germaniæ Epiſc.* lætari ſe ſcribit, quòd ii, qui miniſterio Bonifacii converſi fuere, *converſi ſint ad B. Principem Apoſtolorum Petrum*: non conformiter hujus ſtylo, 1. *Epiſt. cap.* 2. *verſ.* 25. nec Pauli 2. Cor. *cap.* 10. *verſ.* 5. At Valid, in Petrum Damaſci Epiſc. verbo & ſcriptis Arabum, Saracenorum & Manichæorum, errores validè refellentem ſævus, linguâ eum mutilavit, inque Arabiam exulatum miſit, anno Chriſti 743. plura apud Johannem le Sueur *in Hiſtoria Zachariæ*, ubi, inter alia, de titulo *Archiepiſcopi* à Metropolitis Galliæ, VIII. demum Seculo, communiter uſurpari cœpto, deque *Pallii* in Eccleſia illa origine & uſu, quædam addit, *ad annum Chr.* 752.

XXVII. STE-

XXVII. STEPHANUS (c) II.

Evectus poſt hunc ſceptrum dum ſumo (d) *Papale,*
Et Petrum in Petri quærito ſede meum:
Inſolito ſplendore oculos præſtringor, & iſthic,
Poſt triduum (e), *dico, non mora porrò mihi eſt* (f).

ENARRATIO.

(c) ROmanus (*d*), Zachariæ ſurrogatus eſt, d. 27. Martii, ann. Ch. 752. præf. ſed quia (*e*) per tres ſolùm aut quatuor dies præfuit, pleruną; omittitur in Pontificum ſerie. (*f*) V. de eo Onuphrium & Genebrardum *Chron.* Ciaconium *Vitâ* ejus, Maturum Annotat. in S. Antoninum *Part. II. tit.* 14. c. 1. §. 3. &c.

XXVIII. STEPHANUS (g) III.

Primus Pontificum plumbo (h) *mea grammata ſigno,*
Impoſituſque humeris (i) *cuncta per ora feror.*
Pentapolim (k) *jungo Sedi, jungoque Ravennam* (l):
Petrus ab æthereis (m) *ſcripſit ob iſta plagis* (n).

ENARRATIO.

(g) ROmanus itidem, Conſtantini fil. Diaconus Rom. deceſſore ſuo cognomine apoplexiâ abrepto, citra moram, ei ſuffectus, (i) primusque hominum humeris in Baſilicam Lateranam portatus eſt; quemadmodum & primus, (h) omiſſâ cerâ, plumbo tabulas ſuas obſignâſſe dicitur, Polydorus Virg. & Platina in *Vitis Pontif.* infrà laudandi: quorum is proin morem Pontifices humeris geſtandi ab eo initium cepiſſe, addit. De plumbo alii diſſentiunt, Adriano I. ejus uſum primum aſſerentes. Trimeſtri à conſecratione exacto, Stephanus, magnis muneribus Aiſtulpho Langobardorum R. miſſis, cum illo pacem in 40. annos inſtaurat: verùm hic paulò pòſt, Imperatorem Saracenico bello diſtentum cernens, contra Ravennam movet, eaque expugnatâ, totum Exarchatum in ſuam redigit poteſtatem, Eutychio ultimo Exarcho, poſtquam aliquandiu ſtrenuè ſe defendiſſet, Byzantium fugato, anno C. 752. cùm illuſtris hic Principatus viguiſſet annos 182. Inde ademptis Pontifici Rom. quas ille ad jura D. Petri pertinere dicebat, civitatibus, ipſi urbi Romæ imminet, petitque pro Principe agnoſci, utpote qui, Exarchatu occupato, Imperatoris in jus locumque ſucceſſerit. Quare accenſus Stephanus, cùm ab Imperatore, ad quem ea de re Legatos miſerat, auxilii ſpes affulgeret nulla, ad Francicas confugit opes, atque itinere ad Pipinum adornato, magnificè ab illo excipitur. *Pipinum equo deſcendiſſe, & ad terram ſe* (coram Pontifice) *inclinâſſe, aliquo etiam ſpatio ſtratoris operam navâſſe*, tradit Biblioth. Anaſtaſius; ſed vero id conſentire negant Gallici Hiſtorici, & Anaſtaſium

de rebus

de rebus priſcis, ex ſui temporis more, diſſerere contendunt. Dum, apud Saracenos, Abubalæ Abugepher ſucceſſit, *Habdallas* quoque dictus, qui Seleuciam egregiè inſtauratam *Bagdet* vocavit, anno Chriſti 753. Interea Pipino Stephanoque, de ſumma rerum deliberatione habitâ, facilè de eo quid facto opus eſſet convenit: ſed paulò pòſt morbo hic corripitur. Itaque in Baſilicam S. Dionyſii ſe deferri jubet, ubi apparuiſſe mox ſibi in quiete Dionyſium Petro & Paulo Apoſtolis cinctum, atque ab his ſanitati reſtitutum, ſe vidiſſe, Regi Franciſque Proceribus narrat, quibus id admodum volupe fuit, S. Dionyſii venerationi jam à multo tempore addictiſſimis. Receptâ aliquo pòſt tempore ſanitate, Pipinum unxit & coronavit propriâ manu Stephanus (quam ceremoniam aliquoties repeti, quamvis priorem rariùs, conſueviſſe notum) ac Francos, ad obſequii fidem illi liberiſque præſtandam cohortatus eſt, inſuper Regem *Advocatum*, hoc eſt, *Defenſorem Eccleſiæ Romanæ*, uti tum loqui ſolebant, creavit. Quæ dum in Gallia parantur, Aiſtulphus Carolomannum in Galliam ad Pipinum fratrem mittit, ſub neſcio quo prætextu, Stephani conſilia conatuſque diſſipaturum: quod quidem is fecit eo ſucceſſu, ut in Comitiis regni Legatio ad Aiſtulphum fuerit decreta, quæ de pace Stephano reddenda cum illo ageret. Et quidem Legatos cum honore excepit Aiſtulfus, iiſque Romanam urbem & ditionem Pontifici ſe relicturum, uti priùs ei ſuberat, pollicitus eſt: id quod initiò Stephanus urgebat. Jam verò, potentiſſimi Principis opibus ſubnixum ſe videns, Exarchatum Pentapolimque ulteriùs ſibi tradi

petiit; quos Aiſtulfus jure belli, Pontifex verò, velut exuvias hæretici Principis (Conſtantini Imp.) ſibi deberi contendebat. Suadet igitur bellum Pipino Stephanus, cumque per beneficia, quibus illum Sedes Rom. cumulaverit; per ſalutem animæ ejus; perque itineris tam prolixi, quas ipſe Stephanus perpeſſus ſit, moleſtias, obteſtatur, ut regiones præfatas *S. Petro*, in compenſationem aliquam, addicere, easque hoc fine armis Aiſtulpho ereptas Sedi Rom. ſubjicere non gravetur. Ad quæ Pipinus votum concepit, *ſi victoriam de Langobardis obtineat, fore, ut Exarchatum B. Petro tradat, ad remiſſionem peccatorum obtinendam*: qua de re mox tabulæ confectæ, & Pipini filiorumque ejus Caroli ac Carolomanni ſubſcriptione confirmatæ ſunt, uti Anaſtaſius, Baronius, & Sigonius *l. 3.* referunt. Quia verò pro Aiſtulpho Carolomannus intercesſerat, apud Pipinum id egit inſuper Stephanus, ut illum, velut novarum rerum ſuſpectum, Viennæ Monaſterio includi, filiosque ejus tonderi juſſerit: poſt quæ brevi Carolomannus deceſſit. Stephanus verò, Hieronymo fratre Pipini, ac Volrardo Abb. agnato ejus ſtipatus, Romam rediit. Sequutum Concilium Sueſſionenſe, auctoritate Pipini coactum, quo, inſtigatu præcipuè Bonifacii, decretum *Sedis Romanæ & Vicarii B. Petri obſequium.* Porrò reliquiæ ſuperſtitionum Ethnicarum ſublatæ, &, cùm hactenus Columbani & Cæſarii Arelat. regulæ in Gallia vigerent, utriusque ſexus hominibus ad vitam Monaſticam aſpirantibus, ut *Benedicti potiùs inſtitutum ſequerentur*, injunctum eſt: quemadmodum paulò antè in Anglia Wilfridus Epiſc. Eboracenſis idem inſtituit. In Imperio interea, felicitatem Principis, contra Saracenos toties victoris, maculavit

lavit infelix *de Imaginibus* diſceptatio. *Earum* enim *venerationem* Gentiliſmi dicebat errorem redolere, *interceſſionem Sanctorum* ficulneum appellabat præſidium, *reliquias*, quæ dicebantur *Sanctorum*, ad cultum proſtantes vulgi, partim terrâ obruebat, partim demergebat mari, vel igni curabat exuri. Hinc acerrimum adverſùs illum odium, Pontificum præſertim Rom. & Monachorum ſtudium, prædicta mordicus retinentium. Quare ſchiſmati tollendo Conſtantinus, Byzantii Synodum egit CCCXXXVIII. Epiſcoporum, quæ d. 10. Februar. inchoata, uſque ad 8. d. Aug. duravit. In ea Patres μιᾶς γνώμης ἅπαντες ὁμοφρόνως ἐνόμισαν, *unanimi conſenſu univerſi decreverunt:* Ut *Imagines* vocarentur *idola*, neq; ſolùm *adoratio*, ſed & *uſus extra caſum cultus* aboleretur, *eo quòd Chriſtus non tantùm Humanâ, ſed & Divinâ naturâ conſtet, Divina autem pingi non poſſit, Humana, cùm ſit exaltata, prout & Sanctorum, coloribus exprimi nequeat.* Sicque exploſis aliis imaginibus *Vnicam* definierunt eſſe *Imaginem ab ipſo Chriſto inſtitutam, nimirum Panem & Vinum in Eucharistia, quæ repræſentent Chriſti corpus & ſanguinem,* &c. citatis hanc in rem variis S. Scripturæ locis, nec non teſtimoniis priſcorum Patrum, Epiphanii, Gregorii Naz. Chryſoſtomi, Athanaſii, Amphilochii, Theodoti Ancyrani & Euſebii Cæſar. Præterea VI. *priora Concilia Oecum.* iidem confirmârunt, ac *Monothelitis:* in ſpecie verò *Germano Patr. CP. Georgio Cyprio* & *Iohanni Damaſceno*, Imaginum propugnatoribus, anathema dixerunt, &c. V. Joh. le Sueur *in Stephano.* Id *Concilium VII. Oecumenicum* appellavit Imperator, *reclamante Papâ, & ſecundùm prædeceſſorum vias iconolatriam pertinaciter aſſerente. At nihili auctoritatem faciens Pontificis Conſtantinus, perſtitit in de-*

molitione ſtatuarum, reliquiarum & quæ alia divinis tabulis diſſona irrepſerant — Euphemiæ martyris — oſſa — projecit in pelagus, quæ ad Lemnum appulſa inſ. nocturno, ut putabatur, monitu, ſuſcepta iterum & poſtea relata Chalcedonem ſunt, Irene jam imperante. Etenim mortuorum apparitionibus & oraculis indigebant ſacra iſta, divinis monumentis improbata, queis mortuos audire prohibemur, Johan. Cluverus *in Conſtantino V.* anno Chr. 754. Videns autem Joh. Damaſcenus à Patribus ſe damnatum, ſententiam ſuam ſcripto defendere conſtituit, & tum de Imaginum cultu, tum de S. Euchariſtia, mentem ſuam prolixè expoſuit, *de Fide Orthod.* quæ hodieque à Græcis recepta uti differat à ſententia Rom. Eccleſiæ hodiernæ, le Sueur oſtendit, qui & ipſius Damaſceni συγχρόνους Bedam & Stephanum Stylitam Abb. montis Auxentii in Bithynia, Auguſtini veſtigiis inſiſtentes, Concilio præfato conformiter, Panem & Vinum in S. Euchariſtia *ſigna & figuras* Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, vocitâſſe, adnotat *ad annum Chr. 755.* quo ipſo Conſtantinus plurimos Chriſtianorum, ſub Saracenico jugo hactenus gementium, in Thraciam, ipſamque Regiam Urbem, peſtis ſævitiâ tantùm non vacuefactam, habitatum invitavit: Bonifacius verò, Romanæ Eccleſiæ in Germania Apoſtolus, itinere in Friſiam ſuſcepto, ab idololatris occiſus eſt. Perpetuò in ore habuiſſe dicitur, *olim calices ligneos, Sacerdotes aureos, jam illos aureos, hos ligneos eſſe*; ut Baronius memorat. Aſt Pipinus, cùm Aiſtulphus, ut Exarchatu cederet, induci nullâ ratione poſſet, transgreſſus cum exercitu Alpes, (*k*) Exarchatum & Pentapolim ei bello extorquet, adigitque (*l*) ut ditiones has *cum Salibus S. Petri* Pontifici cedat, anno eod. V. infrà. Verùm eo

ad ſua

ad ſua reverſo, Aiſtulphus, nimis rigidè ſe à Pontifice haberi conqueſtus, improviſò Romam cum exercitu circumſidet, longè lateque ſuburbana populatus. Quare rerum ſuarum anxius Stephanus, literis ad Pipinum miſſis, ejus opem per omnia Sacra implorat, eumque *ſi ſalvus eſſe velit*, ut citra moram advolet, hortatur. Utque efficaciùs Pipinum moveat, iteratas ad eum expedit, in quibus ipſum (*m*) *B. Petrum è cœlo Gallos alloquentem* introducit. Redit ergo Pipinus, atque Aiſtulphum prioris anni pactum ratum habere, inſuperque Comaclum Pontifici tradere compellit. Cùm verò Legati Imperatoris, qui tum præſentes aderant, Exarchatum ejus nomine repoſcerent, reſpondit Pipinus, id belli ſe ſuſcepiſſe, non ut regnum ſuum augeret, aut Imperatoris jura tueretur, ſed ut S. Petro ditionem illam acquireret, quòd *ad animæ ſuæ ſalutem & veniam peccatorum obtinendam* id valiturum, eſſet perſuaſus. Itaque claves illarum urbium omnes, per Volrardum Abbat. Sacellanum ſuum, Romam miſit illaſque in altari S. Petri & S. Pauli, cum tabulis donationis, depoſuit: ſicque *Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Ferrariam; & in Pentapoli, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Auximum, Vrbinum, id eſt, provincias, quas hodie vocamus Romandiolam & Marcam Anconitanam, Æmiliam olim, Flaminiam & Picenum, hæreditarias aſſignavit Romanæ Eccleſiæ*, Cluverus ubi ſuprà. Pontifex urbis Ravennæ regimen Archiepiſcopo & Tribunis commiſit, à quo *Exarchi* nomen Præſuli datum eſt, anno Chriſti 756. Dum apud Saracenos, Habdallas, peremptis æmulis, Imperio potitus, Chriſtianis auxit tributorum onera, templorumque pretioſa Judæis emenda conceſſit

In Hiſpania, Alfonſum I. filius Frojola excepit, qui in Cælibatu Clericorum promovendo multum operæ poſuit. Apud Langobardos verò, Aiſtulpho extincto, Deſiderius ſucceſſit, contra quem cùm Ratechiſo, ad regnum denuo aſpiranti, faveret Stephanus, abſterritus à Volrardo cœterisque Pipini in Italia Miniſtris, ac Rachis ſeu Ratechiſus cucullam repetere coactus eſt. Ipſe Stephanus brevi pòſt deceſſit, d. 26. April. ann. C. 757. Conſtantini V. Imp ann. 16. Sedis anno 5. d. 28. potentiâ & dominio Paparum inſigniter aucto inter ſuos clarus: plura de eo Vid. apud Sigebertum & Adonem, *in Chron* Polydorum Virgil. *de Inv. Rer. lib. 4. cap. 10. & lib. 8. c. 2.* Platinam, cœterosque qui de *Pontificibus* ſcripſere. (*n*) Illo res Eccleſiæ Rom. proſperè adeò gerente, *Conſtantinopoli*, Anaſtaſio defuncto, Conſtantinus Sacrorum curam ſuſcepit, anno Ch. 753. Mediolani, Lætus Arch. Gradi, Vitalianus Patr. factus eſt, ann. Chr. 756. Hubertus verò Tungrorum Præſul obiit, ann. C. 754. de reliquis jam dictum. Addo, Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum Synodo Sueſſion. damnatos, quorum ille hypocrita magis & planus, quàm Hæreticus, multos habuit ſectatores, atque oratoria, cruceſque erexit, in crepidinibus fontium, in ſylvis agriſque: iſte Jeſum Chriſtum *Gentilium animas*, non minùs ac fidelium, deſcenſu ſuo ad Inferos *liberâſſe*, inſuper *defuncti fratris viduam ducendam* eſſe, docuit, ac *unà cum mitra uxorem* voluit retinere, ann. C. 754. de quibus Joh. le Sueur vide, &c.

XXIX. PAU-

XXIX. PAULUS (o) I.

Excipio fratrem (p), *nec me Sede æmulus* (q) *arcet,*
Ille fuit validus (r), *fortior ipſe* (ſ) *fui.*
Cum Deſiderio (t) *mihi pax:* (u) *mitra pulſa marita eſt,*
Dum Monachos (x) *Cæſar pictaq́ſacra* (y) *fugat* (z).

ENARRATIO.

(*o*) FRater Stephani III. (*p*) huic ſucceſſit, fruſtra obnitente (*q*) Theophylacto Presb. qui immenſis jam auctâ divitiis Eccleſiâ Rom. (*r*) eò ardentiùs Sedi inhiaverat, ſed (*ſ*) pars, quæ Paulum promotum ibat, *validior & fortior erat*, teſte Anaſtaſio, illeq́ue ſic throno potitus eſt, d.28. Mai, ann. Chr. 757. Conſtantini V. Imp.16. (*t*) Cum Deſiderio Langobardorum R. pacem coluit: ac (*u*) Sergium Ravennæ Archiep. quòd uxorem dimittere nollet, Romam ad dicendam cauſam citavit, anno eod. poſt quæ Northumbriæ Rex Eadvertus, filio Oſualdo ſucceſſore conſtituto, monachalem habitum ipſe ſumpſit. In Hiſpania verò, Garſias ex Gothorum ſanguine Suprarbiæ primus Rex, anno regni 29. deceſſit, filio cognomine relicto: dum Perſarum Magos, aliquot incantamentorum fiduciâ volare conatos, cùm decidiſſent in terram, Habdallas è medio ſuſtulit, præcipuosq́ue ejus delirii magiſtros XVI. affecit ſuppliciis. In Imperio Conſtantinus, miſſis muneribus, inter quæ fuit & *Organum*,

num, amicitiam expetiit Pipini, & Exarchatûs Ravennatis reſtitutionem, ſed fruſtra; quòd eas regiones *Divo Petro acquiſitas donatasque* diceret, anno Chr. 758. Mox Pipinus Saxones iterum rebelles iterum ſubegit, Narbonemque Saracenis eripuit; in Hiſpania autem Frojola Joſephum Saracenorum Principem, in Gallæciæ finibus, prælio fudit, cui ſuffectus Abderamen *Moralmumnim* (unde corruptum Miramolinus) h. e. *Principem credentium* ſe vocavit, ac Cordubæ Regem ſcripſit, à quo proin tempore Miramolino Babylonico Hiſpania vectigalis eſſe deſiit, anno Chr. 759. Pipino inde cum Vaifredo Aquitaniæ D. negotium fuit, quod ut faciliùs expediret, Legatos ad Califam Saracenorum fœderis causâ miſit. At Romæ, Paulus Monaſterium condidit, in quo *ſermone Græco* cantarentur Pſalmi: &, quia pax erat, Ædes ſacras aliaque Cœnobia fundare perrexit, anno Chriſti 760. quorum unum, in paternis ædibus exſtructum, ex ſententia Synodi ad id coactæ, ſolemni ritu dedicavit, uti & Baſilicam Sylveſtri & Stephani Pappæ memoriæ ſacram, eamque reliquiis compluribus ac privilegiis ornavit. Dum Conſtantinus, ob imagines abolitas, ab Andrea Chalybita Mon. increpitus, in adoratores imaginum, ut idololatras, & xylolatras, uti eos vocabat, acrior eſſe cœpit, anno Chr. 761. & quia (x) Monachi inprimis obſtabant, publico Edicto *Monachum fieri* prohibuit. In Hiſpania, Valentiâ à Saracenis captâ, oſſa S. Vincentii Chriſtianorum nonnulli in eam Luſitaniæ oram, quæ hodie *Caput S. Vincentii* appellatur, ab inſigni Monaſterio ibi condito, tranſtulerunt; anno Chriſti 762. Conſtantinus poſtea Imp. Italiæ curâ tantùm non penitùs abjectâ, ut cujus maximam

mam partem Pontifex & Langobardi jam tenebant, Orienti eò attentiùs invigilavit, &, Anchialo urbe expugnatâ, Zeletinem Bulgarorum Regem, memorabili prælio devicit. Secutæ Turcarum eruptiones è portis Caſpiis, qui, Armeniâ perſultatâ, prædâ graves reverterunt domum: tantâ tum hyemis ſævitiâ, ut Euxinus Pontus glacie ſtringeretur triginta pedes altâ, perviumque eſſet mare pedibus ad 100. milliaria, imò omnes à Lycia uſque ad Danubium, & rurſus ad Euphratem uſque regiones, interveniente gelu, tanquam vinculo, ſociarentur, anno Chriſti 763. quod duravit uſque ad finem Februarii. Excepit hyemem æſtas ſiccisſima, ut fontes areſcerent. Viſæ & ſtellæ cœlo delabi, inductæque cogitationes mortalibus, adeſſe finem hujus Univerſi, uti *Miſcellarum* Scriptor, harum rerum αὐτόπτης, teſtatur. Circa quæ tempora, Turcæ, factâ in Iberiam irruptione, cum Saracenis dubio eventu conflixerunt: Conſtantinus verò, novâ expeditione pacem petere Bulgaros adegit, anno Chriſti 764. In Gallia Pipinus, cum Taſſilone Bavaro & Deſiderio Langobardo, fœdus *de non offendendo* pepigit, ut Vaifredum eò faciliùs ad obſequium revocaret. At Conſtantinus, indies irritatior, Stephanum Stylitam, quòd multos ad vitam allectaret ſolitariam doceretque contemnere regias dignitates, protractum è clauſtris affecit ſupplicio, anno Chriſti 765. atque (y) adegit jurejurando ſubditos, *Ne quiſquam domi aut publicè imaginem haberet venerationi.* Nec paucos illuſtrium capite punivit, aut exilio, quòd conſilia agitâſſe ſeditionis, cumque Stephano clam congreſſi dicerentur. Mox & Conſtantino Patr. qui Anaſtaſio ſucceſ-

ſucceſſerat, imputata ſunt cum Principibus relegatis clandeſtina commercia, ob quæ in exilium, ac tandem probroſam in mortem, actus eſt; atque eò proceſſit atrocitatis feraledisſidium, ut, ſi quis exclamâſſet, *Dei genitrix adjuva*, aut noctu advigilâſſet mortuorum cœmeteriis, velut perduellis Imperatoris, notaretur infamiâ; ſi fides Theophani, Cedreno, Zonaræ, Aliis, zelum ejus contra imagines arguentibus: anno C. 766. quo ipſo Legationem ad Pipinum, de qua ſuprà, expeditam, ejusque anſam, quòd de abolitione Imaginum Regi Imperator, idem ut faceret, voluerit perſuadere, fuiſſe nonnulli ajunt. Certè paulò pòſt, Synodo in Gallia Gentiliacenſi, de duobus, *Spiritus viz. Sancti proceſſione à Filio*, & *Imaginibus*, Legatis Conſtantini Imp. & Pauli P. præſentibus, diſquiſitum, ſed *Acta Synodi* periere. V. Adon. Rhegin. & *Bibliothecam Patrum Tòm.* VII. Domi verò Conſtantinus, per Nicetam imagines porrò picturasque è Templis removeri curavit, &, quia Monachi præcipuè obnitebantur, coëgit eos aut civilem vitam amplecti, relictoque impuro ſuo cælibatu, matrimonio ſe applicare, aut plagis affectos in Cyprum juſſit deportari. Interea Paulus deceſſit, circa fin. Junii, anno Chr. 767. Sedis anno 10. m. 1. Conſtantini V. anno 26. de quo Vid. plura, apud Sabellicum *Ennead. 8. lib. 8.* Sigonium *de Occid. Imp. l. 3.* Anaſtaſium Bibl. Platinam, Alios, *in Paulo I.* Baronium *Annal.* &c. (χ) Illo ſedente Romamque ſtructuris variis exornante, *CPoli*, Conſtantino, ob rationem dictam, pulſo, ſucceſſit Nicetas Eun. anno C. 766. In Germania, floruit Virgilius Anglus, qui Salisburgenſem Præſulatum inſtituit, &, Modeſto in Carinthiam miſſo, Evangelium ibi propagavit, anno

anno C. 767. de quo, aliisque huc facientibus Vid. Joh. le Sueur *in Paulo*, ubi inter alia & de *Imagine I. C. Beryti inventâ* judicium ſuum exponit, ad ann. C. 765. De Eccleſiæ ſub Imp. ſtatu ſat diximus. In Eccleſia Rom. *Schiſma IX.* fuit, circa initia Pauli, uti viſum.

XXX. CONSTANTINUS (a) II.

Cùm deceſſor (b) *erat lethi ad confinia* (c) *ductus,*
Vi multâ intruſus (d) *ſcando premoq;* (e) *thronum.*
Unius (f) *aſt anni vix regni hæc gloria* (g) *ſacri eſt.*
Dejicior (h), *claudor* (i), *vincior* (k), *igne* (l) *necor* (m).

ENARRATIO.

(*a*) FRater Totonis, Nepæ in Tuſcia Ducis, qui audito (*b*) Paulum (*c*) morti vicinum eſſe, (*d*) collectis undiquaque militibus, ac, quidquid amicorum habebat, in ſubſidium vocato, Romam movit, portaque Pancratii occupatâ urbem ingreſſus, fratrem ſuum in locum Pauli agonizantis ſurrogari curavit, d. 28. Jul. anno C. 767. Conſtantini V. 27. Sed quia Sacris nondum initiatus erat Conſtantinus, poſtridie electionis Clericus, ſequenti die Subdiaconus, tertiâ Diaconus, creatus, ac Totonis copiarumque ejus ope, in Ædem Lateranam, deductus, ibique à tribus Epiſcopis conſecratus eſt, die

die 5. Julii. Sic (*e*) manu armatâ Sedi impoſitus, contulit Beneficia, ordinavit Epiſcopos Presbyteroſque, & cœteras Paparum functiones obiit. Sed (*f*) breve admodum hoc gaudium, & Pontificii (*g*) Regni vix annua gloria ipſi magno ſtetit, ut videbimus. Populus enim Clerusque Romanus, indignatus vi intruſum Conſtantinum, non minori violentiâ regimen obire, de remedio mox cogitare cœpit. Inde occaſione ſumptâ Presbyter quidam Waldipertus, conventu Clericorum & Procerum Romæ urbis clam in Monaſterio S. Viti coacto, effecit, ut depoſito Conſtantino Philippum Mon. Presbyterum eligerent, illumque, cum pompa in Lateranum deductum, Papam declararent. Dum aliâ parte Chriſtophorus Primicerius, cum Sergio filio, veniâ diſcedendi & cucullam ſumendi, ſub juramenti fide, à Conſtantino impetratâ, ſe ad Deſiderium Langobardorum R. contulerunt, eumque, ut ſibi de novo Papa conſilia agitantibus auxilio velit eſſe, orârunt. A quo militum, quantum ſatis erat, impetrato, Romam regreſſi, Totone cum Paſſino fratre, ac compluribus, qui cum iis erant, interfectis, populoque convocato, Conſtantinum ac Philippum, utpote contra Leges electos, gradu movendos eſſe, declarârunt. Mox Gratianus Chartularius, cœtu nonnullorum ex præcipuis urbis civibus acto, coëgit Philippum Laterano egredi & clauſtra repetere. Quo ſummoto, Chriſtophorus in unum coactis militiæ, populi clerique capitibus, Stephanum Presbyterum S. Cæciliæ Eccleſiæ præpoſuit, qui è veſtigio in Baſilicam Lateranam, populo acclamante, deductus, ac ſolenni ritu conſecratus eſt, d. 7. Aug. Hinc ſævitum mox in Conſtantini domeſticos, Theodorusque Epiſc. oculis & linguâ

linguâ mutilatus, plures alii luminibus privati, (*h*) ipſe Conſtantinus throno deturbatus, (*i*) Monaſterio incluſus, (*k*) catenis vinctus, & tandem (*l*) flammis uſtulatus eſt, ut dicemus. (*m*) Eodem tempore Gracili ac Waldiperto, Philippi fautoribus, oculi eruti & lingua exſecta eſt, Gratiani juſſu, quem paulò pòſt Ducem Romæ creavit Stephanus, teſte Anaſtaſio Biblioth. *Vindiciis opprobrii Eccleſiæ*, unà cum Chriſtophoro Sergioque, elogio decoratum, à Cardin. Baronio, quem vide ad annum C. 767. & *ſeqq.* adde quæ infrà *in Stephano IV.*

XXXI. STEPHANUS (n) IV.

Poſt cædes (o), *binumque hoſtem* (p) *de ſede remotum,*
Succedo (q), *& regnum, quà pote, firmo* (r) *meum.*
Illuſtres fini hac nolo exardeſcere (ſ) *tædas,*
Arctiùs & Reges (t) *poſſe coire veto* (u).

ENARRATIO.

(*n*) SIculus, Presbyter S. Cæciliæ, (*o*) poſt Totonem cum ſociis cæſum, (*p*) Philippumque à Gratiano de Sede deturbatum, Chriſtophori Primicerii ope, Conſtantino adhuc ſuperſtiti (*q*) ſurrogatus d. 7. Aug. an. C. 768. præf. miſit Sergium, Chriſtophori fil. (*r*) ad Pipinũ R. illi, quid circa ſucceſſionem Pauli Romę actum eſſet, indicatum, ſimulq; viros aliquot idoneos & rerum peritos petiũ, quorum conſilio

conſilio Eccleſiam Statumque Reip. Rom. ordinaret. Qui dum in itinere eſt, Pipinus, poſt Vaifredum vel Guajoſarium, Aquitaniæ Ducem, longo bello fractum, totamque ſic Aquitaniam regno adjectam, vitâ deceſſit, datâ Auſtraſiâ Carolo, alterique filiorum Carolomanno Burgundiâ & Alemanniâ, Aquitaniâ verò utriſque divisâ. Horum ſororem Giſellam cùm Conſtantinus Imp. fratri ſuo uxorem peteret, (*ſ*) obſtitit Stephanus, ne nova affinitas ſibi damnoſa eſſet, veritus, adeoque perſuaſis Carolo & Carolomanno, *non licere Francis Principibus exteras amplecti nuptias, Pontifice inconſulto*, vota Conſtantini callidè eluſit, Joh. le Sueur *ad ann. præſ.* Poſt quæ Hunaldum, Vaifredi patrem, qui cucullâ abjectâ ad Aquitaniæ Ducatum denuo aſpirabat, victum, ad Deſiderium fugere compulit Carolus: cujus filiorum unum Aznarem, domûs ſuæ calamitatibus in Hiſpaniam ſe recipere coactum, poſt res ibi fortiter contra Saracenos geſtas, primum Aragoniæ poſtmodum Comitem factum eſſe, tradunt Hiſpanicarum rerum Scriptores. Bello Aquitanico ſic finito, (*t*) Carolus filiam Deſiderii Langob. R. matrimonio ſibi jungere conſtituit, quod omnibus iterum modis prohibere conatus Pontifex, conſiliumq; id *ex ſuggeſtione Diaboli* proficiſci arguens, clamavit *fœtidam eſſe Langobardorum gentem, perjuram, horridam, leproſamque*: non tamen vel ſic abſterruit Carolum, qui nuptias paulò pòſt perfecit, cùm frater ejus Carolomannus paulò antè Gerbergam, alteram Deſiderii filiam, duxiſſet. Interea Sergius ab utroque benignè exceptus, ac cum XII. Præſulibus ad id electis Romam remiſſus eſt, ut eorum ope Stephanus res Eccleſiæ Rom. ordinaret. Synodus itaque in Laterano poſt eorum

ſtatim

ſtatim adventum habita, qua decretum, ut Acta Conſtantini irrita eſſent, neque in poſterum quisquam in Sedem eveheretur, *quin Diaconus aut Presbyter Cardinalis*, h. e. Presbyter unius ex præcipuis Urbis Eccleſiis, eſſet. Protractus dein is & cauſam dicere juſſus, exemplo Sergii Ravenn. & Stephani Neapol. tum præſentium, qui ſimiliter ex Laicis Eccleſiarum Præſules eſſent facti, ſe tueri conatus eſt. Tum *omnes incenſi zelo Traditionis Apoſtolicæ — ei colaphos infligi juſſerunt, eumque communione excluſerunt. Repertis* dein *Actis Concilii, quo confirmatus fuerat, igni tradiderunt in medio Presbyterii Eccleſiæ*: quod de ipſo Conſtantino non pauci intelligunt. Certè eum in Synodo Lateranenſi fuiſſe excæcatum priùs, dein, poſt colaphos infractos, ab omnibus Presbyteris, in medio Ædis flammis datum, clamante Populo, Clero & Pontifice, *O Chriſte miſerere*, ſcribit Marianus Seculi XI. celebris Scriptor, *ad ann. Chr.* 767. Saltem poſt hæc, uti Romulus olim, viſus non eſt ampliùs: nec luminibus ab eodem Gratiano, de quo antè, eum privatum eſſe, quiſquam it inficias. Dum in Hiſpania, Frojolam Aurelius frater, Saracenis fœderatus, & vitâ & regno privavit: Conſtantinus verò Imp. Eudociam tertiam ſuam conjugem diademate ornavit, & juniores duos filios Chriſtophorum Nicephorumque Cæſares dixit, anno Ch. 769. maximo verò natu Leoni, jam Imperii conſorti, Bulgarorum Regis filiam Irenen uxorem ſumpſit: quo ipſo tempore, ejus in Monachos Monialesque Epheſi rigor notatur. Interea Deſiderius, ſpecie pietatis, Romam veniens, ibi cum Paulo Afiarto urbis Judice clam agit, ut Chriſtophorum filiumque ejus, qui Stephanum promoverant, ad pœnam rapiat, Proceresque ſuis

cœptis,

cœptis, quæ meditabatur, adverſos vel carcere vel exilio mulctet, quod ille non cunctanter effectum dedit: non eo tamen ſucceſſu, quem ſperaverat Deſiderius. Carolomannus verò, Caroli R. frater deceſſit, anno Chr. 770. quo pacto Carolus ſolus in Francia rerum potitus, brevi pòſt filiam Deſiderii Bertham, an in Stephani Pontif. gratiam, an quia *clinica* erat, patri remiſit, Hildegarde Suevâ in ejus locum aſcita. Unde diſſidii inter illum & Deſiderium ſemina: acceſſit Michaëlis Ravennenſis, quem Deſiderius & Mauritius Dux Arimin. evexerant, negotium: cujus electionem, ut contra Canones & ultimæ Synodi Romanæ decreta factam, cùm improbâſſet Stephanus, Carolus, miſſis Legatis, eum de Sede amoveri & Romam abduci curavit. Quibus gliſcentibus Saraceni in Iſauriam irruperunt, &, victis Conſtantini copiis, ingenti cum præda, ad ſua redierunt, anno Chr. 771. Sequutus Stephani obitus, d. 1. Febr. anni Ch. 772. Sedis ann. 3. m. 5. d. 25. Conſtantini V. Imp. anno 31. de quo plura apud Antoninum, Volaterranum, Sigonium, Anaſtaſium Bibl. cœteroſque qui *Vitam* ejus compoſuere. (*u*) De Synodo ab illo convocata Lætus, *Stephanus*, inquit, *Synodo in Laterano coactâ — detruſo in cœnobium Conſtantino P. Cæſarem excommunicavit, decreta Synodi ejus abrogavit, cultum Imaginum confirmavit. His perfectis omnes nudis in Vaticanum pedibus proceſſerunt, atque acta ex ambone proclamârunt*, ex Sigonio aliiſque, *in Conſtantino V.* &c. De *Schiſmate* X. Philippi, Vid. ſuprà.

XXXI.

XXXII. ADRIANUS (x) I.

Contra Lombardos (y) *Carolum* (z) *excio, ſubjicit ille*
Hoc regnum (a), *& Sedis largus* (b) *adauget opes.*
Patricii (c) *hinc ſumit titulos, & jura* (d) *creandi*
Pontifices. Icon (e) *ſtat* (f) *ſimul* (g) *atque cadit* (h).

ENARRATIO.

(*x*) ROmanus civis, fil. Theodori, quamprimùm Stephano ſurrogatus eſt, ſolvit vinculis, & revocavit ab exilio eos, in quos Afiartus, Deſiderii inſtigatu, ſævierat, atque hujus conatibus omni vi obniti ſibi conſtituit, præſertim cùm unicum hunc (Imperatoris potentiâ per Exarchatum occupatum jam fractâ) in Italia Sedi ſuæ metum potentiæque, ad conceptum animo deſtinatumque culmen adſurgenti, obicem ſupereſſe videret. Et primò quidem (*y*) Deſiderii Legatos gratulatum, fœdusque, cum deceſſoribus factum, renovatum ad ſe miſſos, humaniter excepit, ſed ad petitionem illius, ut Carolomanni filios, ſuos ex filia nepotes, coronaret, *ſe viſurum*, reſpondit. Quo irritatus Deſiderius, vi agendum ratus, univerſa à Pipino Eccleſiæ Rom. donata infeſtis armis repetere cœpit perpulitque Adrianum, ut, quia ſe ei cerneret viribus imparem, ſuetâ deceſſoribus viâ, Caroli implorarct opem, cumque ut patris avique exemplo miſere-

miſereretur Italiæ, & opem Eccleſiæ Rom. ferret, enixè precaretur: qui cùm bello contra Saxones, his acie victis, & Eresburgo arce captâ, famoſum in eâ gente templum idolumque *Irmenſul* evertit, anno C. 772. Carolus, Legato Pontificis benignè audito, priùs tamen lenioribus remediis uſurus, monet Deſiderium, ut capta reſtituat: qui, obſequium prolixè pollicitus, nil aliud tamen egit, quàm ut Adrianum denuo, de coronandis Carolomanni filiis, urgeret. Qua de re à Pontifice (z) Carolus factus certior, ne ſic quidem vim adhibendam ratus, alterâ quoque hac vice, Deſiderium ad pacis conſilia, hortatus eſt, de ſuo etiam magnam pecuniæ vim in ſolatium impenſarum pollicitus. Cùm verò eum neque deprecationibus neque donis flecti videret, poſt pacem tertiâ vice oblatam, transgreditur Alpes armatus, ac Langobardos cum Rege ſuo in fugam propellit, Ticino incluſos obſidet: quo tempore Spoletani Reatiniqùe, cum tota Marca Anconitana urbibusque compluribus aliis, Pontifici ſeſe dediderunt. Adelgiſo mox Deſiderii filio CPolim migrante, anno Ch. 773. captaque, quam hactenus tuitus fuerat, Veronâ, Romam pergit Carolus, Apoſtolorum, ut loquebantur, limina viſurus, ubi inter fauſtas populi acclamationes, *Benedictus eſto, qui venit in nomine Domini!* magnificè receptus eſt. Vix verò ſeptiduo in urbe exacto, in caſtra reverſus, fatigatum diuturnâ obſidione Deſiderium, ſeque & ſua dedentem, miſit cum uxore in Galliam, tonſumque in Monachum, Leodium ire juſſit: quo pacto (a) Regno Langobardico finis impoſitus, anno à quo cœperat, 205. alterque Pontificum æmulus è medio remotus eſt. Ipſe Carolus universâ ſic Italiâ potitus, demptâ Neapoli, & cœteris,

cœteris,quæ Siciliam ſpectant, provinciis, (*b*) Exarchatum & Pentapolim reddidit Adriano, V.& infrà: Romamque regreſſus huncce cum CL. Epiſcopis populoque Rom. obvium habuit, ibique coactâ Synodo (*c*) *Patricius* (quam dignitatem largiri Auguſtæ erat poteſtatis) creatus ac (*d*) *jus* ei *Epiſcopos inveſtiendi* tributum, additâ lege: *Ne quis, niſi à Rege Carolo laudatus probatusque, accipiat Epiſcopatum.* Sed brevi pòſt, jure hoc Romanis remiſſo, permiſiſſe illis, more hactenus recepto, Pontificem ſibi eligere, modò id citra ambitum fiat, tradit Sigonius aliique: *confirmandi* tamen *electum Pontificem jus* ſibi reſervâſſe certum. Ab illo tempore inter Carolum Adrianumque arcta neceſſitudo fuit, manſitque, quamdiu huic vita. Rediturus in Galliam, Modœtiæ ferreâ coronâ (auro obductâ) in Regem Langobardiæ, à Præſule Mediolan. cinctus eſt: Ducatibusque Romano & Peruſino, cum aliis quibuſdam urbibus terriſque, ſalvo ſuperioritatis ſibi jure, Pontifici conceſſis, Ducatum Beneventanum Aragiſo Deſiderii genero, Spoletanum Hildebrando & Foro-Julienſem Rotgaudo,eodem nexu, tradidit, aliisque locis inter proceres è gente Langobardica ſibi fidos diſtributis, nomine *Regni Italiæ* Liguriam, Tuſciam citeriorem, Æmiliam complexam Ducatus Parmæ, Placentiæ & Mutinæ, Bononienſem, Venetam, Tridentinamque ditiones, Mantuam item atque Alpes Cottias, ſibi ſervavit. Circa quæ tempora, Conſtantinus Imp. Bulgaros inſigni clade affecit,Offa verò Merciorum in Anglia R. poſt Cantuarienſes victos, anno Chr. 774. poſtmodum Romam profectus, Pontifici regnum ſuum vectigale fecit, uti quidem Polydorus Virg. ac Baronius narrant. V. quæ ſuprà de Ina R.

X in *Gre-*

in *Gregorio III.* Mox Carolus, poſt Langobardiam receptam, Saxones, qui interea rurſus jugum excuſſerant, ſuo reditu ad Baptiſmum adegit, & in Friſia quoque ſævitiam in Chriſtianos Radbodi II. ultus eſt. Dum apud Saracenos, Habdallæ filius Mahdi ſucceſſit: apud Gothos, in Hiſpania, Aurelio gener ejus Silus Arabs, qui & Alphonſi, Frojolâ geniti, tutelam ſuſcepit. In Imperio autem Conſtantinus, novæ contra Bulgaros expeditioni intentus, obiit, d. 14. Septembr. caſtitatis, fortitudinis & pro veritate zeli elogio inclytus, ſed Imaginum oſor; quam ob cauſam apud Scriptores, *perſecutor Eccleſiæ, Diocletianus, Dæmonum ſocius, hoſtis ſanctorum proclamatur, ſed ab iis, qui, operibus humanarum manuum colendis addicti, imperitorum more, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum putant*, Cluverus *in Eo.* Eum excepit filius, Leo IV. Porphyrogenitus, cujus, ut & Patris jam defuncti, opibus adjutus Adalgiſus in Italiam rediit, patrium regnum recuperaturus, anno Chr. 775. ſed irrito ſucceſſu. Brevi enim revolans in Italiam Carolus Rotgaudo, qui Adalgiſo favebat, capite truncato, ſeditionem ab eo excitatam ſedavit, Ducatumque ejus cum Carinthia & Stiria magnati cuidam Gallo Henrico tradidit: In Saxones dein victor, quod de Baptiſmo diximus, jam perfecit. At Leo, uti throni, ſic avitæ hæres mentis & ſententiæ, Conſtantinum fil. poſtquam jurati promiſiſſent Senatores & populus, ſe nulli, præterquam Conſtantino, & ſemini ejus, parituros, ad participationem dominatûs provexit, anno Chr. 776. inde Telerichum Bulgarum, diuturno contra patrem Conſtantinum bello celebrem, jam à ſuis pulſum excepit, ac baptizatum *Patricii* honore inſignivit. Carolus verò dum Paderbornæ

conver-

conventum Regni agit, Saxonum proceribus undique confluentibus, Witikindo excepto, qui ad Sigfridum Danum ſocerum ſuum confugerat, venit Ibnalarabas Saracenorum in Hiſpania regulus, ac pollicitus Chriſtianiſmum, ſe ſuoſque dedit, ſi armis Caroli principatum recipiat, anno Chriſti 777. reducitur ergo, captâ Pompejopoli, &, Chriſtianorum plurimi à Saracenico jugo liberantur: in reditu verò exercitus Caroli, in jugis Pyrenæi ſaltus, à Vaſconibus, locorum péritiâ nitentibus, cæſus eſt, & Eginhardus, Anshelmus, Rolandus aliique Ducum inſigniores occubuerunt. Acquiſivit nihilominus expeditione hac Carolus Navarram, Aragoniam, tractumque omnem à Pyrenæis ad Ebrum fl. uſque, quod terrarum ſpatium *Limes Hiſpanicus*, ſive *Marca Hiſpanica*, ab eo tempore eſt appellatum. Interea Saxones, Witikindo duce, reſumtâ audaciâ, procursârunt ad Rhenum uſque, mox tamen repreſſi, ann. C. 778. & ab ipſo Carolo, ad Lupiam fl. ſuperati, Weſtphaliâ & Angriâ ſub jugum redactâ. Dum Leo Imp. contra Madyn ſeu Mahdi in Syria egregiè rem geſſit, an. C. 779. qui hinc in Chriſtianos ſuæ ditionis, contra datam fidem, ſævit, è quibus aliqui Martyres effecti ſanguine divinam veritatem obſignârunt. Idem Imp. dum Carolus Saxonum delet idola, ſimiliter myſticam ratus idololatriam, quam ſacrarum (*e*) imaginum venerationem dicebant imperiti, eam in aulicis ipſaque Irene conjuge damnavit, Theophanemque & alios ejus ſuperſtitionis propugnatores affecit pœnis. Sed paulò pòſt, præmaturâ abreptus morte, impuberem filium reliquit ſucceſſorem, ſub tutela matris Irenes, fœminæ ambitioſæ, & mirè callidæ. Hæc (*f*) de imaginibus ſenten-

tiam, quam, ſuperſtite marito, clam habuit, illo defuncto mox prodidit in vulgus, eoque facto rudis plebeculæ & patronorum ſuperſtitionis laudes promeruit. Cœterùm inſidias paſſa à fratribus Imperatoris demortui, fautores eorum exilio, ipſos movit dignitatibus, ac pro Clericis raſos fungi Sacris juſſit. Dum Carolus, contra Saxones iterum victor, ad res in illis locis ſacras ordinandas, Præſulum conventum Lipſiæ habuit, & Mindæ, Oſnabrugæ ac Halberſtadii Epiſcopatuum fundamenta jecit. Inde Italiam repetiit, cui Humni Saraceniqne minabantur, ann. C. 780. & Ticino Romam profectus, cum filiis, Pipinum ſecundum natu *Italiæ*, Ludovicum verò juniorem, *Aquitaniæ*, Reges, à Pontifice coronari voluit, huic Aureliano, illi Mediolano Regni ſede adſignatâ: è quibus Pipinus Modœtiæ à Præſule Mediolan. denuò coronatus, ferreâ coronâ ſc. uti Reges Langobardiæ in more habebant, Mediolani manſit, inde tamen ſæpe excurſione Ravennam factâ. Circa quod tempus Irene Saracenos, in Ciliciam illapſos, per Duces ſuos feliciter repulit, & contra Elpidium, Siciliæ prætorem, Nicephoro Conſtantini patruo faventem, bellum parare cœpit, anno Chr. 781. moxque eum victum in Ægyptum fugavit. Ut verò filio adſtrueret potentiam nuptiis, Rotrudem Caroli, à rebus geſtis *Magni* jam nomen meriti, filiam ei curavit deſponſari, miſitque Eliſæum Eunuchum, à quo virgo regia Græcas literas moresque doceretur. Bello dein ambigua, Aaroni quidem Mahdi filio, qui in Aſiam min. irruperat, tributarium reddidit Imperium, primamque ei impoſuit labem, *fructum corruptæ per imaginum vanitatem religionis*, Cluverus *in Irene*: Sclavos verò, in Græcia & Peloponneſo,

per

per Stauratium victos ſibi viciſſim reddidit vectigales; Carolo M. interea Saxonum Tranſalbinorum, à quibus præſides ipſius erant trucidati, perfidiam idoneâ ſeveritate ulto, anno C. 782. moxque, poſt ductam Faſtradam, illorum iterato victore. In Hiſpania circa idem fere tempus, Alfonſus II. Frojolæ fil. cognomine Caſtus, Silo tutore mortuo, in Legionis & Aſturiæ regno ſucceſſit, eo paulò pòſt à Mauregato patruo exutus, anno Ch. 783. At CPoli, Paulo Patr. qui ſponte in Monaſterium relictâ dignitate conceſſit, contra Eccleſiæ canones, Taraſius Conſulatu functus & Impp. à Secretis, ſubſtitutus eſt, *cui fidem ſuam diu antè ambos* (Irenen & Conſtantinum VI. fil.) *oppignoraviſſe, cùm ad Epiſcopatum eveheretur, convocaturos ſe Concilium, in quo hæreſis Iconomachorum damnaretur*, tradit Baronius *ad ann. C.* 784. *n.* 11. Interea, per Carolum fil. Saxones rurſus in Weſtphalia profligat Carolus M. apud Saracenos autem Mahdi, in Chriſtianos ſævum, filius Moyſes excipit; anno 784. Poſt quæ, Saxones Friſonibus juncti iterum victi, præcipuique illorum duces Albion & Witikindus à Carolo M. tandem in fidem recepti, ac Attiniaci baptizati ſunt. Adrianus autem Carolo *Collectionem Canonum & Epiſtolarum Decretalium*, ad uſum Eccleſiarum Occidentis, miſit, quam olim Dionyſius Exiguus concinnaverat. A qua aliam *ejusdem Adriani Collectionem Canonum aliquot, in gratiam Ingelrami Epiſc. Metenſis, ex Græcis & Latinis Canonibus, Synodiſque Romanis atque Decretis Præſulum & Principum Rom. factam ac traditam Ingelramo, ann.* 785. *Indict.* 9. 13. *Kal. Oct.* refert Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. n.* 191. Sub quæ Taraſius, pro more, fidei ſuæ confeſſionem tranſmittit, rogatque eundem Irene,

ut Conſtantinopolim venire, & Concilio, de Imaginum reſtitutione convocando, intereſſe velit. Ad quæ Adrianus, Taraſii electionem improbans, tum demum eam ratam ſe habiturum, reſpondit, *Si hæreſin Iconomachorum ſe penitùs aboliturum*, fuerit pollicitus, Baron. & 2. *ad eund. Taraſium Epiſt. Niſi reſtitueris*, ait, *imagines iis in locis, conſecrationem tuam ratam habere non licebit.* Dum in Saracenorum Dynaſtia Moyſi extincto Aaron frater ſucceſſit, Chriſtianorum acerrimus perſecutor; quæ cauſa, quòd literæ Irenes & Taraſii, quibus Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus Præſules ad futurum Concilium invitabantur, iis exhiberi non potuerint. Irene verò, revocato ex Gallia Eliſæo, matrimonium Conſtantini, à ſe ipſa inchoatum, temerario auſu diſſolvit, ne tam potenti affinitate ſubnixus filius regimine imperioſam matrem removeret, fortè verita, Zonar. anno C. 785. Concilium deinde, Adriano inprimis ſe ſuffultam cerniens, CPolim convocavit, ad d. 7. Auguſt. ſed, civium ſeditione prohibita, priùs exarmandos & ab urbe relegandos, qui præcedentium Impp. ſententiam tuebantur, ſtatuit. Itaque ſimulatâ in Saracenos expeditione ac dimiſſo Epiſcoporum cœtu, arma ab eis repetiit, quæ partita inter ſuæ factionis milites, facilè inſtauravit Synodum, ut videbimus. Carolo M. interea contra Aremoricæ regulos, in Gallia: exin, contra Adalgiſum Deſiderii fil. claſſe validum, Aregiſumque Duc. Capuæ & Benev. affinem ejus, qui, *Regis Italiæ* titulo ſumpto, jam ditiones Pontifici ſubjectas infeſtare cœperat, res fuit, anno C. 786. quorum huic ſupplici pacem dedit, & Romæ Paſcha celebravit, ubi Adriani interceſſione apud ipſum Taſſilo quoq; Deſiderii gener, uſus eſt.

In Hi-

In Hiſpania, Abderami Miramolino, cujus Cordubæ plerunque ſedes fuerat, Hiſſem fil. ſucceſſit. Secuta apud Nicæam Bithyniæ *Synodus Nicæna II.* λῃστρικὴ ſeu *latrocinalis vulgò dicta*, *annitente Irene, Leonis IV. conjuge & Conſtantini VI. tum adhuc impuberis, matre, quæ Adriano I. Pont. R. & imaginibus ſimul addicta, cum eodem conſpirans, eò denique rem perduxit, ut Imagines honorandas, venerandas, ſalutandas, oſculandas, incenſis, cereis proſequendas, publico decreto ſanciretur*, J. Henr. Heideggerus *Hiſtor. Papatûs periodo III. n.* 47. Irene, quæ in libb. Caroli M. *Reginæ Athaliæ* comparatur, *inſtitutrix ſive doctrix Concilii*, ibid. dicitur. E Patriarchalibus reliquis Eccleſiis aderat nemo; nec quiſquam ex Occidente Præſul, præter duos Adriani Pontif. Legatos, qui Rom. ſolùm Eccleſiæ nomine ibi comparebant: reliquæ in Italia, ut & Gallia, Germania, Hiſpania, & Anglia Eccleſiæ; Africana porrò, miſerant neminem. Unde Nicolaus I. & ſucceſſor ejus Adrianus II. Concilium hoc, exemplum reliquarum in Oriente Patriarchalium Eccleſiarum ſecuti, in Oecumenicorum numerum, admittere noluerunt, teſte Baronio, *ad ann. 865. num. 1.* Vid. quoque eum *ad ann. 863. num. 6. 43.* & quæ Sirmondus Jeſ. *Concilior. Franciæ Tomo II. pag.* 191. adnotavit. Coivere nihilominus Epiſcopi CCCL. qui negotium orſi die 24. Septembr. illud, intra non integri menſis ſpatium, expeditum dedere, d. 23 Octobr. Seſſiones erant VII. quarum ſecundâ recitata eſt Epiſtola Adriani *Archiepiſcopi Romæ ad Conſtantinum & Irenen Augg.* in qua variis argumentis *Imaginum cultum* ſtabilitum ivit. In tertia Gregorius Epiſcopus Neocæſar. qui in Concilio Conſtantinopolitano præſidem egerat, anno Chriſti 754. Vid. ſuprà

in Stephano II. jam palinodiam cecinit. In ſexta de *Euchariſtia* actum, & ſententia Concilii CP. de ea non minùs, ac *de Imaginibus*, rejecta. In ſeptima & ult. Concilia VI. priora confirmata, atque, omnibus Hæreticis in iis condemnatis, nominatim Honorio P. anathema dictum, ac veneratio imaginum decreta eſt. Cui pòſt decreto ſe oppoſuere Conſtantinus ipſe factus adultior, à matre oculis & vitâ propterea privatus: Conſtantini ſucceſſores, Nicephorus, alii, & Græci in univerſum: nec non Carolus M. ipſe ſcriptis IV. *adv. cultum Imaginum libb.* & habitâ Francofurti Synodo, ut videbimus. Facta autem hæc anno C. 787. ad quem V. Joh. le Sueur, qui inter alia, *Divinitatis* atque hinc *Trinitatis* tamen repræſentationem, *Seſſ. III.* prohibitam, neque ſtatuarum, aut ſimulachrorum ſculptilium, ſed *planâ tantùm depreſſâque picturæ facie* repræſentatorum, cultum ac venerationem hoc Concilio ſancitam, obſervat: ad quam probandam, quo pacto loca varia S. Scripturæ & Patrum fuerint ſuis ingratiis adhibita atque applicata, qui videre cupit, ipſa Concilii *Acta* inſpiciat, *Seſſ.* inprimis II. & IV. Poſt ea, cum Aarone Saraceno fœdus initum & rigor illius in Chriſtianos aliquantiſper mitigatus à Carolo M. Romæ verò Synodo actâ, *loco Officii Ambroſiani ut Gregorianum obtineret*, concluſum, quod proin Galliæ & Germaniæ Eccleſiis, magno fervore, non tamen ſine aliqua offenſione, Carolus intulit, V. eum *de Imagin. l. 1. c. 6.* Bochellum *de Decretis Eccl. Gallic. lib. 1. t. 7. c. 21.* Durandum, Jac. Goffredum *Vita Gregorii I.* Antoninum Arch. Florent. *Chron. tom. 2. tit. 14. c. 4.* Alios. Retinuit nihilominus Ambroſianum Mediolanenſis Eccleſia, uſque ad Urbanum II. & Hiſpania quoque, ubi tandem

dem introductum, ſed cum rigore non exiguo, docet Rodericus Ximenius *Hiſtor. Hiſpan. lib. 6. c. 26.* Interea Taſſilo à Carolo domitus & cum filio Theodone Monaſterio Lorshemio incluſus eſt. Cum Hunnis dein, qui Auſtriam Hungariamque tum tenebant, negotium: cum Adalgiſo it. qui occiſus. Dum Irene Mariam quandam Armeniam filio junxit invito, anno C. 788. qui, animadverſo matris conſilio, pro lubitu omnia agentis, ac per Stauratium Patricium exercentis ſceptrum, arripere Imperium cogitat, ſed infeliciter. Irene enim, perſuaſa fato ſibi deberi, non filio, Imperium, comprehendit amicos ejus, eosque affectos plagis aut contumeliis in Siciliam vel aliorſum relegat. Filium verberibus excipit ac domi tenet, Legiones adigit ſacramento, ne ſe vivâ Conſtantino dicto ſint audientes: ſequuto ingenti terræ motu, qui utrumque Regiâ urbe excuſſit, die 8. Febr. In Hiſpania, Mauregato Veremundus fil. ſucceſſit. In Hiſpania, Wilzos, ultra Albim habitantes, Carolus ſubegit, anno Chr. 789. Cùm verò Armeniaci exercitus Conſtantino pertinaciter adhæreſcerent, traxerunt exemplo reliquos, ut ad ejus obſequium redirent; qui ſic ſepoſito Stauratio per ſe egit poteſtatem, ac matrem Eleutheriano in palatio regaliter haberi juſſit: quo tempore ingenti incendio CPoli oborto, inter alia, Patriarchium arſit, & Chryſoſtomi in S. Scripturas Commentarii, propriâ ejus manu ſcripti, conſumti ſunt. In Gallia, Pariſiis Academia Alcuini operâ ſurrexit: à Carolo autem M. contra utrumque Concilium de Imaginibus habitum, ann. C. 754. & 787. inprimis contra hoc poſterius, ſcripti *de Imaginibus* libri, ſuprà indigitati, quos Joh. Tilius Epiſc. poſtea Mel-

 denſis

denſis factus, ſub nomine Eli Phili in Gallia publicavit, an.1549. additâ ſuâ præfatione, cujus authenticum exemplar adſervare in Bibliotheca ſua, *contra Pontificiorum vanos conatus, hunc fœtum vobiſcus incuſantium & exemplaria bonæ notæ in Gallia abolentium*, ait his ipſis verbis Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccl. n. 46.* V. & Vinc. Placcjum JC. *de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis detectis, in Caroli M. Scriptis p.174.* nec non Joh. le Sueur *in Adriano I.* ubi, præcipua libris his contenta Lectori exhibens, ne *duliæ* quidem cultum imaginibus à Carolo relinqui, oſtendit. Miſit eos paulò pòſt Carolus Adriano P. cujus ad illos reſponſum ſatis amplum, *Epiſtolæ* formâ, habes *Concil. Tom. III. ſub finem Actorum Synodi Nicænæ II.* quæ cui inter ſe conferre libuerit, facilè videbit, quanto præſtet veritas, ſolidis rationibus nixa; errori undique ad ſe incruſtandum colores nequicquam emendicanti. Sed nec unus Carolus in Occidente ſe decretis Nicænis oppoſuit, verùm & Angliæ Epiſcopi *Cenſurâ*, eorum, Alcuini operâ, compoſitâ atque ad Carolum miſſâ, anſam illi dedere, poſtero tempore Synodum Francofurtenſem congregandi, ut videbimus: contigere autem iſta ann. C.790. Inde Hunni victi, & eorum haud pauci ad fidem ab eodem adducti. Dum in Hiſpania Veremundus, Hiſſemi Saraceni victor, paulò pòſt regno legitimo hæredi Alphonſo II. de quo jam ſuprà, ſponte ceſſit: Conſtantinus verò, Saracenorum in Cilicia victor, contra Bulgaros infelix fuit, anno C.791. quo ipſo Paulinus Aquil. Patr. Synodo coactâ, Græcos *Spiritus S. proceſſionem à Filio* negantes damnavit, & inopia civium, Tibris inundatione ad incitas redactorum, Adriano P. liberalitatis exercendæ materiem præbuit. Mox Irenen dignitati reſtituit

ſtituit Imperator, quæ, gubernaculis iterum admota, id egit omni modo, ut filium ſuppliciis cognatorum, & familiarium, inviſum redderet ſubditis. Circa quæ tempora, Synodo à Carolo M. Ratisbonæ convocatâ, Felix Orgellitanus Epiſc. Neſtorianiſmum reducturus, damnatus: & conjuratio Auſtraſiæ Procerum, contra Regem, detecta eſt, anno C. 792. Rebellionem dein in Italia, Grimoaldi D. Benev. inſtinctu gliſcentem, in ipſis primordiis oppreſſit, per filios, & Danubium Rheno jungere eſt conatus. Cum Saxonibus mox iterum, & in Hiſpania cum Saracenis res, ubi Alphonſus, ejus viribus adjutus, tributum C. Virginum, quotannis à Sili tempore Saracenis pendi ſolitum, magno animo porrò ſoluturum negavit acriqúe illis pugnâ ſuperatis, Olyſſiponem cepit, ac jugo Saracenico magnam Hiſpaniç partem exemit, inſignibus victoriæ ad Carolum transmiſſis. At Conſtantinus ſævire pergens, Armenios offendit, qui hactenus pro ipſo ſteterant: Dani autem ſ. Normanni, in Angliam excenſione factâ, poſtquam eam longè lateq; vaſtavere, omnes brevi inteſtinis diſſidiis, aut peſte, conſumpti ſunt an. C. 793. Poſt hæc (g) cùm *Acta* Synodi Nic. auctoritate Irenes celebratę, in Occidentem perlata variisq; animorum motibus à variis accepta eſſent, ſepeliendis doctorum diſſidiis, Carolus M. celeberrimã Francofurti ad Mœn. CCC. ex Francia, Germania, Italia & Anglia, Epiſcoporum Synodum coëgit, cui Adriani nomine duo interfuerunt Præſules Theophylactus & Stephanus. In ea primò decretũ, *Chriſtum etiam ſecundùm carnem non adoptivum, ſed verum Dei filium*, contra Elipandum Tolet. & Felicem Orgellit. Epiſc. qui proin, quòd Chriſtum hominem minori dicendo afficiendum honore, quàm Deum,

Neſtorianiſmum reducerent, damnati, ipſiusque Caroli & Alcuini eruditis ſcriptis refutati ſunt. Dein, controverſiâ de Imaginibus ventilatâ, *Earum uſus hiſtoricus approbatus, adoratio ac cultus omnis damnatus Græcorum Nicæna Synodus deſtructa. Acta reſciſſa, & ut nec VII. nec Univerſalis, ſed Pſeudoſynodus diceretur*, ſtatutum eſt. Recitatum in eadem Opus Carolinum contra illam Synodum, cujus defenſionem Adrianus P. fruſtra ſuſceperat, Georg. Hornius *Hiſtor. Eccleſ. Period. II. artic. 2. num. 3.* ex Walafr. Strabone Auctore *Annal. Fuld.* qui, *Pſeudo-Synodus*, ait, *Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò Septima vocata ab Epiſcopis damnata eſt.* Et Hincmaro Rem. *lib. c. Hincmarum Laudun. Tempore Caroli M. Imp. juſſione Apoſtolicæ Sedis, Generalis Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore celebrata, & ſecundùm Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipſa Græcorum Pſeudo-Synodus deſtructa & penitùs abdicata eſt. De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imp. Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum.* Quis verò Synodi hujus ſucceſſus fuerit, idem exponit paulò pòſt: *Auctoritate itaque hujus Synodi nonnihil repreſſa eſt imaginum veneratio. Sed tamen Hadrianus & alii Pontifices in ſua opinione perſeverârunt & mortuo Carolo ſuum puparum cultum vehementiùs promoverunt; adeò ut Ludovicus, Caroli filius, libro longè acriori inſectatus ſit imaginum cultum quàm Carolus.* Seculo ſequ. Agobardus Arch. Lugdun. Claudius Epiſc. Taurinenſis, Jonas Aurelian. & Patres Synodi ſub Ludovico Pio Pariſiis actæ, anno Ch. 825. ſententiæ Synodi Francofurt. inſiſtentes, ſimiliter cultum Imaginum rejecerunt, Concilio Nicæno ſtabilitum: quæ cauſa, quòd de

Gallorum

Gallorum rigore Concilium hoc admittere renuentium conqueratur Anaſtaſius Biblioth. Vid. Johannem le Sueur hac de re, ut & de aliis in eadem Synodo peractis prolixè agentem *ad ann. C.794*. Carolus his confectis, Luitgardem ſibi junxit, Saxones vicit, verſibus Majorum res geſtas comprehendi juſſit, menſibus anni nomina Teutonica indidit, &c. ann. Chriſti præf. mox rurſus Saxonum victor. Conſtantinus interea, Mariâ uxore repudiatâ, Saracenos ſuperavit; Theodectam dein è gynecæo virginem Auguſtam creavit, frementibus Monachis, ac anathemate bigamum notandum dicentibus. Adrianus autem P. deceſſit d. 26. Decembr. ann. Chriſti 795. Sedis anno circiter 24. Conſtantini VI. Imp. ann. 6. in ædificiis, aquæductibus, templiſque extruendis magnificus, & literis non parùm excultus, de quo Vid. plura apud Paulum Diacon. *Hiſtor. Miſcellan. libr. 23. cap. 22.* Anaſtaſium Bibl. Platinam, Sigebertum, Baronium, Alios. (*h*) Eo ſedente, *Conſtantinopoli* Nicetæ Paulus, anno Chriſti 780. Paulo verò Taraſius ſucceſſit, anno Chriſti 784. *Hieroſolymis*, Theodorus Patr. in exilio obiit, circa annum Chr. 785. Paulus verò Diaconus, cum Deſiderio R. in Galliam abductus, indeque in inſ. Caprariam relegatus eſt à Carolo R. anno Ch. 774. & Theophilus dux Conſtantini, ſub Aarone, Damaſci martyrium ſubiit, ann. C. 789. At *Adoptianorum* hæreſis, quæ & *Feliciana* dicta, auctore Elipando Arch. Toletano ann. Chr. 783. & à Felice Orgellitano Epiſc. promota, Ratisbonæ primùm, dein Francofurti, damnata eſt, ut diximus, &c.

XXXIII. LEO (i) III.

Criminis (k) *arceſſor, coram me Iudice* (l) *purgo,*
Cæſareo & domini ſtemmate cingo (m) *caput.*
Mæcenas (n) *doctis, quorum ſat copia* (o) *rara;*
Hoſtibus at viſus ſævior (p) *eſſe meis* (q).

ENARRATIO.

(*i*) ROmanus, Aſuppi fil. Adriano Pontifici ſucceſſor datus, eo ipſo die, quo Adrianus obiit, anno C. 795. præf. Legatis ad Carolum miſſis electionis ſuæ ratihabitionem petiit, oblatisque ei per eoſdem clavibus Baſilicæ S. Petri, vexillo Romanæ urbis, ac donis inſignibus, in ſubjectionis ac fidei illi velut Patricio, adeoque domino urbis, debitæ pignus, ut Romam aliquem, qui homagium reciperet, dirigere dignaretur, oravit. Carolus auditâ Adriani, quem multùm dilexerat, morte, in ejus honorem ἐπιτάφιον carmen ſcripſit, exceptisque benignè Leonis Legatis, Engilbertum generum ſuum Romam deſtinavit. Interea per Henricum Foro-Julii D. Hunnos, inteſtinis diſſidiis laborantes, ita poſt octenne bellum contudit, ut, excisâ eorum Nobilitate, congeſtos ex longo tempore illorum theſauros, Pannoniâ penè omni evacuatâ, diriperet, quorum maximam partem ærario D. Petri per eundem Engilbertum inferri curavit. Dum Conſtantinus à Saracenis Ciliciam vaſtari patitur, iterumque in Bulgaros profectus, inſolentiùs tri-

butum

butum efflagitantes, ut comperit natum ſibi filium, in urbem contendit, relictâ apud exercitum Irene. Quæ filii abſentiam occaſionem rata ſuam, corruptis auro blanditiisq; Ductoribus perſuadet, ut ſibi reddant poteſtatem, anno C. 796. Illi avocatum ab Saracenico bello Imperatorem Conſtantinopolim reducunt, effoſſisque incauto crudeliter oculis excruciant, morte brevi conſecutâ: quo facto Irene rerum denuo potita, Nicephorum quoque & Chriſtophorum mariti ſui defuncti fratres in exilium miſſos interfici juſſit, totamque ita Leonis Iſauri ſtirpem extinxit. Tum Sol ſeptendecim dies, Mars verò à menſe Julio uſque ad ſequ. anni eundem menſem, non conſpicuus fuit, ut Aſtronomi horum temporum adnotârunt, anno C. 797. In Hiſpania, Alphonſus Caſtus, Caroli opibus fretus, variis prælliis fregit Saracenos, & ſubinde muneribus Carolum excoluit, inter quæ raræ artis magnique pretii tentorium fuit. At Irene Legatos, de pace ad eundem miſit, qui benignè auditi è captivitate receperunt Siſimnium Taraſii fratrem & novas cruentæ ac inſidioſæ mulieri ſpes firmandarum opum attulerunt: quæ tamen contra Saracenos bello infelix fuit, anno Chr. 798. Admonita dein, adhuc ſupereſſe Conſtantini Copronymi filios duos, apud Acamirum Sclavum exules, illos inde miſſis quibuſdam abſtractos luminibus privavit, ac in procerum non paucos ſævire perrexit. Dum Hunni, Geroldi Bavari victores, perdomiti, &, quod illis opum reliquum erat, in Galliam translatum eſt, ubi primùm tum temporis auri argentique uſus vulgaris eſſe cœpit. Romæ verò (k) Leo, ob crimina, quæ ipſi objectabant æmuli, indigniſſimè habitus à Præfecto Urbis, procerumque

non-

nonnullis, Adriani neceſſariis, oculorumque ſuorum privatione damnatus, miſeratione eorum, quibus demandatum erat ſupplicium, læſis tantum leviter oculis, aciem eorum retinuit incolumem, atque, Albini domeſtici operâ, elapſus è cuſtodia, ad Carolum, qui tum Paderbornæ erat, in Germaniam profugit, ejusque auctoritate & armis reductus Romam, ringentibus licèt adverſariis, ac paulò pòſt, cauſâ à Caroli delegatis cognitâ, adverſarii illius in vincula conjecti atque in Galliam abducti ſunt: Carolo tum temporis de Imperii limitibus, contra incurſiones hoſtium, piratarum Danorum inprimis, muniendis ſolicito, anno Chr. 799. Qui tamen mox ipſe Romam profectus, ut accitâ Synodò ex Gallia & Italiâ Præſulum cognoſceret de criminibus intentatis Pontifici, audit *nefas eſſe, Papam Rom. à quoquam judicari*, ut Anaſtaſius ait: ſeu potiùs (nam idem ait de Carolò pro tribunali ſedente, (*l*) *accuſatores reusque adeſſe juſſi*) videt neminem criminum probatorem eſſe velle, permittit itaque Leoni, ut jurejurando ſe purget; purgatumque in ſede relocat Pontificia. Vid. Aimoinum Anaſtaſio ferme coævum *l.* 4. Qui proin, relaturus gratiam benefactori tanto, ac ponderans ſecum, quanto odio laboraret Irenes Aug. infame Imperium, *auctoritate populi Rom.* uti Sigebertus Gemblac. Marianus Scotus aliique habent, Natalitiis Chriſti feriis, Carolum in D. Petri baſilica ſolemniter pronuntiavit Auguſtum, (*m*) coronâ ad id capiti ejus impoſitâ, acclamantibusque novo Imperatori Romanis, *Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria*: de genibus dein Auguſtum protectionem Eccleſiæ Rom. viciſſim pollicitum veneratus eſt. Qua de re

ſic Hei-

ſic Heideggerus, *Leonem ſuo populique nomine non Imperium Carolo, ſeu rem, ſed rei & Imperii titulum duntaxat contuliſſe*, nuper Ioh. de Buſſieres. Ieſ. *Hiſtor. Franc. l. 4. fatetur. Transegeratque jam Carolus cum Imperatoribus Orientis, ea lege, ut* Imperator *diceretur uterque, Carolus & poſteri Occidentis: Orientis cæteri*, *Hiſtoriâ Papatus Period. III. num. 48.* His peractis Carolus, antequam Româ diſcederet, totâ hyeme, rebus Urbis, Eccleſiæ totiusque Italiæ ordinandis impensâ, è ſuis conſtituit, qui abſentis vices Romæ, prope Baſilicam S. Petri habitans, perageret, quem morem obtinuiſſe uſque ad Ludovicum II. Imp. Fauchetus tradit *Vitâ Caroli M. c. 9.* Vid. quoque *Vitam* ejusdem à Pithœo editam, ut & *Annales Pipini Caroliqué, uſque ad ann. 801.* Ingens tamen Papæ *hoſtimentum retulit, Pipini donatione non confirmatâ tantùm, ſed immodicè etiam auctâ: univerſis fere opibus, quas Hunnis eripuit, in Eccleſiæ ærarium illatis* (v. ſuprà) *Epiſcopis viciſſim pro modo liberalitatis de rigore antiquæ pœnitentiæ remittentibus: Eccleſiæ Rom. ceremoniis plerisque in Franciæ regnum introductis; &, quod Pontificiæ dominationis palladium eſt, Epiſcopis Metropolitanorum vel Comprovincialium judicio non acquieſcentibus appellatione ad Papæ judicium conceſſâ*: Heideggerus *dict. l.* ex Petro de Marca *de Concordia Sacerd. & Imp. L. VIII. 19. 2.* aliiſque. Siciliam dein Imperator ſibi ſubjicere cogitans, à Legatis retentus Irenes pacemque ac nuptias pro bello amplexus eſt. Obierat enim præt. anno Luitgardis, tertia Caroli uxor, ideoque haud inconſultum videbatur, Imperii utriuſque opes connubio Principum copulari: eratque Irene ſatis ad id propenſa, ſed Aëtius ſpado tanti momenti negotium diſſipavit, anno ipſo Seculi hujus ultimo, C. 800. ad quem V. de ſtatu

ſtatu Eccleſiæ Rom. à tempore Concilii Nicæni I. uſque ad finem hujus ſeculi, de differentia it. ejusdem Eccleſiæ ab hodierna Romana, circa *Litanias, electionem Epiſcoporum, numerum Sacramentorum, Euchariſtiam aliaque*, Joh. le Sueur *ſub fin. Sec. VIII.* in cujus, ut & Seculi IX. quod cum Deo jam ordimur, collimitio, adnotamus verbo, ignorantiæ tenebris ita immerſum tum Clerum fuiſſe, ut in ordinando Epiſcopo non doctrina quædam exquiſitior, & in ſacris Literis ſubactum judicium, ſed peritia modò cantandi *Orationem Dominicam, Symbolum* & *Pſalterium, Computumque* recitandi fuerit requiſita, unde *nihil mirum, craſſam ignorantiam occupâſſe plebes. Religio tota converſa erat in ſuperſtitiones*, Mezeræus *Hiſtor. Gall. Tom. I. in Carolo M.* Ipſa certè *religionis circa ea tempora prora & puppis, in propagando Papæ ſuprematu, imaginum & Sanctorum venerationi, cantionibus, Miſſarum ſolemnibus, conſecrationibus, oblationibus, orationibus apud ſtatuas, imagines, reliquias, Feſtorum obſervantia, Templorum ornatu, cælibatu Sacerdotum, votis Monachorum aliiſque oculiferiis meris conſtituta eſt. Sigillatim autem circa id tempus Miſſæ ſolitariæ ſeu privatæ, lex abſtinendi à certis cibis — novæ peregrinationes inſtitutæ ad Eccleſias, noviter conſtructas, qualis in Gallæciam ad Iacobum Majorem, hoc potiſſimùm tempore repertum Compoſtellæ, Carolo M. Eccleſiam illam privilegiis donante : Iuramentum Epiſcoporum, quo ſe erga Romanam Sedem obſtrinxerunt, præeunte Bonifacio in formula Tomis Conciliorum inſertâ apices dignitatum in Eccleſia, quales ſunt Abbatum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, diribitore Papâ : ritus* ἀποθεώσεως *à Leone III. divinos honores Guiberto Epiſc. Verdenſi decernente, (quam primam canonizationem ſe legiſſe Bellarminus l. 1. de Sanct. Beat.*

Beat. fatetur) originem ſumpſerunt. Et hæc omnia Eccleſia Romana Eccleſiis aliis — cum primis iis, quæ ad Chriſtum recèns converſæ ſunt, obtrudere primas inter curas, nihil non in hiſce indulgente Carolo, habuit, Heideggerus ubi ſuprà *num. 49.* Adde mores ſeculi, in Cœnobiis quoque verſantium, corruptiſſimos, cujus pravitatis ſpecimen memorabile de Monachis S. Martini Turonenſ. ex Nicolao Ægidio, idem le Sueur adfert *dict. loc.* Hiſce vitiis mederi adniſus Synodis pluribus paſſim actis Cæſar, in ſingulis Monaſteriis & Epiſcopiis, Scholas eſſe juſſit, utque Fides catholica *de S. Trinitate, Oratio* it. *Dominica & Symbolum Fidei*, in ſacris cœtibus explicaretur & populo inculcaretur, mandavit, uti ex *Can. 29.* Synodi Francofurt. diſcimus; ſed nec omittendum, ab eo, quòd Carolus Romæ coronatus eſt, *morem inoleviſſe, ut Imperatores Occidentis ab Rom. Pontificibus acciperent coronas, atque ex eâ ſolennitate Auguſti in Italia haberentur, cùm Romæ jam à multis annis, à quo de Imaginibus diſceptatum, perexigua aut nulla Græci Imperatoris reverentia eſſet,* Cluverus *in Carolo M.* cujus ſucceſſorum ſeriem in poſterum ſequemur. Diximus ſuprà de ſpe nuptiarum Caroli cum Irene, quam præcidit mox Aëtius, per Irenes nuptias, Leonem Thraciæ ac Macedoniæ D. fratrem ſuum, rerum in Oriente potiri cupiens, an C. 801. verùm ægrotante fortè Irene, Optimatũ aliqui perſuadent legionibus, Auguſtam deſtinâſſe Imperio Nicephorum Logothetam, ut importunis Aëtii ſolicitationibus liberetur, quibus milites fidem habentes, Nicephorum Imp. conſalutârunt, ſicq; dimota à gubernaculis mulier, in Lesbum Inſ. relegata eſt an. C. 802. Cum Nicephoro dein de *Imperatoris* titulo & *Imperii utriuſque limitibus*, eâ lege, ut Veneti liberi eſſent, Carolo Imp. convenit,

convenit, anno C. 803. poſt quæ Leſcum II. Polon. R. cæcidit, Saxoneſque in Galliam, unde *Brabantini* & *Flamingi* orti, tranſtulit, anno Chr. 804. quo ipſo Stauratium fil. collegam Imperii adſcivit Nicephorus. *Textus Dominicales* porrò ordinavit Carolus, qua de re ſic Hornius: *Evangelia & Epiſtolas operâ Pauli Diaconi ordinavit bono animo, ſed malo ſucceſſu. Quippe ab eo tempore lectio ſacrarum Literarum adeò eviluit, ut plurimi etiam Biblia eſſe ignorarent. His Evangeliis Alcuinus Homilias ex Patribus adjunxit, quæ, cùm poſt textus illos Biblicos legerentur, Poſtillæ fuerunt appellatæ, Hiſtor. Eccleſ. N. T. Periodo II. art. 2. num. 4.* Circa quod tempus, CPoli, Synodo coactâ Syncretiſmus cum Eccleſia Rom. conſtitutus repugnanteſque excommunicati: Helmſtadium verò in Germania, contra Vandalos, à Carolo conditum eſt. Dum Nicephorus, bello contra Aaronem infelix, Irenes exemplo, CCC. ei millia numiſmatum obtulit annua, terna quoque pro ſe filioque, pactus, anno Chr. 806. ſed mox, contempto fœdere, irritavit in Cyprum Saracenos, à quibus templa ejus inſulæ diruta, ac Chriſtiani ejecti ſunt, anno Chr. 807. Pacem poſt iſta cum Leſco III. Polon. R. pactus Cæſar, Dreſdam contra Bohemos condidit, anno Chr. 808. uti Hamburgum, contra Danos; dum, in Italia, Pipinus Grimoaldum Beneventanum compeſcuit: apud Saracenos verò Imin patri Aaroni ſucceſſit, an. C. 809. Inde Danos Friſiâ depulit Carolus: Pipinuſque Saracenos ex Sardinia & Calabria ejecit, at à Venetis victus eſt. Quo tempore in Dania Gormonis, de quo incredibilia narrantur, fil. Gotricus floruit, anno C. 810. Slavos deinde in Pannonia Carolus domuit, in Italia, Pipinus, primogenitus ejus obiit,

in Ita-

in Italiæ Regno, Bernhardo fil. ſucceſſore. In Imperio Byzantino, Nicephoro I. intercmpto, Michaël I. Curopalates ſororis ejus Procopiæ maritus ſurrogatus eſt, anno C. 811. Sequenti tempore Liturgiam ſeu Officium Gregorianum ſeu Romanum, pro Ambroſiano, in Eccleſias Galliæ introduxit Carolus, anno C. 812. (quo ipſo Alphonſus Caſtus in Hiſpania, contra Saracenos, ſtrenuè rem geſſit) ac Ludovicum minimum natu fil. Imperatorem creavit: cùm apud Byzantinos Michaëlem Leo V. Armenius, apud Saracenos autem Iminem trucidatum excepiſſet Maimon Amiras Babylonius, vir eruditus, anno Chr. 813. Deceſſit tandem Carolus, dignus meliori ævo Imperator, maximâ bonorum parte Eccleſiaſticis & pauperibus teſtamento legatâ, & Baſilicæ quidem Vaticanæ, menſâ argenteâ, quæ Conſtantinopolis deſcriptionem, Ravennati Eccleſiæ alterâ, quæ Romæ urbis effigiem exprimebat, deſtinatâ, anno C. 814. à Friderico dein I. Imp. Alexandri III. auctoritate ſubnixo, conſecratus, Eginhardus *de Vita & Geſtis Caroli*, Sigonius *de Regno Italiæ l.* 3. & 4. Alii. Illo mortuo, Leo ab æmulis impetitus, eorum quoſdam neci dedit, miſſiſque Legatis ad Ludovicum Pium, facti rationem exhibuit, anno C. 815. à quo Bernhardo in mandatis datum, ut de re cognoſceret ſeditioſoſque puniret, qui Romanos, quòd decumbente Leone prædia ejus cremâſſent, armatâ vi ad obedientiam redegit: Leone paulò pòſt extincto, anno Ch. 816. Sedis anno 20. m. 5. d. 17. ut Turſellinus habet, Ludovici I. Pii Imp. anno 3. (*n*) ingenti literatorum fautore, (*o*) in illis ævi tenebris, ſed paulò rigidiore, de quo V. plura, apud Eginhardum *d. l.* Adhemarum *in Ludovico Pio*, Adelmum

Annal.

Annal. Adonem Vienn. *Chron.* Aimoinum *de Geſtis Francor. l.* 4. Anaſtaſium, Platinam, cœterosq; *Pontificiæ Hiſtoriæ* conditores, Baronium *Annal.* Alios.

(*q*) Sedente eo, *CPoli* Plato Abbas Taraſium Patr. excommunicavit, quòd in repudium Mariæ Imperatricis conſenſiſſet: quare irritatus Conſtantinus, Abbate in vincula conjecto, Monachos omnes exilio mulctavit, ann. C. 796. ob admiſſum dein in Eccleſiam ſine pœnitentia excommunicatum alium, Theodorus Studita turbas dedit, ann. C. 806. Poſt quæ Imaginum, quas in Eccleſiam Irene invexerat, controverſia, ſub Leone V. recruduit, qui illas de templis iterum tolli imperavit, Nicephorumque Patr. ſibi adverſantem exulatum miſit Proconneſum, Theodoto ſuffecto. Animum ei ad iſta Protopſaltes addiderat, prolatis Eſajæ verbis, *Cui aſſimilabitis Dominum, quam imaginem affingetis ei?* an. C. 615. V. Leonem Grammaticum *Leone Armeno.* Qui verò *Hieroſolymis* præerat, Patriarcham à Carolo M. per Legatos, quos ad Aaronem Saracenum miſerat, ingentia dona accepiſſe, S. Sepulchro conſecranda, eique viciſſim hujus claves cum vexillo miſiſſe, an. C. 800. apud Rheginonem legas. De perſecutione ejuſdem Aaronis, qui Chriſtianos pepulit ex Aſia, vidimus aliquid. Manichæis Hæreticis, qui & *Pauliciani* vocabantur, & *Athingani*, amicum ac defenſorem Nicephorum I. Logoth. obtigiſſe, refert Landulphus Sagax, qui *Miſcellas* Diaconi pertexuit: de quibus aliisque plura apud Auctores ſuprà dictos, uti *de LL. Eccleſiaſticis* inprimis ſeu *Capitularibus Caroli M.* apud Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccleſ. num.* 192. & *ſeqq.*

XXXIV. STEPHANUS (r) V.

Præſul ut Auſoniæ (ſ) factus ſum rite (t) cathédræ,
Remis auguſtâ fronde (u) corono Pium.
Inde redux (x) præſum, at paucos poſt gloria menſes (y),
Quanta priùs fuerat, funere tanta ruit (z).

ENARRATIO.

(r) ROmanus gente, Leoni d. 12. Jun. defuncto, decendio pòſt *(ſ)* ſurrogatus eſt, die 22. nempe ejusdem menſis, ann. Chr. 816. præf. *contra Legem*, ut Aimoinus loquitur, *electus & ordinatus*, non exſpectato ſc. Imperatoris juſſu. Quare *(t)* errorem mox emendaturus, *omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico juſſit*, Vid. eum *libr.* 4. Maximis dein itineribus *(u)* ad Ludovicum contendit, exquiſitisque exceptus honoribus, diademate eum inſignivit Remis, jam tertium imperantem annum: & Leoni Byzantino fœderi innexum, quemadmodum deceſſor quoque hujus Michaël cum Carolo & Leone Pap. amicitiam junxerat. Cum Ludovico verò, & Irmengardin conjugem ejus, coronavit Stephanus, atque inde *(x)* Romam reverſus, anno eodem, *(y)* paulò pòſt obiit die 25. Januar. anni Chriſti 817. Sedis m. 7. d. 3. Ludovici I. Pii Imper. ann. 4. Ejus ſanctio *D. 69. C. quia ſancta*

ſancta 28. hæc exſtat: *Vt Pontifex convenientibus Epiſcopis & univerſo Clero eligatur, præſente Senatu & Populo; utque ſic electus ab omnibus præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur.* Cui tamen pondus non fuiſſe, in electione ſucceſſoris, mox videbimus: plura de eo apud Thegan. *de Geſtis Ludovici Imp. capp. 16. 17. 18.* Baronium *ad ann. Chr. 816. n. 96. 98. 100.* Anaſtaſium, Platinam, Alios. (z) Eo Rom. Eccleſiam, *CPolitanam* adhuc Theodotus regebat, &c.

XXXV. PASCHALIS (a) I.

Me domino (b) *excuſo, me purgo,* (c) *damno*
Leonem (d),
Expulit è templis (e) *qui ſimulachra ſuis.*
Fœta ſuperſtitio eſt, pro Sancto (f) *Cæſar*
habetur,
Dante nepos (g) *cujus me diadema capit* (h).

ENARRATIO.

(*a*) ROmâ itidem oriundus, in Stephani locum ſuffectus, d. 27. Jan. anni Ch. 817. præf. (*b*) excuſavit ſe Ludovico Imp. per nuntios, de apice, ipſo inſcio, ſumpto, Cleri & populi impetum cauſatus: cui veniam quidem dedit Cæſar, monuit tamen Romanos, *ne deinceps Majeſtatem læderent, & Majorum ut ſtatuta in Pontifice creando ſervarent,* Platina, Gaguin. Æmilius, & Auctor *Vitæ Ludovici* à Pithœo editæ. Ludovicus tunc, ruentis Aquisgrani porticus

porticus impetu proſtratus, mortis adierat periculum; è quo vulnere recreatus, dum Sclaomirum Abotritorum R. ob defectionem caſtigare parat bello, audit Bernhardum in Italia, obſtructis Alpibus, res moliri novas, anno eod. Bernhardus autem mox deſeritur à ſuis ſeque patruo infeſtis cum copiis venienti tradit: acto Concilio, ſeditionis auctores, qui Laici eſſent, oculorum, Clerici dignitatis damnantur; quam pœnam non ferens Bernhardus paucis diebus deceſſit, ingemiſcente poſtmodum præcipiti ſententiâ Ludovico, anno C. 818. (*c*) Apud eundem quo pacto ſe purgare Paſchalis coactus ſit, poſtea dicemus. Interea Pontifex, Legatis in Orientem miſſis, Imaginum cultum ibi labantem utcunque ſuffulcire conatus, cùm fruſtra ſe eſſe videret, anathemate (*d*) Leonem Imp. quem (*e*) amoveri imagines juſſiſſe diximus, ferit, Græciſque ob iconolatriam exulibus perfugium præbuit, anno Ch. 819. Poſt quæ, Leonem, in templo pſallentium choro immixtum, ac cum reliquis Deo cantantem, adorti conjurati interficiunt ac Michaëlem II. Balbum è carcere ad Imperium protrudunt. Uxor Leonis & quatuor filii, demptis partibus, queis viri ſumus, exilio deportati, atrocis exemplum vindictæ Dei, quòd Manichæis multum detuliſſet Imperator: *ſi vera ſunt, quæ Zonaras & Cedrenus furibundi cultu imaginum impingunt crimina defuncto. Sed profundior cœleſtium abyſſus judiciorum eſt, quàm ut eorum ſemper ratio nobis homunculis conſtet*, Joh. Cluverus *in Ludovico Pio*. Sic throno conſcenſo Michaël, Nicephoro Patr. imaginum reſtitutionem poſtulanti reſcripſit, *ſe neque ullum decretum de fide convellere, neque, quæ recepta jam uſu eſſent, revocare velle, per ſe ſuo cuique judicio de reli-*

 gione

gione uti licere : poſtmodum verò, ut firmiores res nactus eſt, laxavit animum, Sigonius *l. 4. ad ann. Chr. 821.* Quo ipſo tempore Claudius Taurinenſis Epiſ. vir inſignis, aulicus antè Cæſaris concionator, *Subalpinas gentes Imaginum cultui immodicè deditas videns, cunctas Baſilicas ſuæ diœceſeos picturis atque imaginibus nudavit* : reprehenſusque à Theodomiro Monachorum Præfecto, *Apologeticum* conſcripſit, cui reſpondit Jonas Epiſc. Aurelian. Joh. Lætus *in Ludovico I.* Dum à Normannis vexatur Imperator, anno C. 820. Paſchalis inde S. Cæciliæ corpus inveniſſe dicitur, anno Chr. 821. poſtea Lotharium, primogenitum Ludovici, nepotem Caroli M. quem (*f*) Sanctis adnumeratum in ſeqq. dicemus, poſtquam nuptias celebrâſſet, à patre (*g*) Regem creatum, diademate ornavit, ipſo Paſchatis die : circa quæ Ludovicus Liudevi.um Slavum rebellem Pannoniâ fugavit. Apud Byzantinos verò, Michaëlem aggreſſus Thomas, fœderatorum legionis Tribunus, bellorum felix, Oriente toto in poteſtatem redacto, coërcitisque Agarenis tumidus, terrâ marique vicit & magnâ vi oppugnavit CPolim, anno Chr. 822. Sub quæ Paſchali, quòd Primicerium & Nomenclatorem, fideles Imperatoris miniſtros, excæcârit occideritque, crimen imputatum, qui, ab Imperatore ad cauſam dicendam adactus, Leonis exemplo, juramento ſe purgavit. Dum apud Byzantinos, Thomas à Bulgaris primùm, dein ab ipſo Michaële, profligatus captusque, miſerabili periit cruciatu : Ex Hiſpania Saraceni Cretam invaſerunt, ductique ejus inſulæ fertilitate, ſedes in ea Achapſo duce poſuerunt : In Anglia, Egbertus à Danis miſerè vexatus : In Polonia, Popielus R. poſt patruos necatos, à muribus devoratus eſt. At Ludovicus, exci-

excitatâ Corbejenſi in Cœnobio ſcholâ, bonas literas juſſit propagari, Canonicisque vitæ ac laborum præſcripſit normam, anno Ch. 823. ad quem Adelmum V. in *Annal.* Paulò pòſt obiit Paſchalis d. 12. Mai ann. C. 824. Sedis ann. 7. m. 3. d. 16. Ludovici Pii Imp. anno 11. de quo plura apud Aimoinum *de Geſtis Francor. L. 4. c. 105.* Sigonium *de Regno Ital. l. 4.* Anaſtaſium Bibl. Platinam, cœterosque in *Vitis* Pontificum, Alios. (*h*) Illo ſedente, *CPoli* quid actum, diximus. Præter Claudium Taurin. floruit Paulinus Aquilejenſis Præſul, circa annum Ch. 823. Michaël verò Balbus, *reſurrectionem carnis repudiâſſe & jusjurandum, Dæmonesque eſſe, negâſſe,* dicitur Sigonio *d. l.*

XXXVI. EUGENIUS (i) II.

Paſchalis poſt fata (k) *vacat dum præſide cymba,*
Lis inter binos (l) *ambitioſa fuit.*
Conſcendo (m) *hanc, mihi ſed ſe opponit Zinzimus* (n) *: aſt is,*
Auguſti admonitu cedere (o) *juſſus, abit* (p).

ENARRATIO.

(*i*) ROmanus & ipſe, non ſine rixa, Pontificatum adeptus eſt, d. 19. Mai ann. C. 824. Ludovici I. Pii Imp. 11. (*k*) Paſchalis etenim obitus, locum fecerat novis Romanorum diſſidiis, (*l*) unâ parte (*m*) Eugenium, alterâ (*n*) Zinzimum, promotum euntibus. Cui *Schiſmati,* quod XI. componendo miſſus à Ludovico Lotharius fil. *ſtatum Reip.*

quem ſuperiorum Pontificum ambitio immodica, inſatiabilis avaritia, verſutiaque improba conturbârat, compoſuit, intercepta direptaque fraude à Flaminibus antiquis poſſeſſoribus reddidit, Aventinus *Annal. Boj. l.* 4. ac (*o*) Zinzimo ſummoto, Eugenium in Sede confirmavit. Mox Michaël II. & Theophilus fil. Orientis Impp. miſſis ad Ludovicum Pium & Lotharium fil. Occidentis Impp. *de Imaginum controverſia & Nicæna Synodo II.* conſilium expetierunt, rogâruntque, ut interventu ſuo Legationem ad Papam, ejusdem negotii causâ deſtinatam, redderent magis favorabilem. Dum Ludovicus, in caſtigandis Eccleſiaſticis acer, videns cingula auro gemmisque radiantia, exquiſitasque veſtes ac calcaria Clericorum præcipuos onerare, *monſtro ſimile ducebat, adſpirare ad ſecularis gloriæ ornamenta, qui Chriſti ſe profitentur Legatos*, anno eod. V. Aimoinum *l.* 5. *c.* 11. 12. Sequuta Synodus Pariſienſis, juſſu Imperatoris coacta, ad petitionem Legatorum Orientis, in qua *Imagines habendas ad memoriam, non verò adorandas*, concluſum. De Nicæna autem Synodo, & quæ eam ſequuta, ad Ludovicum unanimi ſententia Patres ſic ſcribunt: *Nicænam Synodum cùm Sanctæ memoriæ genitor veſter coram ſe ſuisque perlegi feciſſet, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendiſſet, & quædam capitula, quæ reprehenſioni patebant, prænotâſſet, atque per Angilbertum Abbatem Adriano Papæ direxiſſet, ut ab illius judicio & auctoritate corrigerentur. Ipſe rurſus favendo illis, qui ejus inſtinctu tam ſuperſtitioſa, tamque incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant, per ſingula capita in illorum excuſationem reſpondere, quæ voluit, non tamen, quæ decuit, conatus eſt. Talia quippe quædam ſunt, quæ in illorum objectionem oppoſuit, quæ, remotâ Pontificali auctoritate,*

ctoritate, & veritati & auctoritati refragantur. Quare Imperatores collecta à Theologis contra Imaginum cultum teſtimonia vett. Patrum, ad Eugenium, per Hieremiam Senon. & Jonam Aurelian. Epiſcopos transmiſerunt, addito mandato, *ut patienter & modeſtè cum eo de hac cauſa diſputarent, ne nimis reſiſtendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellerent.* Verùm Eugenius ea de re parùm ſolicitus, rogantibus Imperatoribus, teſtimonium è S. Scriptura, quo Imaginum adoratio conſtaret, ſibi proferri, *arrogantes eſſe, qui talia ſciſcitarentur,* reſpondit, V. Heideggerum ubi ſuprà, *n. 53.* quo pacto tanti momenti negotiatio ſucceſſu caruit. Interea, Michaël Imp. in adoratores Imaginum rigidior eſſe, *& alios ſuppliciis, alios carcere, alios exilio affligere* cœpit: Methodium Patr. relegavit, Euthymium Sardenſem Epiſc. flagris cæſum quoque necavit, uti quidem de eo ſcribunt Zonaras, Cedrenus, Alii. Dum in Hiſpania, Ranimirus I. Veremundi fil. Aſturiæ poſt Alphonſum Caſtum Rex, Maurorum 60. m. cæcidit, anno C. 825. Rodericus Tolet. *de Rebus Hiſpan. l. 4. c. 13.* quo ipſo Haraldum Danum, cum Proceribus ſuis, baptizatum ab Ansgario. docet Cl. Megerlinus, ex Olao Wormio *Monum. Danic. lib. 5.* Saxone Gramm. *Hiſtor. Dan. l. 9.* Aliis: Cluverius verò refert ad ann. ſequ. ubi, *Ludovicus interim gratulabundus excepit Ebbonem Remorum Arch. qui publico conſilio ad Danos, Chriſtianâ fide imbuendos, profectus, effecerat, ut Haraldus — cum magna Danorum multitudine Chriſtianiſmo initiaretur Moguntiæ ejus ſeculi* XXVI. A quo Haraldi æmulum Regnerum Imperator hoſtem accepit, Ubbo Emmius *Hiſtor. Friſ.* Haraldus verò victus pro regno Friſiam, velut religionis auctoramen-

 tum:

tum: qui tamen, ut præcipuum inchoatæ pietatis ſpecimen, ita primum neglectæ ſpectaculum fuit, ut apud Saxonem videre eſt *d. l.* Poſt quæ è vita migravit Eugenius d. 1.Aug. ann.C.827. Sedis anno 3. m. 2. d. 19. Ludovici I. Pii ann. 14. de quo V. pluribus Platinam, Ciaconium cœteroſque in *Vita* ejus, Baronium, *ann. C.* 824. 25.27. Alios. (*p*) Illius tempore, *CPoli*, Methodius Patr. à Michaële II. relegatus eſt, ann. C. 825 ut vidimus. Dania & Suecia ab Anſgario Gallo, Mon. Corbejenſi, Fidei Chriſtianæ initia hauſit, circa idem fere tempus. Floruere porrò, Rabanus Maurus Alcuini diſcip. Abbas Fuldenſis factus, ann.C.824. & Fridericus Ultrajectinus Epiſc. qui Friſiam ab Arii dogmate vindicavit, à Juditha Ludovici Imp. conjuge, in cujus mores liberiùs invectus fuerat, per ſicarios ad ipſum altare occiſus, *Chron.* Ultrajectinum, &c.

XXXVII. VALENTINUS (q).

Primus ego pedibus (r) *paſſus figi oſcula, Petro*
Viſus eram diſcors diſsimilisq́; (ſ) *ſatis.*
Verùm quæ invidia eſt rei: poſt tempora (t) *pauca,*
Antipode à Petro mittor (u) *ad Antipodas* (x).

ENARRATIO.

(*q*) EX eadem gente, Eugenium excepit, electus d. 12. Aug. an. C. 827. Ludovici I. Imp. 14. cujus ad Lateranenſe Patriarchium deducti (*r*) *pedes omnis Roma-*

Romanorum Senatus oſculatus eſt, Anaſtaſius Bibl. *in Eo*: cùm (*ſ*) Petrum Apoſt. Cornelio Centurioni, *qui accidens ad ejus pedes adoravit*, Actor. c. 10. v. 25. reſpondiſſe legamus, *Surge, & ego ipſe homo ſum*, v. ſequ. Unde *oſculi pedum*, à citerioris ævi Pontificibus admiſſi, originem à Valentino arceſſunt plerique: ſed jam ejus veſtigium in præcedd. deprehenſum. (*t*) Ipſe certè hujus Ordinis Ampliſſimi ſubmiſſioni non diu ſuperſtes, quadrageſimo ab electione die (*u*) deceſſit, viz. d. 21. Sept. anni præfati: de quo plura apud *Pontificiæ Hiſtoriæ* conditores, Baronium *Annal*. Alios: (*x*) uti *de Pedum oſculo* Imperatoribus olim, ab omnis generis hominibus, ipſis quoque Epiſcopis, exhibito; poſtmodum ad Epiſcopos etiam & Patriarchas, translato; tandem, anno 164. poſt extinctam Caroli M. in Germania ſtirpem, à Gregorio VII. ſoli Epiſcopo Romano vindicato: porrò de phraſi, *venerari* vel *oſculari veſtigia*, à Gregorio I. erga Mauritium Imp. anno C. 593. & Agathone, erga Conſtantinum Pogon. ann. C. 681. in literis vel per Legatos, uſurpata, apud Joh. le Sueur *Hiſtor. Eccleſ. in Vita Juſtiniani I. Imp.* & *Vigilii P.* ad ann. C. 549. & 550.

XXXVIII. GREGORIUS (y) IV.

Omnibus inſtituo Sanctis (z) *nova feſta, duellū*
Carolidûm (a) *ambiguâ mente fovere* (b) *feror.*
Intereà florent clariſſima nomina (c) *paſſim,*
Et nova ſunt pictis regna (d) *parata Diis.*

ENARRATIO.

(*y*) ROmanus, fil. Johannis, Valentino ſurrogatus eſt, d. 24. Septembr. anno Ch. 827. Ludovici I. Pii 14. (*z*) Feſti *omnium SS. auctor*, ut infrà dicemus: quo ipſo Egbrechtus, ſ. Egbertus, Weſt-Saxonum Anglorum R. totâ potitus inſulâ *Angliæ Regis* nomen accepit, Guilielmus Malmesbur. *de Geſtis Reg. Angl. l. 2. c. 1.* Lotharius dein, Italiæ R., cùm Itali adjuvare partes ſuas contra patrem nollent, à Saracenis regnum diripi, paſſus eſt: qui Siciliam quoque occupârunt, à quodam Euphemio, quem ob monachæ amorem capite punire Prætor ejus inſulæ voluerat, proditam. Iidem Calabriam Apuliamque vaſtârunt, anno Chr. 828. Cedrenus *Hiſtor.* Sigonius *l. 4.* & Zonaras. Poſt quæ, apud Byzantinos, Theophilus Balbo patri ſucceſſit, qui mirâ juſtitiâ, parricidas Leonis Armenii ſupplicio, Petronamque uxoris ſuæ Theodoræ fratrem, ob injuriam viduæ, verberibus affecit. In Italia verò Lotharius etiam Pontificem à Saracenis vexari permiſit, anno C. 829. Sigonius *d. l.* Idem Theophilus, uxoris navem mercimoniis onuſtam allato igni incendit, exclamans, *Imperatorem ſe à Deo conſtitutum, quem uxor nauclerum & inſtitorem conaretur facere.* Imaginumque venerationem deteſtatus, Lazaro Mon. iis pingendis dedito, digitos aduſſit, *ne opera ejus digitorum ſtulti colerent mortales:* quos autem in earum veneratione perſeverare animadvertit, eos partim exilio, partim morte multavit. Nec tamen ſocrui & uxori eas excutere potuit, quæ filiolos eas oſculari clam docebant, donec infantulus balbutiens, *aviam in ciſtella pulchras habere puppas*, patri diceret; Vid. M. Chemnitium *Exam. de Imagin.*

Imagin. ex Sigonio & Zonara, anno Chr. 830. ad quem etiam Friderici Ultraj. Epiſc. de quo ſuprà, cædem referunt. Ipſe verò meliori ſtudio melodiis vacavit componendis Theophilus, ac contra Arabas rem geſſit. Circa quæ (*a*) conſpiratio filiorum contra Ludovicum Imp. inita, non deſiſtente Tartareo hoſte ſe oppugnantem oppugnare & per membra ſua Chriſti amicum laceſſere. Nempe Lothario, Pipino & Ludovico, ex Irmengarde ſuſceptis, videbatur in Carolum Calvum, quem Juditha ipſi pepererat, propenſior: accedebant Judithæ mores, & cum Bernhardo Barcinonenſi ſuſpecta familiaritas. Itaque Ludovicus à Gallis penè deſertus, amandat è palatio Juditham, atque ipſe cœnobio ſe mancipat: ſed adventu Germanorum pacata omnia. Dum in Hiſpania Sanctius Suprarbiæ R. à Mauris victus occubuit: apud Saracenos verò Mutetza Maimoni (cujus juſſu Almageſtum Ptolemæi Arabicè verſum) ſucceſſit, ann.C. 831.832. Recrudeſcente mox inter Ludovicum filiosque diſſidio, hi ſcelerata ſumpſerunt arma, quibus patrem ad deponendum Imperium adigerent.(*b*) *Adſciſcitur in conſortium Gregorius IV. Papa, ordinari olim vetitus à Ludovico, donec Legatus Cæſareus electionem ejus examinatam probâſſet*, Cluverus *d.l.* Hunc cùm in Galliam venire, ut Ludovicum Patrem excommunicaret, fama tuliſſet, qui à partibus Ludovici ſtabant Epiſcopi, *Nullo modo ſe ejus voluntati velle ſuccumbere, ſed, ſi excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret, cùm aliter ſe habeat antiquorum Canonum auctoritas*, reſponderunt. Tandem, *utraque acie prope Baſileam conſiſtente, Pontifex ſubdolo ad Ludovicum tranſitu, tanquam reconciliaturus patri filios, prælium anteverrit — Extractâ dein per aliquot dies conſul-*

 tatione,

tatione, promiſsis interim aut minis traducitur Cæſaris ad filios exercitus. Ludovicus in periculo conſtitutus, quum ſe honorificè putaret habendum à filiis, procedit ad caſtra eorum & cuſtodiæ mancipatur, Idem Cluverus ubi ſuprà. Voluiſſe verò hoc pacto Lotharium ſibi devincire Gregorium, adnotat Heideggerus *l. cit. n. 54.* Circa quæ tempora Saraceni, à Raimiro in Hiſpania, & Theophilo in Aſia, gravi clade ſunt attriti; in Scotia, Alpinus prælio cum Pictis occubuit, caputque, haſtæ affixum, ignominiosè circumlatum eſt, apud Buchananum *Hiſtor. Scot.* anno Chr. 833. At Ludovicus, poſt cuſtodiam ſex menſium, conſilio & ope ſuorum dignitatem facilè recuperavit, conſultoresque Lotharii (inter quos Epiſcopòrum non pauci) intra 9. hebdomadas periiſſe omnes vidit, aut gradu motos in exilium abiiſſe. Theodulphus tamen Floriacenſis Epiſc. cantato Cæſari carmine, non veniam ſolùm, ſed & Aurelianenſem Epiſcopen poſtea conſecutus eſt. Interea Theophilus Sozopetrâ Syriæ, Amiræ patriâ, captâ, 25. m. captivorum abduxit, anno Ch. 834. Poſt quæ Gregorius *Feſtum omnium SS.* inſtituit, de quo jam aliquid diximus ſuprà, in *Bonifacio IV.* Carolusque etiam Magnus *pro Sancto adorari* cœpit, ann. C. 835. Joh. Lætus *in Ludovico I.* Sequuta Aquisgrani Synodus, juſſu Imperatoris, quâ Leges multæ latæ, *Regula Clericorum* dictæ. Ab Imperatore etiam, *Saxoni cuidam, viro docto, injunctum, S. Scripturam Germanicè transferret carmine, quò & idiotæ eam diſcere poſſent,* Flacius *Catal. Teſtium Ver.* In eadem Synodo, *Chriſtianiſsimi* titulum accepit Ludovicus, Pap. Maſſonius in *Vita* ejus. Quo tempore, Regnerus, trium Septentrionis regnorum Rex, ob Haraldum illi iratus, provincias Chriſtianas crudeliter devaſtavit,

Ubbo

Ubbo Emmius *Hiſtor. Friſ.* in Anglia, Egbertus ſubditis, ad pellendos penitùs Danos, tributum *Dangielum* impoſuit, anno Chr. 836. Polydorus Virg. *l. 5.* Normannos inde, à Regnero Friſiæ immiſſos & Antverpiâ crematâ feroces, in fugam Imperator conjecit, anno Chr. 837. ad quem Sigebertum vide. In Scotia, Kennetus M. ignominiam & cædem patris Alpini, internecione fere Pictorum, ultus eſt, anno Chr. 838. Buchananus *Rerum Scotic. l. 6.* Pipinus verò patri pœnas pependit, præcoci leto merſus, præcedente ejus mortem minaci cometæ ſigno: quod Imperator conſpicatus, cùm à quodam, quid ſidus illud portenderet, percunctatus, reſponſum ferret, *A ſignis cœli nolite timere, quæ pavent gentes: Bene*, inquit, *illum timemus ſolum, qui nos & iſta creat. Sed & clementiam ejus veneremur, qui noſtram inertiam talibus admonere dignatur judiciis*, apud Auctorem *Annalium rer. geſt. Ludovici, anno Chriſti 809.* Ipſe, diviſo inter filios Imperio, brevi pòſt, deliquio Solis maximo præcedente, defunctus, 2. Kalend. Jul. anno Chr. 840. cujus funus Drogo frater Epiſc. Metenſis maximo honore Metis ſepeliendum curavit. Succeſſit ei Lotharius I. filius, qui cùm Carolo & Ludovico non ut fratribus conſulere, ſed ut Imperator dominari, vellet, nec arbitris decerni litem pateretur, ab iis cruentiſſimo prælio, quo flos Regni Francorum decuſſus, victus eſt. Dum in Byzantino Imper. Theophilo ſucceſſit Michaël III. filius cum matre Theodora, apud Saracenos Mutetzæ vel Muctramo patri Aaron, anno Chriſti 841. Interim Lotharius regerere cladem avidus pellitur denuo Germaniâ, ac Ludovicus Caroluſque Galliam & Germaniam dividunt pro tempore: donec placati fratris

 legatio-

legationibus, ex æquo regiones partiti ſunt, Aimoinus *l. 5. c. 19.* P. Æmilius *l. 3.* & Sigonius *de Regno Ital. lib. 4.* In Oriente, poſt Leonem, Michaëlem & Theophilum, imaginum hoſtes, ut ſuprà viſum, Theodora de gente orta Paphlagonum (unde prima Imaginum in Sacris origo) ut erat imaginum venerationi dedita ab incunabulis, ita poſt mariti obitum laxatis ingenii habenis pergebat. Itaque reſcindere acta Theophili, Joh. Syncellum, virum eruditiſſimum, dejicere Epiſcopatu CPolitano, Manueli Imperii tutori per Monachos eadem inſtillare, Methodiumque ſibi aſſentantem in thronum Patriarchalem revehere, anno Chr. 842. Zonaras *Tom. 3.* Cedrenus, Alii; & 843. quo deceſſit Gregorius d. 25. Januar. Sedis ann. 15. m. 4. d. 1. Lotharii I. Imp. anno 3. de quo Vid. plura apud Auctorem *Vitæ* Ludovici apud Pithœum *p. 745.* Theganum *de Geſtis Ludovici cap. inprimis* 42. Aimoinum *lib. 5. c. 14.* & 16. Flodoardum *Hiſtor. Rhem.* Sigebertum, Adonem *Chron.* Nithardum *Hiſtor. l. 1. p. 304.* Anaſtaſium, Ciaconium, Platinam, Alios, *in Eo:* Baronium *ad ann. C.* 827. 832. 835. & 843. &c. Illo Romana Sacra curante, *CPoli*, Johanne Syncello à Theodora dejecto, Methodius iterum præeſſe cœpit, ut diximus, anno C. 842. Cœterùm (c) floruere, præter Ansgarium Epiſc. Hamburg. & Rabanum Maurum Abbat. Fuld. de quibus ſuprà aliquid, Angelomus Mon. Nicetas, Luitbertus, Strabus diſcipulus Rabani & Gloſſæ Ordin. in Biblia collector, anno Chr. 840. Alii. De Statu Eccleſiæ ſub Impp. dictum: uti & (d) de Imaginum negotio.

De annis verò regiminis Gregorii IV. hic *in Sergio II.*

XXXIX.

XXXIX. SERGIUS (e) II.

Qui mihi ſufflamen poſuit, Johanne (f) *remoto,*
Paſtorem Oenotrium me fore mandat (g) *ebur:*
Quòd Buccæ-porci (h) *non gratum nomen haberem,*
Mox mihi Pontifici primus adapto (i) *novum* (k).

ENARRATIO.

(*e*) EX eadem gente, in locum Gregorii electus, d. 10. Febr. ann. Ch. 844. Lotharii Imp. anno 4. poſt diutinam contentionem (*f*) cum Johanne Diacono Eccleſiæ Rom. *hoc victo capeſſivit Papatum*, (*g*) *Lotharii Imp. ſuffragio firmatus*, Cluver. *in Lothario I.* (*h*) Illum, cùm antea *os porci* vocaretur, nominis deteſtatum fœditatem, (*i*) *Sergii* ſumpſiſſe vocabulum, hincque morem Papis nomina mutandi, initium habuiſſe, tradunt. Sed Sergio IV. nomen & familiam *Bucca-porci* fuiſſe, ſecundum verò, cùm *Petri* prænomen haberet, in honorem B. Apoſtoli hujus nominis, illud cum *Sergii* commutâſſe, refert Morerius *Dictionario Hiſtorico*, voce *Sergius* II. Hoc certum, primum hunc Pontificem, nomen mutâſſe, ex Martino Pol. *Chron. ad ann* 844. V. & Antonin. Flor. *Hiſtor Vol. 2. tit. 16. c. 1. §. 5.* Compilat. Chronol. *ad ann. Chr.* 841. Matth. Palmerium *Chron. ad ann. C.* 842. Suffridum Presb. *ad ann. C.* 841. Rolevvinck. *Faſcic. Temp. ad an. C.* 844. Fl. Blond in

Dec. 2. *l.* 2. *p.* 174. Polydorumque Virgil. *de Inv. rer. l.* 4. *c.* 10. Eodem anno, Ludovicus Germaniæ R. Abotritos defectionem molientes, interempto eorum Rege, bello perdomuit, terramque illorum per Duces adminiſtrandam ordinavit. Ludovicus verò Lotharii fil. à Patre Rex creatus Italiæ inſolentiùs ſe geſſit, Romamque veniens armatus ad coronationem, aditu templi inhibitus eſt à Sergio, donec *pacis & ſalutis Eccleſiæ causâ ſe veniſſe* dixiſſet, Æmilius *l.* 3. in Gallia, Carolus Calvus R. à Pipino adoleſcente patruele, cui Aquitaniam eripere tentabat, victus eſt: in Hiſpania, Ranimirus I. claſſem Normannorum incendit, Vaſæus *in Chron.* &c. Et hactenus quidem vulgarem calculum in Gregorii IV. & Sergii II. annis enarrandis ſequuti ſumus: alii verò illos aliter ordinant, & obitum Gregorii ac electionem Sergii non in annos 843. & 844. ſed in annos 840. & 841. rejiciunt. Certè *Gregorium IV. eodem tempore* cum Ludovico Pio *mortuum eſſe*, ait Wernerus Rolevvinck ſuprà citatus: & vetus *MS.* Germanicum Bibliothecæ Baſil. mortem Gregorii anno C. 840. diſertè aſſignat: eadem mens fuit Platinæ, qui *obitum Ludovici non multò poſt ſecutum eſſe Gregorium Pontificem* aſſerit, & Sergii ſucceſſoris ejus tempori prælium illud ad Fontanetum inter filios Ludovici acerrimum, an 841. geſtum, atque ab ipſo Legatos componendæ rei causâ miſſos adſcribit; cui conſentit Auctor *Compilationis Chronol.* it. Siffridus Presbyter & Alb. Crantzius *Metropoli* & *Saxoniâ l.* 2. *c.* 27. Sed & Flav. Blondus, Eugenio IV. à Secretis, Imper. Ludovicum & Gregorium P. *eodem ferme menſe* diem obiiſſe, teſtatur *Dec.* 1. *l.* 10. *p.* 140. Sabellicus quoque tres ſummos viros, Græcorum Michaëlem & Francorum Ludovicum Impp. Gregorium

item

item Pontif. *uno fere menſe, continuatis funeribus* fato defunctos eſſe tradit, *Enneade 9. l. 1. p. 325.* Itaque anno præfato hiſtoriam Sergii terminabimus: poſtquam anno ejus 2. Piaſtum, civem Cruſvicenſem, Principem Poloniæ electum, atque novam Piaſtæorum ſtirpem orſum eſſe, anno C. 842. addiderimus. Plura de Sergio præter Auctores jam citatos, apud Baronium *Annal.* Ciaconium, Alios. Morerius ejus regimini tribuit annos 3. menſes 2. dies totidem: Horatius Turſellinus ann. 3. m. 1. *in Serie Pontif. Rom.* (*k*) Statum Eccleſiæ CP. qualis fuerit ann. Ch. 842. & 843. ex Gregorii deſcriptione, huc refer. Inter illuſtres viros, Haimo Epiſc. Halberſtadienſis, Bedæ conſanguineus, celebris fuit, circa annum C. præfatum 842. uti Helvicus habet *Theatro Chronol.*

XL. LEO (l) IV.

Vinco Saracenos (m), *Leoninam* (n) *condo celebrem,*
Sed baculos auro (o) *vendere vulgus ait.*
Schiſma Angilbertus (p) *format, Godeſcalcus* (q) *ad orcum*
Damnatur, recipit Numina picta (r) *Polis* (ſ).

Enarratio.

(*l*) Romanus, Sergio II. ſucceſſit, d. 12. April. anno Ch. 847. juxta illos qui Anaſtaſium, de quo infrà aliquid, ſequuntur; anno C. 844. juxta Wern. Rolè-

Rolevvinck, Platinam, Flav. Blondum, cœteroſque, ſuprà laudatos; qui Sergium integro biennio anteriorem faciunt. Ejus tempore, non mitiores tum Saracenis fidei Chriſtianæ hoſtes Nortmanni, poſt cladem à Ranimiro acceptam, in Galliam converterunt impetum, eamque, allecti potiùs Caroli Calvi R. largitionibus, quàm averſi, ad Pariſios uſque perſultando, prædæ ac direptioni habuere. Apud Bulgaros verò Chriſtianiſmus invaluit, Principe eorum Bogore peſtis ac famis levamentum invocato Chriſto ferente acceptum, quem ſoror apud CPolitanos captiva, & veri imbuta Numinis notitiâ, ad id faciendum inſtigavit, anno Chr. 845. Saraceni dein, in quorum Dynaſtia Syriaca Metuchal frater Aaroni ſucceſſit, eod. anno, Abderaminis Mauri auſpiciis in Italia variis locis occupatis, ipſa Romæ ſuburbia, atque in his Petri & Pauli Baſilicas ſpoliârunt, ac ipſas Baſilicæ Vaticanæ valvas argenteas aſportârunt, anno Ch. 846. Calviſius *Chronol.* quos (*m*) à Leone poſtmodum victos, infrà videbimus. Uti verò is, neglecto Lotharii Imp. conſenſu, Sedem tenuit, ſic potentiæ magis firmandæ, uti (*n*) ſtructuræ ejus docent, de quibus mox, quàm Sacris intentus, (*o*) Epiſcopatus publicè vendidiſſe, dicitur Continuatori Eutropii, ſeu Auctori coætaneo apud Vignerium *p. 215*. Circa quod tempus, Pſeudoprophetiſſa, à Presbytero quodam ſubornata, lucri causâ, inſtare diem judicii dixit, neque parùm Moguntiam turbavit, anno C. 847. Romanam dein urbem ampliavit Pontifex & munivit, partem præſertim Ædi D. Petri vicinam, *Leoninæ* hinc *civitatis* nomine appellatam, quam Corſi Sardique à Saracenis pulſi impleverunt. Schiſma mox (*p*) Angilbertus Mediol. Præſul orſus, quod tamen

ſeriùs

ſeriùs factum volunt alii. Vid. infrà *Iohanne VIII.* Majoris momenti id, quòd in Gallia de *Prædeſtinatione & Libero Arbitrio* vehementer diſputari cœptum eſt. (q) Godeſchalcus Mon. Rhemenſis, *non omnes ad vitam æternam, ſed quoſdam ad exitium, prædeſtinatos, neque Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe,* palàm docuerat: de qua ſententia ſua ſcriptum etiam libellum Synodo Moguntinæ, juſſu Ludovici Germaniæ R. exhibuit, eandem eſſe oſtendens, quam contra Pelagianos Auguſtinus olim propugnaverat. Et erant inter Epiſcopos, qui eum tuerentur, ſed Rabanus Maurus (ad Moguntinum Præſulatum aſcenderat, anno præt.) & Haimon Halberſtadienſis, contra eum nitebantur tantopere, ut à Patribus Synodi condemnationis in eum ferretur ſententia: qui inſuper cum literis Synodalibus Godeſcalcum ad Hincmarum Rem. Arch. miſerunt, Prædeſtinatianæ hæreſeos, quaſi, *piè viventibus non prodeſſe bona opera, ſi ad mortem prædeſtinati ſint; nec improbis obeſſe flagitioſam vitam, ſi ad vitam fuerint electi,* ſtatueret, invidiâ gravatum, anno Ch. 848. Eò cùm venit, coram Hincmaro *erga ſe malè affecto,* ut Morerius docet, nihilominus ſententiam ſuam magno animo defendit: proin Synodo Creciacenſi, à Rhemenſis Eccleſiæ & Galliæ Belg. Epiſcopis denuo damnatus, &, quaſi irreverentiùs ſe iis oppoſuiſſet, virgis cæſus, cœnobiique carceri mancipatus eſt, in quo 14. vel 15. annis pòſt obiit, quòd recantare noluiſſet, ſacro in agone ſolatio ac ſepulturâ quoque prohibitus. Interea adversùs eum, præter alios, Johannes Erigena Scotus librum 19. *capitulorum* ſcripſit; refutatus mox à Remigio Lugdun. Archiep. Godeſcalci cauſam tutante, de quo infrà porrò dicemus *in Iohanne VIII.* Vide Uſſerium

ſerium ſingulari libro *de Godeſcalco*. Tum Leo, qu m adversùs Saracenos Romanam urbem muniiſſe diximus, eorum claſſem, adjuvantibus Neapolitanis & Cajetanis, vicit: urbem etiam ab illis vaſtatam, 10. à Centumcellis mill. inſtauravit, *Leopolimque* vocitavit, anno C. 849. quo ipſo, quæ de Vaticanæ Baſilicæ valvis argenteis à Saracenis direptis diximus, contigiſſe alii volunt. Redeuntes tamen Saracen, Samum & Campaniam vaſtârunt: uti Normann, qui vix pecuniâ pacem conceſſerant Carolo Galliæ R. quinquennio antè, jam reverſi, duce Godofredo, iterum Galliæ graves fuere, Æmilius *l.* 3. dum (r) Imaginum cultus in Oriente, Theodoræ Imperatricis auſpiciis, floret, Manichæi verò, qui & *Pauliciani*, ineptis doctoribus, quos illis miſerat Theodora, ac pœnarum, quàm artium ſacrarum, doctioribus, exaſperati, ad Saracenos ingenti numero defecerunt eisque juncti, multas intulerunt Byzantinis clades. Centum eorum millia ſuppliciis periiſſe, ait Cedrenus, reliquos, exſtructis urbibus, omnes Imperii in Aſia provincias incursâſſe, circa ann. Ch. 850. Poſt quæ Lotharius Imp. filiis Ludovico Imperium & Italiam, Lothario partem Galliæ tradidit, ac Monaſterium Prumienſe ingreſſus eſt: quorum ille Saracenorum incurſiones non infeliciter propulſavit. Dum in Germania, Ludovicus Rex Sorabos fame domuit: in Gallia, Carolus C. Pipinum Lotharium que patrueles regno Aquitaniæ exuit, & pro Monachis in cœnobia detruſit: in Anglia, Normanni cum ingenti claſſe appulſi, Merciorum Regem fugârunt. Circa quæ tempora Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbejenſis obiit: auctor libri *de Sacramento Euchariſtiæ*, ſeu *de Corpore & Sanguine Domini*, quo *corporalem præſentiam* primus omnium aſſeruit, Amalarium Epiſc.

Epiſc. Trevirenſem *σύμψηφον* nactus. Cui mox ſe oppoſuit Rabanus Maurus, qui figuratam locutionem agnoſcebat, cum Concilio VII. Oecum. ſub Copronymo habito, V. eum *de Inſtitut. Cleric. l. 1. c. 31.* Bertramus ſeu Rathramnus Presb. Ioh. Erigena, Alii, ut infrà videbimus. Ut taceam Scriptores hujus Seculi haud minùs celebres, Walafr. Strabonem, Chriſtian. Druthmarum, Heribaldum Antiſſiodor. Alios, quibus, ob impugnatam corporalis præſentiæ opinionem, à Paſchaſii aſſeclis *Stercoriſtarum* fœdum nomen, eò ſc. quòd aſſererent, ea, quæ ore corporis adſumuntur, ſymbola ſeceſſui obnoxia eſſe, impoſitum eſt, Heideggerus ubi ſuprà *n. 63.* obiit autem Ratbertus ann. C. 851. quem Leo ſequutus eſt, an. C. 852. Sedis an. 3. m. 3. d. 5. juxta Horatium Turſellinum, Lotharii I Imp. an. 12. in SS. numerum relatus. Alii circa annos ejus variant, V. infrà. Ejus *Epiſtolâ ad Britanniæ Epiſc.* relatâ à Gratiano, in *c. 1. diſt. 20.* dictis Patrum & Epiſtolis Pontificum major, quàm hactenus, auctoritas & *IV. Evangeliis* par tributa, quod ipſum Anſelmum, Deusdedit Cardin. & Gregorium Presb. *in Polycarpo* offendit, qui proin verba illa *impia ſatis*, ut monent quoque Correctores Rom. *Notis ad iſtud caput*, aliter legunt, uti videre eſt apud Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccleſ. num. 246.* ubi de Codice Canonum, à Leone IV. vel aucto vel probato, pluribus agit. Vid. quoque de Leone Anaſtaſium, Platinam, Onuphrium, Sabellicum, Sigonium, Baronium, Alios. (*ſ*) Illo ſedente, quid alibi actum, jam quod ſatis eſt vidimus: uti & de Hæreticis, ac labantis circa *Prædeſtinationem, Liberum Arbitrium* ac *S. Euchariſtiam* doctrinæ initiis.

XLI. JO-

XLI. JOHANNES (t) VIII. FOEMINA.

Dum Theodora (u) Oriens paret, claſſesque Pelaſgæ;
Et nova fœmineo ſubdita Roma jugo eſt:
Roma vetus pariter muliebria (x) juſſa veretur,
Inſolitumque ſibi parturit ipſa (y) probrum (z).

ENARRATIO.

(t) SPecie *Papa, re fæmina ſcortum*, gente Angla, nomine *Gilberta* (in quibus tamen circumſtantiis diſcrepant Auctores) *cum Sacerdote olim Anglicano verſata Moguntiæ, & è cœnobio Fuldenſi ducta Athenas, ibi eâ literarum floruit laude; ut Romam profecta Pontificatum meruerit*, Cluverus *in Lothario I.* ſicque ſucceſſerit Leoni IV. anno Ch. 852. juxta calculum illorum, qui Sergium anno 841. electum volunt, ut ſuprà vidimus. Cœteri, qui illius electionem anno 844. factam contendunt, adeoque Leonem IV. anno 847. demum Sede potitum volunt, eidem biennium quoque ſequens attribuere neceſſe habent, annum viz. 853. quo Angilbertus Arch. Mediolan. ab Eccleſia Rom. deficiens, ſchiſmati, quod per 200. duravit annos, dedit initium, & aliquid anni 854. ad quæ tempora Sigonius, Eccleſiaſticum Statum, inprimis in Italia, valde corruptum, *conciones & ab Epiſcopis & à Nobilioribus, quòd ſacella privata haberent, deſerta, plebique templa relicta*, adnotat *lib. 5.* In ſucceſſione certè Pontificum hoc præſertim

præſertim Sec. IX. omnia incertiſſima eſſe, notum: unde Platina ait *in Nicolao I. eſſe qui ſcribant, poſt mortem ejus annis 8. menſibus ſeptem, diebus novem ſedem vacaſſe:* alii verò, ut Gotfridus Viterb. & Auctor *Compilationis Chronol.* Paulum aliquem *cum annis decem,* inter Benedictum III. & Nicolaum I. intrudunt. Ponamus itaque obiiſſe Leonem, anno Ch. 854. poſt eum mox omnem Clerum uno conſenſu Benedictum elegiſſe, eumque ilico Pontificali ſolio impoſuiſſe, tradit Anaſtaſius Eccleſiæ Rom. ſub Nicolao I. & ſeqq. Bibliothecarius, in exemplaribus hodie extantibus, ex editione Jeſuitarum Moguntin. anno Ch. 1602. & recuſâ Lutetiæ anno C. 1649. in quibus Johanna omittitur. Verùm ſcriptum hoc ſuppoſititium eſſe, *& Anaſtaſium illum antiquum ac verum hujus hiſtoriæ diſertè meminiſſe, ex Codicibus ejus vetuſtioribus manuſcriptis, in Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Belgii, &c. Bibliothecis reconditis, qui omnes circa finem Leonis IV. mutili reperiantur,* colligit P. Megerlinus, mox pluribus laudandus. *In Codice ſanè MS. Lutetiæ conſervato, nec non in iis, qui ex Heidelbergenſi Bibliotheca Ieſuitis Anaſtaſii editoribus Moguntiam transmiſſi ſunt, crimen falſi à Marqu. Frehero publicè illis impactum admittentibus,* diſertè extat, uti Heideggerus docet, ex *Hiſtoria hujus Seculi* à Bœclero edita. Sic dum (*u*) Theodora Aug. pro Michaële adhuc filio, dominatur CPoli, (*x*) in vetere Roma fœmina thronum Papalem conſcendit: quo tempore, in Hiſpania, Ordonius I. Raimiri fil. Toletanis, contra Mahometem Abderaminis fil. infeliciter ſuccurrit, anno Ch. 854. Platina ſcribit eſſe qui dicant, *hujus* (Papiſſæ) *temporibus B. Vincentii corpus è Valentia citerioris Hiſpaniæ civ. à quodam Monacho, in pa-*

gum

gum Albienſem ulterioris Galliæ deportatum. Item, *Lotharium jam grandem natu, ſumpto Monachorum habitu, filium Ludovicum Imp. reliquiſſe, &c.* qua de re ſuprà aliquid, & Sabellicus quoque Johannæ Pontificatu id contigiſſe, *ſatis conſtare*, aſſerit: *Rhapſ. Hiſtor Enneade 9. lib. 1. pag. 325.* Sequuta mors Lotharii, anno Chr. 855. quo ipſo Synodo Valentina, in Gallia, Lugdunenſis, Arelatenſis ac Viennenſis Eccleſiarum Epiſcopi, Canones aliquot ſanciverunt, quibus, quid in Godeſcalco (tum adhuc in carcere degente) quid item in adverſariis ejus deſiderent, probentve, exponunt, ſimulque IV. Capitula, ab Hincmaro oppoſita Godeſcalco, & librum ab Erigena Scoto ſcriptum, condemnant, Uſſerius ubi ſuprà. In Anglia verò, Edelvvolfus Egberti fil. Normannos iterum regno exturbavit, Polydorus Virgilius *libro 5.* Poſt quæ, Johannam, (*y*) *cùm ſexum Reip. non amaſio mentiretur, conceptum è ſcortatione fætum enixam publicè, ac partus doloribus ſolenni in proceſſione extinctam, cùm biennium & VI. menſes orbi Chriſtiano turpiter illuſiſſet, indignitatem rei notantibus terræ motibus, grandinibus ac inſolitæ aëris concuſſionibus*, anno C. 856. ait Cluverus *in Lothario I.* Sediſſe annos 2. m. 5. d. 4. Helvicus tradit. Alii aliter. Primò poſt Ambroſium multas *præfationes Miſſarum* compoſuiſſe, ſed eas omnes interdictas eſſe, docet ex quibuſdam Martini Poloni codd. Megerlinus, idemque de *Epiſtolis* illius abolitis intelligendum, addit, quem, Academiæ nuper Baſil. Mathematicum & Chronologum celeberr. præ aliis vide *Diſquiſitione Chronol. de Iohanna Papiſſa*: in qua 1. Catalogum exhibet aſſertorum Papatûs Johannæ, ex ipſa Communione Romana, XVII. Francorum; XXVII. Italorum; VI. Hiſpanorum; V. Anglorum; I. Scoti;

I. Scoti; IX. Belgarum; XVII. Germanorum; I. Poloni; & I. Ungari; inſuperque II. Græcorum, & II. Judæorum: quos inter Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, nonnulli etiam Canonizati, qui omnes uno ore affirmant, *Seculo à nativitate Chriſti IX. fœminam quandam, virilem ſexum mentitam, in Papam fuiſſe electam.* Dein; reſpondet ad objectiones, ex Anaſtaſii, Adonis Vienn. Reginoniſque, nec non aliorum, ſilentio petitas. Tertiò, ex ipſo Blondello, hiſtoriæ probabilitatem adſerit, ubi inter alia, *de ſtatua, factum figuratiè monſtrante, poſitâ tum, ſed ſuperiori ſeculo remotâ; de platea illa à Sixto V. everſâ, & pompa ſeu proceſſionis Papalis diverticulo; de more, per ſedem perforatam Succeſſorum genitalia explorandi inde orto, &c.* quibus præmiſſis, ad Demonſtrationem Chronicam accedit, & ex intimis Chronologiæ fundamentis cauſam diſceptat, *Commentarii Chronol. in Tab. ſuam Mathematico-Hiſt. cap. 13.* ſeu *ult.* Nec majori dedecori Johanna eſt Eccleſiæ illi, quàm tot Pontifices, *fœminis deteriores*, ut Baronius aliiq; ſcribunt, de Pontificibus quamplurimis X. & XI. Seculi. Sed &, *ſi fabulis accenſere pro lubitu velint* hodierni Eccleſiæ Rom. Scriptores, vident *ſaltem mendacium ex Papatu, in quo ante Reformationem tot teſtes rem liquidò affirmârunt, originem trahere*, Heideggerus ubi ſuprà *num. 54.* meritoque mirandum Antoninum Archiepiſcop. Florentinum, in Sanctorum numerum relatum, anno Chriſti 1523. hanc ipſam hiſtoriam recitare *in Chron. P. 2. tit. 17. cap. 1.* §. 7. atque inde erumpere in exclamationem Paulinam, *O altitudo*, &c. Rom. *cap. 11. verſ. 23.* (z) Coeterùm, ſedente illâ, *Conſtantinopoli*, Methodii ſucceſſor Ignatius, fil. Michaëlis I. Imper. (juſſu Leonis Armenii, cum fratre, olim eviratus) Sacris præfuit.

Hinc-

Hincmarus verò, *contra πρεσδεῖαν Papæ ſcripſit*, circa ann. Chr. 854. teſte Helvico, ex Aventini *Annalibus Boic.* Rabanus Maurus obiit anno Chr. 855. Trithemius, &c.

XLII. BENEDICTUS (a) III.

Non ſine cautela (b) *ſuccedo* (c), *quòd mihi ſeſe*
Æquat Anaſtaſius (d), *non ſine laude fero:*
Imperii Ludovicus habet dum ſceptra ſecundus,
Qui Lotharî primi filius alter erat (e).

ENARRATIO.

(*a*) ROmâ oriundus, Petri filius, (*b*) *tactis priùs prudenti cautelà virilibus*, uti habet Mornæus *in Myſter.* quod *craſſum putidumque commentum* cùm Blondellus vocet, Vid. quid Cl. Megerlinus ei reſpondeat *d. l.* poſt Johannem (*c*) electus eſt, anno Ch. 856. Ludovici II. Imp. anno 1. Proximè quidem ac immediatè Leoni ſucceſſiſſe idem Blondellus, cum Labbeo, ad Johannam elidendam, ſtatuit, quòd *incardinatio Benedicti III. inciderit in diem Dominicum*, quem ipſi habent *pro 3. Kal. Octobr. ſive 29. Sept.* qui circa illa tempora non alii anno conveniat, quàm 855. quo Leonem obiiſſe volunt: verùm *nec ipſorum Anaſtaſium, nec ullum ex Veteribus, anni vel menſis meminiſſe, ſed eſſe purum putum figmentum Onuphrii Panvinii, ex anno pro lubitu aſſumpto & cyclo Solis adaptato concinnatum*, contendit idem

idem Auctor modò laudatus *Ibid.* Non verò ſine rixa Sedem conſcendit Benedictus, ut cui (*d*) Anaſtaſius, à Leone IV. Synodo LXVI. Epiſcop. loco motus, ſeſe aliquandiu oppoſuit, ſicque *Schiſmatis XII. in Eccleſia Rom.* auctor extitit, cujus injurias non ſine patientiæ laude Benedictum tuliſſe ferunt. Circa quæ tempora, in Imperio CP. Michaël, qui pueritiæ jam annos erat egreſſus, Bardæ avunculi inſtigatu, matri adhæreſcentem Theoctiſtum interemit, ipſaque cœnobio incluſâ, per Bardam res ipſe adminiſtrare cœpit, quæ non diu calamitati huic manſit ſuperſtes, *auri & imaginum patrona*, Cluver. V. Zonaram *tom. 3.* Curopalatem, Cedrenum. Poſt quæ, in Anglia, Edelvvolfi filio Edelberto, mirè moleſti Normanni fuere, anno C. 857. uti videre eſt apud Polydorum Virgil. *lib. 5.* dum Ludovicus Germaniæ R. invitatus à quibuſdam Galliæ proceribus, contra Carolum Calvum res geſſit. Obiit Benedictus anno C. 858. Sedis anno 2. addit Turſellinus menſes 6. d. 10. Helvicus m. 8. d. 16. deceſſiſſe d. 17. Februar. ait Morerius, qui etiam duas ipſi *Epiſtolas*, unam *ad Hincmarum Arch. Rem.* alteram *ad Epiſcopos Galliæ, c. Hubertum Subdiac.* tribuit. (*e*) Gerh. von Maſtricht ſic de temporibus illis, *Poſt Leonem* inquit, *quartum, magis magisque literarum & ſcientiarum ſplendor decreſcere, barbaries invaleſcere, cœpit, ortaque ſunt iſta tempora, & ſecula, quæ obſcura, barbara, ferrea meritò dixeris — Quievere itaque per ſeſqui & quod excurrit ſeculum Collectiones Iuris, Hiſtor. Iuris Eccl. n. 247.* At apud Byzantinos Bardas, operâ Leonis, Epiſcopi primùm Theſſalon. dein Oecumenici Urbis CP. Magiſtri, qui tunc Eruditorum apex habebatur, animam agentes, ſi non intermortuas, literas, feliciter

 reſuſci-

reſuſcitavit, anno Chr. 857. V. Glycam, Conſtantinum Man. Zonaram *Michaële III.* Alios. Cœterùm *CPoli*, Sacra adhuc curabat Ignatius, de quo mox plura.

XLIII. NICOLAUS (f) MAGNUS (g).

Dum ſimulachra iterum ſuffulcio (h), *Michaël* (i) *obſtat,*
Hinc ira (k) *& Photio fulminis* (l) *anſa mei.*
In Lingua cultum propria (m) *concedo Bohemis,*
Vitâ & Tarpejum cœlibe (n) *firmo thronum* (o).

ENARRATIO.

(*f*) ROmanus gente, à rebus pro magnitudine Sedis fortiter geſtis (*g*) *Magni* cognomen, non minùs ac Leo I. & Gregorius I. adeptus, in Benedicti III. locum ſuffectus & in præſentia Ludovici II. Imp. in Baſilica Petri conſecratus eſt, d. 24. April. ann. Chr. 858. Ludovici 3. uti Morerius habet; aliis poſt Benedictum Sedem diu vacâſſe, aliis Paulum quendam ei ſucceſſiſſe, aſſerentibus, ut videre eſt ſuprà in *Iohanne VIII.* Quo animo certè Nicolaus in Sedem fuerit, liquet *ex Diſt. 96. Satis evidenter oſtenditur, à ſeculari poteſtate nec ſolvi prorſus, nec ligari Pontificem, quem conſtat à pio Principe Conſtantino Deum appellatum, cùm nec poſſe Deum ab hominibus judicari, manifeſtum ſit.* Sub ejus initia, apud Byzantinos, Bardas, ob repudiatam uxorem, ſacris prohi-

prohibitus ab Ignatio Patr. dejecit eum Sede Byzantina, ac Photium, inſignem doctrinâ virum, cujus *Bibliotheca* theſaurum præbet adhuc priſcæ eruditionis, evexit in thronum, *per quem Nicolai Papæ, quos Byzantium miſerat,* (*h*) *Imaginum curaturos adorationem* ((*i*) à Michaële, Bardæ inſtinctû, iterum ſublatam) *Legati, tracti ſunt in ſententiam, ne rem ſacris contrariam Legibus moroſiùs perurgerent,* Cluverus *in Michaële III.* (*k*) indignante graviter Pontifice, ſe inconſulto Photium, nullis Sacris initiatum, in Ignatii locum ſubſtitutum eſſe, *Epiſtolâ ad Michaëlem Imp.* cui inſuper, nî Calabritanum Siculumque patrimonium (de quo Vid. ſuprà in *Gregorio III.*) Eccleſiæ ſuæ debitum reſtituat, excommunicationem eſt comminatus. In Germania verò, Ludovicus cum Vandalis, Bohemis & Sclavis vario Marte bellum geſſit, anno eodem. A Saracenis dein Michaël ad Samoſatam victus eſt. In Gallia autem, Hincmarus libro integro Valentinam Synodum, quadriennio antè ob controverſiam Godeſcalci habitam, ut vidimus in *Iohanne VIII.* oppugnavit, ſcriptumque ſuum Regi Carolo Calvo exhibuit, qui litem ſopiviſſe videtur, anno Chr. 859. Uſſerius *de Godeſcalco*, tum adhuc in carcere languente. Poſt quæ, in Germania, Ludovicus cum fratre Carolo Lotharingiam diviſit, teſte Rheginone *lib. 2.* In Oriente Ruſſi, Tauri montis ad Boream accolæ, claſſe invaſerunt Pontum Euxinum, ac Byzantium obſederunt, ſed manifeſtâ de cœlo irâ impediti renavigârunt domum, ac Deum, cujus manum ſenſerant, revereri inceperunt, è captivis Chriſtianam religionem edocti. Dum Nicolaus diris multis Sacerdotes conjugatos inceſſit, ob quas eum Huldericus Epiſcopus

Auguſtanus Epiſtolâ doctiſſimâ graviter reprehendit, obtinuitque, ut libertas conjugii Sacerdotibus per annos ferme CC. porrò intemerata maneret, anno C. 860. M. Chemnitius *Exam. de Cœlib.* Vid. ipſam Hulderici *ad Nicolaum Epiſt. de illo Clerico, 4. Diſt. 32.* adde Æn. Sylvium *in Germania cap. 12.* Photius inde, CPoli actâ Synodo CCCXX. Epiſcoporum, cui Zacharias & Radoaldus Pontificis Legati interfuere, Ignatium condemnavit; hinc à Nicolao, cum omnibus qui Photio adhærebant, propriisque ſuis Legatis, quos Photium in ſententiam ſuam pertraxiſſe diximus, excommunicavit: quò proin ſuprà dicta referas. (*l*) Quare Photius aliâ Synodo viciſſim Nicolaum anathemate ferüt. Circa quod tempus Michaël, per Petronam avunculum, præclaram de Saracenis adeptus eſt victoriam, Amirâ ipſo in acie trucidato. Apud Scotos verò Conſtantinus II. præeſſe cœpit, anno Ch. 861. quo ipſo Carolum Calvum, turpiter à Britonibus victum, Robertum Saxoniæ Principem illis oppoſuiſſe, tradit Aimoinus *l. 5.* Sequuta Dalmatarum & Sclavorum per Methodium converſio, Bohemorumque XIV. D. cum baptiſmus, operâ Ludovici R. quibus (*m*) Sacra in propria lingua peragendi poteſtas à Nicolao indulta, Cromerus *l. 3.* dum apud Saracenos Mutnazar, Metuchalis fil. præeſt, anno C. 862. Carolus poſt ea Calvus, Hollandiæ primum Comitem Theodoricum, ut Normannis reſiſteret, creavit, à quibus nihilominus domi mirè exagitatus eſt, anno C. 863. P. Æmilius *l. 3.* Interea Lotharius, Imperatoris frater, Lotharingiæ R. illicito correptus amore, odium induit conjugis ſuæ Tietbergæ, & communicato cum Guntherio Epiſcopo Colon. conſilio, cui etiam Thietgandus

Trevir.

Trevir. acceſſit, convocat Metis Synodum, ibique condemnatâ reginâ, Waldradam formâ conſpicuam matrimonio ſibi jungit; Nicolao P. per Legatos eum increpanti, obtendit Synodi ſententiam. Ergo citantur Romam Epiſcopi, actoque ibi Concilio mulctantur dignitate. *Eâ affecti ignominiâ Ludovicum Imp. Beneventi tunc morantem adeunt, inauditam dicentes Papæ tyrannidem, citra Principum & Metropolitanorum ſuffragia, Epiſcopos exauctorantis. Sed ſpe fruſtrati Thietgandus quidem paruit Nicolao. Guntherius nihili fecit prolatam in ſe ſententiam: deinde veniam ambiens ſurdas pulſavit aures. Lotharius verò, ne ſatris prohiberetur, recepit ad tempus reginam,* anno C. 865. *ſed mox novis obrutam criminibus iterum dejecit, quæ ad Carolum R. patruum mariti, confugit. Papa ſub hac Waldradam diris devovet, minatur Lothario,* &c. Cluverus *Ludovico II.* ad quam hiſtoriam, Nicolaum *anathema in Reges Galliæ primum omnium vibrare auſum,* adnotat Heideggerus ubi ſuprà *n. 55.* Eodem tempore Ludovicus Imp. Saracenis in Apulia fortiter reſtitit, Sigonius *l. 5.* Michaël verò Bardam inſolentiùs ſe gerentem, an ineptiis ſuis moroſiùs refragantem, Baſilii inſtigatu, interemit, huncque Cæſarem pronuntiavit. Dum Nicolaus, Eccleſiam Ravennatem, quæ diu ſe primatui Sedis Rom. oppoſuit, unà cum Johanne Archiep. *Majeſtatis Pontificiæ læſæ reum* fateri ſe coacto, ſibi Sedique ſuæ ſubjecit. anno Ch 866. Interim, Michaële per amentiam familiares ſuos variis excipiente ludibriis, & remigem quendam purpurâ induente, periculum ſibi ab eo veritus Baſilius Macedo, ex priſca Arſacidarum nobilitate, quem modò Imperii Collegam à Michaële adſcitum diximus, anticipaturus hominis inſaniam, effracto cubiculo cra-

 pulabun-

pulabundum, & ſemiſomnem interfecit, d. 24. Septembr. quem mox ſequutus Nicolaus, deceſſit d. 13. Novembr. ann. Chr. 867. Sedis ann. 9. m. 2. d. 20. Ludovici II. Imp. anno 12. (n) *Cælibatus acerrimus, inprimis in Germania & Gallia, propugnator, & auctoritatis Pontificiæ ſtrenuus adſertor,* Læto: quem proin *magnanimo pectore Regibus & Tyrannis imperaſſe, iisque, ac ſi Orbis terrarum dominus eſſet, auctoritate ſuâ præfuiſſe*, Rhegino ſcribit. *Epiſtolæ* illius habentur ad XC. *in Tom. Concilior.* quarum ea inprimis, quâ Michaëlem Imp. adiit, *Majeſtatis Papalis plena* Heideggero judicatur; plura de illo Vid. apud Anaſtaſium Bibl. Platinam, Onuphrium, Ciaconium, Papyr. Maſſonium, Duchenium, Baronium, Alios, *in Eo*: uti de Scriptis ejus Hincmarum Rem. Antoninum Florent. Trithemium, Poſſevinum, Geſnerum, &c. (o) Illo rerum Eccleſiæ Romanæ ſatagente, *Conſtantinopoli*, pulſo Ignatio, ſucceſſit Photius, Imperatori tunc primarius à Secretis, anno Chriſti 858. ut diximus. Bulgari, in fide, cùm ſacrum codicem exuri non poſſe viderent, ad preces Epiſcopi, *Glorifica nomen tuum Chriſte Deus!* magis confirmati ſunt circa annum Chriſti 866. Zonaras *Tom. 3.* Contrà fuere, qui Theopaſchitarum hæreſin renovatum irent. Nec defuere, qui circa doctrinam *de Gratia, Prædeſtinatione* & *Morte Chriſti*, hallucinarentur, ut vidimus.

XLIV. A-

XLIV. ADRIANUS (p) II.

Præſule patre(q)*ſatus, ſocia cum conjuge*(r)
vixi,
Accepi clavem, ſed ſine Rege (ſ)*, meam.*
Fatalem Lotharo (t) *cænam, fatalia* (u)
dona,
Porrexi: Alfridum cautus adopto (x)
Pater(y).

ENARRATIO.

(*p*) EX eadem gente, (*q*) *Epiſcopi Talari filius*, (*r*) *uxoratus*, Megerlino ex *Annalibus* Bertinianis, *in Collectione* Ducheniana *ad ann. C. 867.* & *ſeqq.* poſt Nicolaum I. ad Papale faſtigium, (*ſ*) ſine conſenſu Imperatoris, ægrè id Legatis ferentibus, pervenit, anno Chr. 867. Ludovici II. Imp. 12. quo tempore, apud Byzantinos, Baſilius I. juſtitiæ & LL. ſtudioſus, ærarium, repetendo dimidium ejus, quod in ſcurras deceſſor effuderat, locupletavit, auri CCC. centenariis ſic recuperatis. A Photio inde Patr. ob interfectum Michaëlem Imp. à ſacræ Synaxeos communione repulſus, ulciſci ignominiam conſtituit. Interea Adrianus Lothario, qui in Italiam venerat, fratrem contra Saracenos adjuturus, permiſit, ut Romæ diſceptaret cauſam ſuam, id quod abnuerat Nicolaus. Itaque (*t*) Lotharius cum Optimatibus ſuis (*u*) ſumpto corpore & ſanguine Domini, jurat ſe innocentem eſſe, nec commercium cum Waldrada ampliùs habiturum, an. C. 868. ſed,

antequam Italiâ excederet, intra annum, correptus peſte, Placentiæ extinguitur d. 7. Aug. eodemque morbo Summates periere. Circa quæ Ludovicus Germaniæ R. Raſticen Sclavorum Regem, per filium Carolum, in anguſtias redegit vicitque. Poſt Lotharii verò obitum Hincmaro Rhemenſi Arch. dedit in mandatis Hadrianus, ut Regem ſuum Carolum Calvum communione privaret, ni in regno fratris ſui Lotharii, filio ejus Ludovico cederet. Cui, Conventus Rhemenſis nomine, acriter Hincmarus reſpondens, inter alia, *Regna*, ait, *ſeculi hujus bellis quæri, victoriis propagari, non Apoſtolicè, vel Epiſcoporum excommunicationibus obtineri: — Anteceſſores ejus ordinem Eccleſiaſticum, non Remp. quæ Regum cura ſit, diſpoſuiſſe: jugum Pontificis Francos portare non poſſe*, & quæ plura talia in Epiſtola, à Bochello *Decretis Eccleſ. Gallicanæ lib. 2. p. 3. 7.* inſerta occurrunt. In literis verò ad ipſum Regem ejusdem Hadriani iſta legere eſt, *Volumus & auctoritate Apoſtolica jubemus, Hincmarum Laudunenſem Epiſc. veſtrâ fretum potentiâ, ad limina Sanctorum noſtramque venire clementiam.* Cui acerrimè reſcribens Rex, *ſeculi umbroſum typhum in Eccleſiam ſic induci queſtus eſt*, & inter alia, *Ut Leo*, inquit, *ac Romana Synodus ſcripſit: Reges & Imperatores, quos terris Divina potentia præcipit præeſſe, jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis — permiſerunt, non autem Epiſcoporum villici extiterunt. Quis igitur hanc inverſam Legem infernus evomuit? Quis tartarus de ſuis abditis & tenebricoſis cuniculis eructavit?* Nempe Hincmarus ille hoc ipſo anno, Synodo Verinbreæ actâ, appellaverat ad Papam, quod Patres Synodi Attiniacenſis ægrè tulerunt, V. reliqua infrà. Interea Baſilius Orientis Imp. contra Photium Synodum Generalem

neralem convocavit CII. Epiſc. in qua ut ſibi per Legatos præſidere (quos inter Anaſtaſius Bibl. princeps fuerat) integrum eſſet, Adrianus haud difficulter impetravit. Initium illa ſumpſit die 5. Octobr. & finita eſt ultimo Februarii anni ſequ. In ea, Photio depoſito, reſtitutus eſt Ignatius. *Libellum* porrò *tradiderat Legatis ſuis Hadrianus, à Nicolao I. antè confectum, quo quid de Primatu Papæ & adoratione Imaginum tenendum inprimis ſit, continebatur; lege etiam præſcriptâ, ne quiſquam in Synodum eam cooptaretur, ni priùs ſignaculo ſuo ad eam fidem ſe devinxiſſet, quod religiosè adeò obſervatum, ut, quotquot dicto audientes non eſſent, à Synodo excluderentur*, &c. Heideggerus ubi ſuprà. Apud Saracenos tum, poſt Elmuſtein, trucidatum à ſuis, Mammaluchi Regem Ægypti & Syriæ fecere Achmadum fil. Tolonis, qui ſervus fuerat, ſed Ægypto præfectus à Babyloniis defecit, ac ſe Calipham Ægypti conſtituit, Elmacin. *Hiſtor. Sarac. lib. 2. c. 15.* facta autem hæc anno Ch. 869. Interea Synodus CP. duravit uſque ad d. 28. Februarii, in qua, ut dictum, *Photius depoſitus*. cui ſententiæ Patres calamo *Sanguini Domini* intincto ſubſcripſere, Vid. quæ ſuprà in *Theodoro I. Imaginum cultus reſtitutus, Papæque primatus* ſtabilitus eſt. Verùm, *quòd apertâ vi omnia illic geſta, & per eam Eccleſia CP. in Romanam poteſtatem redacta, ac Symbolo Niceno-CPolit. addita ſit vox, Filioque; vel pro legitima, vel pro Oecumenica VIII. nequiquam Græci recipiunt: & contra eam Marcus Epheſinus in Concilio Florentino diſertè proteſtatus eſt*, Heideggerus *dict. l.* V. etiam Beveregium *Annot. in Synod. Conſtant. primam & ſecundam p. 170.* Dum Ludovicus Germ. R. Raſticis regnum Suentebolds nepoti ejus tradidit, Aventinus *Annal. Boj. l. 2.* inque Scotia Conſtan-

tinus II. Normannos, crudeliſſimos vaſtatores, vicit, Buchan. anno Ch. 870. Poſt quæ, Ludovicus Imp. quem Papa, ut Regem Lotharingiæ, coronaverat ac literis minacibus, quarum ſuprà meminimus, juſſerat patruos fraternas Auguſto ditiones reſtituere, ab Adelgiſo D. Benev. à Baſilio contra Ludovicum ſuſcitato, captus ac ignominiosâ lege, *ne unquam fines intraret Beneventi*, ſolutus eſt, Aimoinus *lib. 5. cap. 24. 28.* Suenteboldus quoque, modò memoratus, Ludovico Germaniæ R. rebellis, magnam ei cladem intulit, Aventinus *d. l.* In Gallia verò Synodo Duziacenſi Hincmarus Laudun. quòd Eccleſiæ Gall. decretis ſe ſubjicere nollet, in carcerem conjectus, annitente patruo ejus Hincmaro, ac biennio pòſt excœcatus eſt: ad quod ſpatium Literæ Hadriani ad Carolum Calv. hujusque ἀμοιβαῖαι ſuprà cit. referendæ, anno Chr. 871. Sequenti tempore, Alfridus R. Angliæ, Edelredi novem prœliis Normannorum victoris frater, unctionem & coronam ab Adriano primus accepit, ac (x) *filius* ejus *adoptivus* dictus eſt: ipſe verò Adrianus haud diu pòſt deceſſit, anno Chr. 872, Sedis anno 5. Turſellinus habet ann. 4. m. 10. d. 17. Ludovici II. Imp. anno 17. de quo V. plura, apud Platinam cœteroſque ſæpius laudatos, Baronium, Alios. (y) Illo ſedente, quid *Conſtantinopoli* cum Photio & Synodo CP. actum, diximus, addo verbum, *illâ aſſertum imaginum cultum, ſed in favorem Pontificis, contra antiquos Canones*, Cluverus ex Aimoini *Continuatore*, &c.

XLV. JO-

XLV. JOHANNES (z) IX.

Pax empta (a), *incinctus Cæſar diademate triplex* (b),
Carcer (c), *Formoſi* (d) *virgula, vita* (e) *ſalum.*
Senſus Bertrami (f), *indulgentia prima*(g), *venenum* (h),
Malleus (i), *hiſtoriæ ſunt monumenta mea* (k).

Enarratio.

(z) Romanus, Gundo genitus, Adrianum II. excepit, ordinatus d. 14. Decembr. ann. Chr. 872. Ludovici II. Imp. 17. cum (*a*) Saracenis, à quibus pacem redimere coactus eſt, cum (*b*) Imperatoribus tribus, (*c*) cum conjuratis, (*d*) Formoſo, &c. (*e*) multum negotii habuit, ut videbimus. Ut thronum Pontificium occupavit, paulò poſt Ludovicum Imp. juramenti, quo ſe Beneventano Duci obſtrinxerat, religione, *auctoritate Dei, & Sancti Petri exſolvit. Quod ante eum nemo, poſt eum plures tentârunt,* Heideggerus *d. l. num.* 59. Sic novum Adelgiſo infertur bellum, Imperator tamen, reverentiâ execrationum, quibus ſuum devoverat caput, per conjugem & duces Beneventum recuperavit, Adelgiſo ad Corſos profugo, Sigebertus *ad ann.* 867. & 873. In Scotia verò Conſtantinus, dum Normannos nimiùm urget, ab iis, ad deſperationem adactis, ſuperatus, trucidatusque eſt, anno Chriſti 873. Poſt quæ, in Hiſpania, Alfonſus III. Magnus, Aſturiæ Rex, Toletanos

profligavit, anno Ch. 874. Rodericus Tolet. *de Rebus Hiſp. l. 4. c. 15.* Ludovicus dein Imp. expers prolis, obiit in Italia, de cujus ſucceſſione cùm contenderent duo ejus patrui, Ludovicus Germ. R. *natu major & moratior*, Heidegg. Carolusque cogn. *Calvus*, minor, *hic muneribus ſibi conciliavit Papam Iohannem, Italiamque ingreſſus — diadema accepit Romæ & Imperator ſalutatus eſt*, Cluver. ipſo Nativitatis feſto: non exiguo inde ad Johannem redeunte lucro, ut cui *Ducatum Spoletanum, Aritium & Cluſium civitates Beneventi; Samnium, Calabriam aliaque donavit* novus Imperator, Heidegg. ubi ſuprà. *Chriſtianiſſimi* titulo tum à Papa inſuper inſignitum Carolum, Papyr. Maſſonius tradit. Ludovicus interim occupârat penè Galliam, ſed obſiſtente Hincmaro Epiſc. & deprecantibus Francis, ne ſuperbiam Regis in ſubditis vindicaret, abſceſſit ultro. Quæ tempora prodigioſis locuſtarum agminibus, peſtilentiâ, frigoribus inſuetis, fame infenſa feruntur mortalium generi, peccati mole onuſto; tertiam hominum partem intempeſtivis abſorptam mortibus perhibent. Corbienſes tamen ex Saxonia Monachi, in Rugia religionem Chriſtianam plantârunt, anno Ch. 875. Baronius *in Annal.* Brevi pòſt obiit Ludovicus, qui, ut patris animam, ſibi in quiete velut apud inferos cruciatæ ſpecie oblatam, liberaret, complura excitaviſſe Monaſteria legitur. *Ea enim opinio tunc animos hominum pervaſerat, ſpectris firmata & mendacibus miraculis, ut mortui à vivis, viciſſim vivi à mortuis opem auxiliumque poſcerent*, Cluverus *in Ludovico II.* Regna ejus inter tres illius filios, Carolomannum Ludovicum & Carolum Craſſum divisa, à quorum medio Carolus Imp. prope Andranacum, ingenti prælio perculſus eſt.

Idem

Idem poſt cladem, morbo oppreſſus vehementi, recuperatâ denuo valetudine, accerſitur in Italiam, ut Johanni contra Formoſum Epiſc. Portuenſ. qui in vitia ejus liberiùs invehebatur, & Comites Tuſcanellæ, illi ob coronationem Calvi infeſtos: nec non adversùs Saracenos, ipſi urbi Romæ imminentes, præſtò ſit. Eò cùm perveniſſet, ad Italiam in fide continendam Regem creat Boſonem, uxoris ſuæ fratrem, Carolomanno patrueli opponit exercitum, ipſe meticuloſus Romam refugit, poſtquam cum Pontifice jam Vercellis congreſſus eſſet. Circa quæ tempora, *de orali manducatione corporis Chriſti in S. Cœna* lis recruduit, in Eccleſia. Diximus ſuprà, illam primum Paſchas. Ratbertum moviſſe, mox ſe opponente Rabano Mauro, *cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperit æqualem*, teſte Trithemio. Hic de ea re, *Maluit*, inquit, *Dominus Corporis & Sanguinis ſui Sacramenta fidelium ore percipi, & in paſtum eorum redigi, ut per viſibile opus inviſibilis oſtenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinſecus nutrit corpus & vegetat; ita etiam Verbum Dei intus animam nutrit & roborat, de Inſtitut. Cleric. lib. 1. cap. 31.* Hanc ob cauſam in *Stellarum erraticarum* numerum relatus, à Guilielmo Malmesbur. & Thomá Waldenſi. Jam, poſt Mauri obitum, eandem doctrinam publicè docuit (*ƒ*) Bertramus ſ. Rathramnus, Presbyter itidem Corbej. & ſententiam illius, edito juſſu Caroli Calvi libro, defendit, anno Chr. 876. Vid. eum *de Corp. & Sang. Domini, edit. Colon. anno Chr. 1551.* Paulò poſt Imperator, in Franciam rediturus, veneno à Sedechia Judæo, Medicum præ ſe ferente, interemptus eſt; quo tempore, Alfredus, Angliâ ferme totâ præt. anno à Danis pulſus, eos rurſus ingenti ſtrage, ſtructis

inſidiis, ſuperavit, anno Chr. 877. Præerat tum Danis Ivarus, *Biornus* ſ. *Syvardus III.* primo Johannis anno, ad regnum evectus, à quo certior vett. Daniæ Regum ſeries ducitur. Eodem anno, Baſilius per duces Euripum maſculè contra Saracenos Tarſenſes defendit, Oſmam Amiram in prælio occidit, aliaque feliciter geſſit, Cedrenus *Hiſtor.* & Zonaras *Tom.* 3. Defuncto Imperatore, Johannes P. quod rerum humanarum fatum eſt, è ſolio Papali in carcerem à Lamberto Spoleti Com. & Alberto Tuſciæ March. qui pro Carolomanno erant, raptus, inde paulò pòſt evaſit, ac, in Galliam profugiens, ad Trecas Synodo coactâ, adverſarios, hosque inter Formoſum, virum inſignem, excommunicavit graduve movit: Ludovicum III, Balbum, Caroli Calvi fil. qui donis ſibi Proceres conciliaverat, Imperatorem creavit, ſolemni jurejurando adactum, *Se Eccleſiam, dum vixiſſet, ab hoſtium, & maximè inſidelium oppreſſionibus, tutaturum.* Ibidem Ludovicus pacem cum patruele ſuo Germaniæ Rege fecit: qui Normannos ad Scaldim vicit, ad Lunæburgum tamen magna clade affectus eſt, anno Chriſti 878. Poſt quæ Balbus, nullâ re memorabili geſtâ, deceſſit: Johannes verò, Saracenorum incurſione in Italiam revocatus, pactione tributi pacem ab illis redemit. Mox, Photium, à Baſilio Imperatore, poſt Ignatii Patriarchæ obitum, in Sede Conſtantinopolitana relocatum, & ipſe in communionem recepit; quod cùm à nimia animi facilitate proveniſſe videatur, hinc ipſum non virum, ſed fœminam potiùs fuiſſe nuncupandum, & ſic fabulæ *de fæmina Papa* originem datam eſſe, argutatur Baronius. Sed *hunc Papam fæminam dictum eſſe unquam, ne minimum*

nimum quidem extat indicium, *nec hujus contumelioſæ appellationis cauſa fuiſſet ulla*, *cùm in negotio Caroli Calvi contra Ludovicum Germanicum*, *ejusque filios*, *ſe plus quàm virum præſtiterit*, P. Megerlinus *Diſſertat. de Iohanna Pap.* Extincto Balbo, in Galliæ regno, fil. Ludovicus ſucceſſit, Boſone, inſtinctu conjugis, quæ Ludovici Aug. filia eſſet, Hugone contrà Waldradæ filio, ſtirpis Lotharianæ fiduciâ, ad regnum adſpirantibus: contra quos Ludovicus Germanicus, Balbi filiorum tutelam gerens, & Carolus Craſſus frater ejus, variè dimicârunt, anno Chr. 879. donec Hugo captus, oculis multatus & manu Reginonis Abb. in Monaſterio Prum. tonſus, Boſo verò Viennâ expulſus eſt à Carolo: qui inde perrexit in Italiam, citatoque itinere Romam profectus, ab Johanne P. accepit diadema, tertius jam Imperator. *Hinc*, verba ſunt Sigonii, *titulus Imperatoris Auguſti poſthac ſincerum Pontificis beneficium eſſe, annique Imperii à conſecratione Pontificia repeti cœpti*, *de Regno Italiæ lib. 5.* Factum autem id anno Chr. 880. Inde fratrum extinctorum ditiones adiit, ac cum Normannis, traditâ Godefredo D. Friſiâ, cum Giſela Lotharii fil. tranſegit, anno Chr. 881. Aimoinus *l. 5. c. 40.* Ipſe verò Johannes Pontifex, quem (*g*) *primum Indulgentias adverſus infideles promulgâſſe* tradunt, (h) *veneno potatus à quodam ſuo propinquo*, *eoque non*, *ut putabatur*, *confectus*, (i) *malleorum ictibus occiſus eſt*, Cluverus, d. 15. Decembris anno Chriſti 882. Sedis anno 10. die 1. Caroli III. Craſſi Imper. anno 3. Quàm acrem ſe præbuerit in Ludovico Balbo Caroli Calvi fil. contra æmulum defendendo, vel hinc patet, quòd, cùm Comites præfati, poſt Calvi obitum, cum manu valida Romam ingreſſi, Optimates

mates

mates in Carolomanni (Ludovici German. filii) verba adegiſſent, *Papa interim altaria cilicio operuerit omniaque ſuſpenderit ſacra*, neque deſierit, priuſquam Balbum coronâſſet, *Annales* Fuldenſ. plura de eo Vid. apud Duchenium cœterosque *Pontificum* proſopographos, Baronium, Alios. (*k*) Dum verò is Romæ præeſt, *Conſtantinopoli*, Photio ſuffectus Ignatius iterum Eccleſiam rexit, uſque ad ann. Chr. 879. quo illi defuncto denuo Photius ſucceſſit, ut vidimus. Cœterùm floruerunt, Anaſtaſius Bibl. Ado Viennenſis, Regino Prum. Johannes Segobienſis Ebergandus, Othfridus Wiſenburgenſis, Alii. In Anglia Alfridus Normannos ad religionem compulit, anno Chr. 876. De ſtatu Eccleſiæ, ſub Impp. Ludovico II. Carolo II. Calvo & Carolo III. Craſſo, ut & de *Lite Sacramentaria*, ſat dictum.

XLVI. MARTINUS II. ſive MARINUS (l) I.

Latro (m) *mox periit*: *Tuſca* (n) *de gente coronor,*
Irrita, quæ ſanxit Photius (o), *eſſe volo.*
Innocuum ſtatuo Formoſum (p) *in ſede priori:*
Scintillam atrocis gliſtere cerno mali (q).

ENARRATIO.

(*l*) NOnnullis etiam *Maſius*, Archidiaconus, poſtquam (*m*) factionis contra deceſſorem conſtructor, invaſo throno, brevi poſt interiiſſet, atra-

ad Papatum evectus eſt, d. 28. Dec. anni præf. 882. (*n*) Faliſcis Tuſciæ oriundus; jamque ſub Nicolao I. qui eum miſerat, ad Michaëlem III. Imper. Adriano II. inter cujus Legatos, Synodo contra Photium interεrat, ann. Chr. 869. & Johanne IX. cujus juſſu ſe oppoſuerat Synodo à Photio celebratæ, anno C. 879. magnis rebus adhibitus. *Malis tamen artibus & hunc ad faſtigium nixum*, docet Heideggerus ubi ſuprà *num. 60.* à cujus *tempore Romana Eccleſia graviſſimè laboravit, diſtractâ in duas factiones civitate, quarum alterius principes Comites Tuſculani fuere.* Itaque, *Regibus & Pontificibus aſſiduis certaminibus occupatis, vetus Eccleſiæ diſciplina eſt lapſa, turpi Simoniacorum & Nicolaitarum hæreſi polluta ac corrupta ſunt omnia, quorum illis interdicta Sacrorum commercia, hi prohibita Clericorum connubia defendebant*, Sigonius *de Regno Italiæ lib. 5.* Ut verò dignitatem obtinuit, à Carolo Imp. rumoribus in Italiam excito, honorificè habitus eſt: Synodoque celebratâ, *Acta* Synodi CP. ſub Photio quadriennio antè CP. habitæ reſcidit, ægerrimè id ferente Baſilio Imp. qui proin in Martinum, *ut non Canonicè electum*, acriter invectus eſt. Idem verò & à deceſſoribus damnatos reſtituit, ac Formoſum repetere Epiſcopatum ſuum permiſit. Dum Imp. in Italia Vidonem Thuſciæ Com. per Berengarium, conſanguineum ſuum, coërcet: dehinc, poſt Carolomanni Francorum R. mortem, hoc quoque regno potitus, cum Normannis, Pariſios obſidentibus, confligitur, Aimoinus *lib. 5.* Quo tempore, Johannes Scotus Erigena, qui tractatu *de Euchariſtia* edito, & non niſi anno demum 1050. in Synodo Vercellenſi, ſub Leone IX. damnato, Auguſtini ſententiam, Rabani Mauri & Ratramni ſ. Bertrami

veſtigiis

veſtigiis inſiſtens, acriter tutatus fuerat, *à diſcipulis, inſtinctu Monachorum, graphiis confoſſus eſt*, anno Chr. 883. Matthæus Weſtmonaſter. *in flor. Hiſtor. Angl. ad h. ann.* Obiit ſub initium ſequentis anni Martinus P. d. 18. Januar. ann. Chr. 884. Epiſcopatus ſui anno 1. d. 20. Caroli III. Craſſi Imp. anno 5. de quo plura, Petrus Guilielmus, Martinus Pol. Platina, Ciaconius, Duchenius & Papyrius Maſſon. *in Eo.* (*q*) Illius tempore, *CPoli*, Photius Patr. *Nomocanonem* edidit, qui quaſi compendium eſt totius Juris Canonici Græci, anno Chr. 883. de quo Vid. Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Iuris Eccleſ. n. 240. Simoniacorum* verò & *Nicolaitarum* hæreſes in Eccleſia Romana viguiſſe, jam ex Sigonio diximus.

XLVII. ADRIANUS (r) III.

Cenſeo, Pontificem ſine Cæſare (ſ) *poſſe ſacrari,*
Italiæ auguſtum (t) *reddere quæro decus.*
Baſilio Photî (u) *cauſam tutante, reſiſto:*
Tempus poſt ſedem perbreve (x) *linquo meam* (y).

ENARRATIO.

(*r*) ROmanus, Marini ſeu Martini II. ſucceſſor, anno Chr. 884. Caroli III. 4. non minùs, ac deceſſor, in Photium rigidus, communione eum ſuâ procul habuit. Leges tulit, Sedis Pontificiæ aucto-

auctoritati altiùs attollendæ : quarum præcipuæ duæ, (ſ) una, *Vt Pontifex deſignatus conſecrari, ſine præſentia Regis aut Legatorum ejus poſſit.* Quo pacto ſtatutum Johannis IX. *de Pontificibus non niſi in conſpectu Legatorum Regiorum conſecrandis*, abrogavit, *ad vitanda*, ait Sigonius, *quæ in Comitiis oriebantur, cum maxima Eccleſiæ offenſione, diſſidia, lib. 6.* ſicque in creando Pontifice Imperatoris auctoritatem in poſterum exſpectari noluit, qua de re Vid. Crantzii querelam *Metropol. lib. 5. num. 4. p. 1.* (t) Altera, *Vt moriente rege Craſſo ſine filiis, regnum Italicis Principibus, unà cum titulo Imperii, traderetur,* utramque Vid. apud eundem *libr. 5. ad ann. 884.* & 885. Sed uti prior Majeſtati derogavit : ita poſterior effecit, ut ſecuti Italici Reges *inteſtinis populorum diſcordiis perturbarent, ac ſeipſos prorſus unà cum Eccleſia perderent, ea tempora in Rempubl. inferentes, quibus nulla alia tetriora fuiſſe, vel Principum nequitiâ, vel populorum inſaniâ, in tota antiquitate reperiuntur,* Idem *ibid. ſub initium.* Circa quæ tempora, Carolus Imperator cum Normannis, datâ pecunia, XII. annorum inducias pepigit, in Gallia: & Zuentibaldum Sclavum Auſtriam vaſtantem repulit. In Polonia, Ziemovitus Piaſti fil. amiſſa ſub ignavo Popielo, ab Ungaris, Germanis Moraviſque, recuperavit. Apud Saracenos, Abdalla, novus Africæ Calipha, Mahometem execratus, & Halyn ſecutus, atavum ſuum, ritus & orationes Saracenorum immutavit, eodem anno. Poſt quæ, Adrianus (u) Baſilio Imperatori de Photio perpetuò diſcors, deceſſit, anno Chriſti 885. Papatûs (x) anno 1. m. 3. die 19. Caroli III. Craſſi Imper. anno 6. de quo Vid. plura apud Platinam, Baronium *ann. Chr. 884. 885.* Alios : adde

Aimoi-

Aimoinum *l.* 5. *Annales* Fuld. M. Cromerum *l.* 2. Elmacinum *Hiſtor. Saracen.* &c. (*y*) Eo ſedente, *CPolitanam* Eccleſiam Photius adhuc rexit, cui, uti cum aliis Pontificibus, ſic & cum Adriano, multæ fuere lites: unde *Vir magnæ eruditionis, ſed majoris nequitiæ*, dicitur Bellarmino *de Scriptor. Eccl.* Præterea floruit Hugbaldus Mon. Auctor Eclogæ *de Calvis*, &c.

XLVIII. STEPHANUS (z) VI.

Baſilium (a) *blandè moneo, dogma* (b) *improbo Photî,*
Guidonis (c) *lator Cæſaris eſſe pater.*
Crimina purgari ferro (d) *candente repugno,*
Natoque (e) *articulis quàm bene jungo ſacris* (f).

Enarratio.

(z) Ex gente eadem, ſucceſſit Adriano, anno C. 885 præf. Caroli III. Imp. anno 6. veſtigiiſque deceſſorum ſtrenuè inſiſtens (*a*) Baſilium Macedonem monuit, ut deſereret (*b*) cauſam Photii, *proceſſionem Spiritûs S. à Filio*, inter alia, negantis. Dum Baſilius, filium Conſtantinum mortuum nimis lugens, ejus ſpeciem à Theodoro Santabareno Mon. tanquam viventis, ſuis oculis repræſentari, miratus eſt, altero filiorum Leone præſtigias has Satanicas dicente ac magiæ Monachum inſimulante. A quo proin contra Leonem concitatus Imperator, cum in vincula miſit, multis civium miſera-

miſerabilem ejus fortunam lamentantibus; donec ad interceſſionem Magnatum & vocem pſittaci, ſub tempus convivii crebrò ingeminantis, *Heu Domine Leo!* eum dimiſit, Zonaras *Tom. 3.* & Cedrenus *Hiſtor.* anno eod. moxque defunctus, ſucceſſorem habuit, ſextum hujus nominis & *Philoſophi*, ſ. *Sapientis* cognomine inſignem. Hic itaque Imperium nactus Santabarenum, jam è Monacho Epiſcopum, flagris cædi, Athenas deportari, demptisque oculis ibi exulare juſſit: ne verò defenderetur à Photio, ſepoſuit & illum in Armenorum Monaſterium, ſuumque fratrem Stephanum levavit in thronum. Quo tempore, Croatæ & Servii loca illa, quæ hodie *Croatia* & *Servia* dicuntur, occupârunt, teſte Sigonio *lib. 5.* anno Chr. 886. Caroli Imp. poſt iſta felicitas, qui Germaniam, Galliam Italiamque penè ſolus tenebat, more ſortis humanæ, præcipiti lapſu ruit, ipſeque deſertus à ſubditis, miſſis ad Arnulphum, contra ſe electum, muneribus, pauca Alemanniæ loca ad neceſſarios vitæ uſus ſibi concedi petiit, iisque impetratis privatus degit: poſt quem (*c*) Guido in Italia Imperium arripuit, ut dicemus. Cùm verò iis temporibus purgatio ſeu (*d*) examen *ferri & aquæ fervemis* frequens admodum eſſet, Stephanus P. *Epiſt.* hac de re ad Humbertum Epiſc. Moguntinum ſcriptâ, illud tolli præcepit, anno Ch. 887. Sequuta mors Craſſi ſub initium anni ſequ. qui novo exemplo patruus nepotis ſui cliens pupillusque factus eſt, ſucceſſit Arnulphus. Igitur Guido ſeu Vido Lamberti fil. Spoleti D. & Berengarius Foro-Jul. D. Reges Italiæ, juxta Conſtitutionem Hadriani III. eliguntur, quorum priorem Stephanus ſibi filium adoptavit. Interea Leo Imp. Orientis, à Bulgaro Simeone victus, rurſus

cum

cum per Ungaros evocatos magnâ clade ſuperavit, anno Chr. 889. quo ipſo Franci, neglecto Carolo Simplice, filio poſthumo Ludovici Balbi, Odonem ſeu Eudonem, Pariſiorum Com. qui urbem adverſùs Normannos fortiter defenderat, Regem ſibi præfecerunt: cujus prudentiâ ac moderatione flexus Arnulphus, regnum ei ſub fide & clientela ſua habendum permiſit. Poſt quæ, deceſſit Stephanus m. Majo ann. Chr. 890. Sedis anno 6. d. aliqu. Arnulphi Imp. anno 3. Ejus Sanctio, ut LL. Eccleſiæ Rom. ſint irrefragabiles, iſta habetur apud Gratianum *D. 19. C. enim verò : Quidquid Eccleſia Romana ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſervandum eſt.* Idem (e) Niceno Symbolo addi voluit, quod jam in Gallia, Hiſpania, Germaniaque uſitatum erat, *Filioque*, contra Græcorum errorem, uti quidem Baronius habet: Sed à Sergio III. demum eam acceſſionem factam, docet Voſſius. Habentur porrò complures Stephani ad Falconem Arch. Rhemenſ. *Epiſtolæ*, ut videre eſt, apud Antoninum, Volaterranum, Sigebertum, Onuphrium, Ciaconium, Platinam, Flodoardum *Hiſtor. Rhem. lib. 4. cap. 1.* Alios. (*f*) Ejus tempore, *Conſtantinopoli*, Photio iterum pulſo ſurrogavit fratrem ſuum Stephanum Leo Imp. ann. 886. qui deceſſit biennio pòſt, ſucceſſore Antonio, anno Chriſti 888. quem Nicolaus I. excepit, anno Chr. 890. Floruit tum Remigius Antiſiodor. item Ambroſius Ansbertus Monachi, Sigeberto memorati *cap. 123.* Vid. quoque Trithemium, Sixtum Sen. Poſſevinum, Alios.

IL. FOR-

IL. FORMOSUS (g).

Pejora(h)*accedunt ſenſim, virtutis in iſto*(i)
Mica ſuper priſca eſt, cætera (k) *nævus habet.*
Excivit contra Lambertum (l) *Cæſaris* (m) *arma,*
Eruitur tumulo(n)*poſt ſua fata ſuo*(o).

ENARRATIO.

(*g*) POrtuenſis, in patria ſua Epiſcopatum na- ctus, & jam ſub Nicolao I. in Bulgariam miſſus, aliiſque magni momenti negotiis adhibitus, poſtmodum à Johanne IX. in ejus vitia liberiùs fuerat invectus, depoſitus, à Marino verò ſeu Martino II. reſtitutus, Stephanum VI. excepit, anno Chriſti 890. Sergio Diacono contrà magnopere nitente, qui *XIII. in Eccleſia Romana* Schiſma ſic orſus eſt. Certè Eccleſiæ tum ſtatus miſerrimus, *eratque* (*h*) *ſeculum ſui aſperitate ferreum, boni ſterilitate malique exundantis deformitate plumbeum; proh pudor, proh dolor, tot monſtra viſu horrenda fuiſſe intruſa in eam ſedem Angelis reverendam*, Baronius *Annal.* ubi perveniſſe ad Pontificatum *homines monſtroſos, vitâ turpiſſimos, & undiquaque fœdiſſimos*, addit. (*i*) In Formoſo quidem aliquid priſcæ virtutis ſuperfuit, (*k*) ſed & is, licèt antè *nunquam ſe affectaturum Epiſcopatum Rom.* juraverat, de eo poſtmodum cum Sergio certavit, *hocq; ab altari, ubi conſecrandus erat, ſubmoto, illum per Schiſma obtinuit.* Sub

initia

initia Pontificatus, ad literas CPoli ad deceſſorem ſuum miſſas reſponſurus, Legatos eò direxit, & Photium denuo excommunicavit. Unde Leo Allatius, ex libello Græco Anonymi *c. Photium, ann. Chr. 891.* ſcripto, *Photium*, refert, *à primo Leonis* (IV. nempe) *ad primum Formoſi, per 45. annos fuiſſe anathemate percuſſum, à novem Pontificibus Rom. Leone, Benedicto, Nicolao, Adriano, Iohanne, Marino, Adriano altero, Stephano & Formoſo.* Ita cum eo Papis malè convenit, quare durus in eundem Baronius ubique eum inſectatur & proſcindit *in Annal. ab anno 858. uſque ad 886.* quibus vita ejus & geſta ſunt incluſa. Guidonem dein, Imperatorem coronavit; quo tempore Normanni, qui Conſtantiam exuſſerant anno præt. jam copias Arnulphi magnâ ad Moſam clade profligârunt; ab ipſo paulò pòſt atroci prælio devicti, poſtquam, prioris damni nuntio accepto, à Sclavis Bohemiæ incolis ſe in eos converterat. Leo verò, expeditione in Berengarium Langobardiæ D. ſuſceptâ fruſtra fuit. At Guido, *Imperatoris* nomine & æmulo Berengario pulſo ſuperbus, Lambertum fil. regni ſocium adſcivit, ann. Chr. 891. Sigonius *lib. 6.* quo ipſo Saraceni in Sicilia Taurominium expugnârunt. Arnulphus exin, Suentibaldo Sclavo in Pannonia Ungaros immiſit, aditumque ſic illis in Germaniam aperuit, Luitprandus *lib. 3. cap. 5.* Inde acceſſitus à Berengario in Italiam, ut Guidonem amoveret, filium præmiſit Zwendebaldum: quo parùm proficiente, ſubſecutus ipſe in Langobardiam eſt; dum, in Gallia, Proceres Carolum Simplicem, contra Odonem poteſtate abutentem, Regem elegerunt. In Polonia, Ziemovito Leſcus IV. fil. ſucceſſit, anno C. 892. Et Arnulphus quidem Placentiam

ttiam uſque pervaſit, non multùm tamen Berengarii res promovit, anno Chriſti 893. reflexoque in Galliam itinere, Rodolphum Hugonis Abbat. nepotem, Penninis ſe tuentem jugis, dejicere non valuit. Sed & poſt Guidonis obitum, qui, Arnulphum inſectatus, ad Tarum fl. vomitione ſanguinis ſubitâ extinctus eſt, Lambertus fil. illius, Berengario iterum exacto, regnum ſibi vindicavit, & à Formoſo Imperator declaratus ac diademate inſignitus eſt, anno Chriſti 894. quo Borzivoi, dux Bohemus, ſceptrum Moravici Regni ad Bohemos tranſtuliſſe, dicitur Coſmæ Bohemo. In Hiſpania tum temporis, Alphonſus M. adhuc regnavit: Sanctius verò Abarca Aragoniæ regnum ampliavit, Rodericus Toletanus *de Rebus Hiſpanicis lib. 5. cap. 22.* Saraceni Theſſalonicam expugnârunt, &c. At quia (*l*) Lambertus, minùs ex ſententia Pontificis, imperaret, contra illum evocatus è Germania (*m*) Arnulphus, anno Chriſti 895. alteram expeditionem in Italos ſuſcepit, captaque occaſione lepuſculi Romà urbe, accepit & ipſe de Formoſi manu coronam, adverſariisque hujus capite plexis, Romanos juramento ad fidelitatem ſibi præſtandam obſtrinxit, urbem ipſam Faroldo cuidam cuſtodiendam tradidit. Quibus peractis, brevi pòſt deceſſit Formoſus, d. 4. Decembr. anno Chriſti 896. Sedis anno 6. m. circiter 6. Arnulphi Imper. anno 9. poſt fata (*n*) binis vicibus è tumulo refoſſus, à Stephano VII. & Sergio III. ut videbimus: plura de illo, apud Luitprandum *Hiſtor. lib. 1. cap. 8.* Leonem Oſtienſem *lib. 1. cap. 48.* Sabellicum *Enneade 9. lib. 1.* Sigonium, *Annales* Fuld. Sigebertum, Platinam, Onuphrium, Ciaconium, Baronium, Alios. (*o*) Illo ſedente,

Conſtantinopoli Sacra adhuc curabat Nicolaus I. cogn. *Myſticus*. In Germania, floruit Hatto Epiſcopus Moguntinus. Bohemia fidem Chriſti ſuſcepit, miniſterio Methodii, & Borzivoi unà cum aliis baptizatus eſt, d. 23. Jun. anno Chriſti 894. Moraviâ jam antè ab eodem doctore converſâ; cujus gentis præſul Cyrillus, cùm à Formoſo poſtularet, permitteret ipſis ſacra vernaculâ linguâ celebrari, vox, Patribus de re dubitantibus, de cœlo audita eſt, *Omnis Spiritus laudet Deum & omnis lingua confiteatur ei*, Aventinus *lib.* 4. & Æn. Sylvius *Hiſtor. Bohem. libr.* 13. Alfredus dein Rex, in Anglia, hortatu Noëti, viri doctiſſimi, Academiam Oxoniæ fundavit, anno Chr. 895. Polydorus Virgil. *l.* 5. Romę verò Sergii gliſcebat factio, quæ, Lamberti uſura contra Formoſum opibus, hunc adegit, ut Arnulphum accerſeret, uti dictum, &c.

Tertia

Tetraſtichon mnemonicum

PARTIS I.

PONTIFICES, QUI QUOD SECULUM INCEPERINT, *exhibens.*

CHRISTUS I. EVARISTUS II. ZEPHYRINUS III. MARCELLINUS IV.
Primus ANASTASIUS V. SYMMACHUS inde fuit VI.
GREGORIUS ſequitur Primus, cognomine MAGNUS VII.
SERGIUS hinc Primus VIII. Tertius atque LEO IX.

TABULA PARTIS I.

PONTIFICES, QVI SUB QUO IMPERATORE VIXERINT, ORDINE INDICANS.

SECULUM A N. C. PRIMUM.

AUguſtus Imp. CHRISTUS JESUS APOSTOLUS & PONTIFEX CONFESSIONIS NOSTRÆ, Heb. cap. 3. ℣. 1. natus, & educatus.

Tiberius I. Idem Pontifex futurorum Bonorum docuit, miracula edidit, & per proprium ſan-

guinem, ingreſſus in Sacrarium non manu factum, Hebr. c. 9. ỷ. 11, 12. Spiritûs ſui donis inſtruxit Apoſtolos, illosque ad Evangelium in omnibus linguis annuntiandum, in univerſum orbem, velut Doctores Oecumenicos, miſit, Matth. cap. ult. ỷ. 19. & Actor. cap. 2. verſ. 3. & ſeqq.

C. Caligula. Morte Stephani, diſperſio Diſcipulorum facta, & annuntiatio ſic Evangelii dilatata eſt, pag. 17.

T. Claudius I. *Initia Eccleſiæ Rom.* p. 18. per Andronicum, Juniam, Urbanum, alios; quibus acceſſit Paulus Apoſt. p. 19. qui ab Hieroſolyma uſque ad Illyricum omnia Evangelio Chriſti replevit, Occidentis Præco hinc S. Clementi dictus, p. 20. dum Petrus Apoſt. Judaicæ inprimis gentis converſioni incubuit, V. p. 21.

Nero. *Linus, primus Epiſcopus Eccleſiæ Rom.* pag. 31. *Clemens I.* p. 35.

Galba, Otho, Vitellius. Idem.

Flav. & Titus Veſpaſiani. *Cletus*, p. 39.

Domitianus. Idem. *Anacletus*, p. 41. *Eva-*

SEC. II.

riſtus, pag. 45.

Nerva. Trajanus. Idem. *Alexander I.* pag. 48. *Sixtus I.* pag. 52.

Adrianus. Idem. *Teleſphorus*, pag. 55.

Antoninus Pius. *Hyginus*, pag. 60. *Pius I.* p. 64. *Anicetus*, pag. 67.

Marcus Aurelius. Idem. *Soter*, pag. 71. *Eleutherius*, p. 76.

Commodus. Idem. *Victor I.* p. 81.

Pertinax,

Pertinax, Didius Julianus. Idem.
Severus. Idem. *Ze-*

SEC. III.

phyrinus, pag. 84.
Caracalla. Opilius Macrinus. Idem, *Calixtus I.* p. 91.
Heliogabalus. Alex. Severus. Idem. *Urbanus I.* p. 93.
Pontianus, p. 97.
Maximinus. Idem. *Anterus*, p. 99. *Fabianus*, p. 101.
Balbinus, Pupienus. Gordiani. Philippus Arabs. Idem.
Decius. Idem. *Cornelius*, p. 106.
Vibius Gallus cum fil. Voluſiano. Idem. *Lucius I.* pag. 109.
Valerianus. Idem. *Stephanus I.* p. 111. *Sixtus II.* p. 115. *Dionyſius*, pag. 117.
Gallienus. Claudius II. Idem. *Felix I.* p. 122.
Aurelianus. Idem. *Eutychianus*, p. 125.
Tacitus. Florianus. Probus. Idem.
Aur. Carus cum fil. Carino & Numeriano. Idem. *Cajus ſ. Gajus*, p. 129.
Diocletianus. Idem. *Marcelli-*

SEC. IV.

nus, pag. 133.
Conſtantius I. Chlorus, cum Galerio. *Marcellus I.* pag. 140.
Conſtantinus I. Magnus. Idem. *Euſebius*, pag. 144. *Melchiades*, p. 147. *Sylveſter*, p. 151. *Marcus*, p. 165. *Iulius I.* p. 166.
Conſtantius II. cum Conſtante I. & Conſtantino II. Idem. *Liberius*, p. 173.
Julianus Apoſt. Jovinianus. Valentinianus I. cum Valente. Idem. *Felix II.* p. 181. *Damaſus I.* p. 182.
Gratianus cum Valentiniano II. Idem.

Theodoſius I. Magnus. Idem. *Syricius*, p. 191.
Honorius cum Arcadio. Idem. *Ana-*

SEC. V.

ſtaſius I. p. 199. *Innocentius I.* p. 203.
Honorius cum Theodoſio Jun. Idem. *Zoſimus*, pag. 212. *Bonifacius I.* pag. 216. *Cæleſtinus I.* pag. 219.
Theodoſius Jun. cum Valentiniano III. Idem. *Sixtus III.* p. 226. *Leo I. Magnus*, p. 232.
Martianus. Leo I. Thrax. Idem. *Hilarius*, pag. 244. *Simplicius*, p. 247.
Leo II. cum Zenone. Idem. *Felix III.* p. 256.
Anaſtaſius I. Dicorus. Idem. *Gelaſius I.* pag. 262. *Anaſtaſius II.* p. 267. *Sym-*

SEC. VI.

machus, p. 270. *Hormiſdas*, p. 277.
Juſtinus I. Idem. *Iohannes I.* pag. 285. *Felix IV.* pag. 287.
Juſtinianus I. Idem. *Bonifacius II.* p. 291. *Iohannes II.* pag. 293. *Agapetus I.* p. 297. *Sylverius*, pag. 300. *Vigilius*, p. 304. *Pelagius I.* pag. 314. *Johannes III.* p. 318.
Juſtinus II. Idem. *Benedictus I.* pag. 325. *Pelagius II.* p. 327.
Tiberius II. Mauritius. Idem. *Gregori-*

SEC. VII.

us I. Magnus, p. 337.
Phocas. Idem. *Sabinianus*, pag. 355. *Bonifacius III.* p. 357. *Bonifacius IV.* p. 361.
Heraclius. Idem. *Deusdedit* ſ. *Adeodatus I.* pag. 365. *Bonifacius V.* p. 367. *Honorius I.* p. 372. *Severinus*, p. 381. *Johannes IV.* p. 382.

Conſtan-

Conſtantinus III. Idem.
Conſtans II. *Theodorus I.* p. 384. *Martinus I.* p. 388. *Eugenius* I. p. 391. *Vitalianus* p. 392.
Conſtantinus IV. Pogonatus. Idem. *Adeodatus II.* pag. 398. *Domnus* ſeu *Donus I.* pag. 400. *Agatho* pag. 402. *Leo II.* p. 410. *Benedictus II.* pag. 412. *Johannes V.* p. 413.
Juſtinianus II. Idem. *Conon* ſ. *Cuno* p. 415. *Sergius I.* pag. 417. *Johannes VI.* pag. 425. *Johannes* VII. pag. 428. *Siſinnius* pag. 431. *Conſtantinus* I. pag. 432.
Philippicus Bardanes. Artemius Anaſtaſius II. Idem. *Gregorius* II. p. 438.
Theodoſius III. Leo III. Iſaurus. Idem. *Gregorius* III. p. 447.
Conſtantinus V. Copronymus. Idem. *Zacharias* pag. 453. *Stephanus* II. pag. 461. *Stephanus* III. pag. ead. *Paulus* I. pag. 469. *Conſtantinus* II. p. 473. *Stephanus* IV. p. 475. *Adrianus* I. pag. 479.
Leo IV. Porphyrogennetus. Conſtantinus VI. cum Irene matre. Idem.
Carolus I. Magnus. Idem. *Le-*

SEC. IX.

o III. p. 494.
Ludovicus I. Pius. Idem. *Stephanus V.* pag. 503. *Paſchalis* I. pag. 504. *Eugenius* II. pag. 507. *Valentinus* pag. 510. *Gregorius* IV. p. 511.
Lotharius I. Idem. *Sergius* II. p. 517. *Leo IV.* p. 519. *Johannes* VIII. *fœmina* p. 524.
Ludovicus II. *Benedictus III.* p. 528. *Nicolaus I. Magnus*, pag. 530. *Adrianus II.* pag. 535. *Johannes IX.* pag. 539.

Carolus II. Calvus. Ludovicus III. Balbus. Carolus III. Craſſus. Idem. *Martinus II.* pag. 544. *Adrianus III.* pag. 546. *Stephanus VI.* p. 548.
Arnulphus. Idem. *Formoſus*, p. 551.

ORDO PONTIFICUM

Juxta literas Alphabeti.

A.

A *Deodatus I.* p. 365. *II.* p. 398.
Adrianus I. pag. 479. *II.* p. 535. *III.* p. 546.
Agapetus I. p. 297.
Agatho p. 402.
Alexander I. p. 48.
Anacletus p. 41.
Anaſtaſius I. p. 199. *II.* p. 267.
Anicetus p. 67.
Anterus p. 99.

B.

B *Enedictus I.* p. 325. *II.* p. 412. *III.* p. 528.
Bonifacius I. pag. 216. *II.* pag. 291. *III.* pag. 357. *IV.* p. 361. *V.* p. 367.

C.

C *Æleſtinus I.* p. 219.
Cajus ſ. *Gajus* p. 129.
Calixtus I. p. 91.
Clemens I. p. 35.
Cletus p. 39.
Conon ſ. *Cuno* p. 415.
Conſtantinus I. pag. 432. II. p. 473.
Cornelius p. 106.

D.

D *Amaſus* I. p. 182.
Deusdedit, *V.* *Adeodatus.*
Dionyſius p. 117.
Domnus ſ. *Donus* I. p. 400.

E.

E *Variſtus* p. 45.
Eugenius I. pag. 391. II. p. 507.

Eleutherius p. 76.
Euſebius p. 144.
Eutychianus p. 125.

F.

F*Abianus p.* 101.
Felix I. *p.* 122. II. *p.*181.
III. *p.* 256. IV. *p.* 287.
Formoſus p. 551.

G.

G*Ajus V. Cajus.*
Gelaſius I. *p.* 262.
Gregorius I. *Magnus, pag.* 337. II. *p.* 438. III. *pag.* 447. IV. *p.* 511.

H.

H*Adrianus, V. Adrianus.*
Hilarius p. 244.
Honorius I. *p.* 372.
Hormiſdas p. 277.
Hyginus p. 60.

I.

I*Nnocentius* I. *p.* 203.
Johannes I. *pag.* 285. II. *p.* 293. III. *p.* 318. IV. *p.* 382. V. *p.* 413. VI. *p.* 425. VII. *p.* 428. VIII. *p.* 524. IX. *p.* 539.
Julius I. *p.* 166.

L.

L*Eo* I. *Magnus pag.* 232. II. *p.* 410. III. *p.* 494. IV. *p.* 519.

Liberius p. 173.
Linus p. 31.
Lucius I. *p.* 109.

M.

M*Arcellinus p.* 133.
Marcellus I. *p.* 140.
Marcus p. 165.
Marinus, V. Martinus.
Martinus I. *pag.* 388. II. *p.* 544.
Melchiades p. 147.

N.

N*Icolaus* I. *Magnus pag.* 530.

P.

P*Aſchalis* I. *p.* 504.
Paulus I. *p.* 469.
Pelagius I. *pag.* 314. II. *p.* 327.
Pius I. *p.* 64.
Pontianus p. 97.

S.

S*Abinianus p.* 355.
Sergius I. *pag.* 417. II. *p.* 517.
Severinus p. 381.
Simplicius p. 247.
Siſinnius p. 431.
Sixtus I. *p.* 52. II. *pag.* 115. III. *p.* 126.

Soter p. 71.
Stephanus I. pag. 111. II. p. 461. III. p. ead. IV. p. 475. V. p. 503. VI. p. 548.
Sylverius p. 300.
Sylveſter I. p. 151.
Symmachus p. 270.
Syricius p. 191.

T.

Teleſphorus p. 55.
Theodorus I. p. 384.

V.

Valentinus p. 510.
Victor I. p. 81.
Vigilius p. 304.
Vitalianus p. 392.
Vrbanus I. p. 93.

Z.

Zacharias p. 453.
Zephyrinus p. 84.
Zoſimus p. 212.

FINIS PARTIS I.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google